

SAC. ALOISIUS MORETTI
Pontificiae Academiae Liturgicae Romanae honoris causa, Academicus

CAEREMONIALE
IUXTA RITUM ROMANUM
SEU
DE SACRIS FUNCTIONIBUS
EPISCOPO
CELEBRANTE - ASSISTENTE - ABSENTE
in partes septem digestum

*Manuale iuxta novissima Decreta S. Rituum Congregationis
et Codicem Iuris Canonici*

VOLUMEN II.
DE DIVINO OFFICIO
et
DE SACROSANCTO MISSAE SACRIFICIO



TAURINI (ITALIA)
Officina Libraria MARIETTI anno 1820 condita
nunc MARII E. MARIETTI S. Sedis Apost. et S. RR. Congr.
necnon Archiep. Taurinen. Typographi

MCMXXXVII

Printed in Italy
Copyright (1937) by Casa Editrice Marietti - Torino (Italy)

Diligentissima revisione peracta secundi voluminis «*De Divino Officio et de Sacrosancto Missae Sacrificio*» Operis «*Caeremoniale iuxta Ritus Romanum seu De Sacris Functionibus...*» a clarissimo ALOISIO MORETTI concinnati, idem volumen cum S. Rom. Eccles. liturgicis libris, Codice Iuris Can., S. Rit. Congreg. novissimis Decretis atque probatis Auctoribus adamussim concordare testor.

In fid.: Taurini, die 15 Ianuarii 1937.

Sac. AUGUSTINUS GROGNO, Rev. Archiep.

Taurini, 20 Maii 1937.

Imprimatur.

C. ALOISIUS COCCOLO, Vic. Gen.

IUS PROPRIETATIS VINDICABITUR (24-v-37).

INDEX GENERALIS

PARS SECUNDA

De Divino Officio.

	Pag.
CAPUT I. <i>De modo accedendi ad Chorum, de disciplina in eo servanda ac de modo ab eo egrediendi</i>	1
Art. I. De ingressu ad Chorum	1
» II. De disciplina servanda in Choro	2
» III. De egressu a Choro	4
CAPUT II. <i>De accessu Episcopi Ordinarii ad Ecclesiam cathedralem deque ab eadem recessu</i>	4
Art. I. De accessu Episcopi Ordinarii ad Ecclesiam cathedralem cappa induti	4
» II. De recessu Episcopi Ordinarii, cappa induti, ab Ecclesia cathedrali	7
» III. De Episcopo Ordinario ad Ecclesiam cathedralem accedente cum aliis Praelatis	8
» IV. De Episcopo Ordinario ad Ecclesiam cathedralem accedente cum Magistratu	8
» V. De accessu ad Ecclesiam cathedralem deque ab ea recessu Episcopi Ordinarii rocchetto et mozzetta induti	9
» VI. De accessu Episcopi Ordinarii cappa induti ad alias suae Dioecesis Ecclesias	10
CAPUT III. <i>De accessu S. R. E. Cardinalis vel Legati ad Ecclesiam cathedralem atque Metropolitanam ad Ecclesias Suffraganeorum</i>	10
CAPUT IV. <i>De Ministris in Functionibus pontificalibus</i>	11
Art. I. De Presbytero Assistente in Functionibus pontificalibus	11
» II. De Diaconis Assistantibus in Functionibus pontificalibus	13
» III. De Diacono deque Subdiacono in Missis pontificalibus	14
CAPUT V. <i>De caeremoniarum Magistris</i>	15
CAPUT VI. <i>De Ministris inferioribus in Functionibus pontificalibus</i>	18
Art. I. De Ministris inferioribus in Functionibus pontificalibus generatim	18
» II. De Ministro libri in Functionibus pontificalibus	19

	Pag.
Art. III. De Ministro candelae in Functionibus pontificalibus . . .	20
» IV. De Ministro baculi in Functionibus pontificalibus . . .	21
» V. De Ministro mitrae in Functionibus pontificalibus . . .	22
» VI. De Caudatario in Functionibus pontificalibus . . .	23
» VII. De Crucifero in Functionibus pontificalibus . . .	23
» VIII. De Thuriferario in Functionibus pontificalibus . . .	23
» IX. De duobus Ceroferariis in Functionibus pontificalibus . .	25
CAPUT VII. De Vesperis pontificalibus ad Thronum Episcopo Ordinario celebrante in crastinum	26
Art. I. De iis quae praeparanda sunt pro Vesperis pontificalibus ad Thronum	26
» II. De Episcopo Ordinario in Vesperis pontificalibus ad Thronum	30
» III. De Presbytero Assistente in Vesperis pontificalibus ad Thronum	33
» IV. De Diaconis Assistantibus in Vesperis pontificalibus ad Thronum	36
» V. De Praeintonatore in Vesperis pontificalibus ad Thronum . .	39
» VI. De Canonicis deque ceteris Choralibus in Vesperis pontificalibus ad Thronum	41
» VII. De Caeremoniario primo in Vesperis pontificalibus ad Thronum	44
» VIII. De Caeremoniario secundo in Vesperis pontificalibus ad Thronum	46
» IX. De Ministris libri et candelae in Vesperis pontificalibus ad Thronum	48
» X. De Ministris mitrae et baculi in Vesperis pontificalibus ad Thronum	49
» XI. De ceteris Ministris inferioribus in Vesperis pontificalibus ad Thronum	51
» XII. De duobus Cantoribus in Vesperis pontificalibus ad Thronum	56
CAPUT VIII. De Vesperis pontificalibus ad Thronum Episcopo Ordinario non celebrante in crastinum	57
CAPUT IX. De Vesperis solemnibus cum assistentia Episcopi Ordinarii cappa induti	59
Art. I. De iis quae praeparanda sunt pro Vesperis solemnibus cum assistentia Episcopi Ordinarii cappa induti	59
» II. De Episcopo Ordinario, cappa induto, assistente ad Vesperas solemnes et de eius Assistantibus	60
» III. De Celebrante in Vesperis solemnibus cum assistentia Episcopi Ordinarii cappa induti	61
» IV. De Assistantibus Celebranti ad Vesperas solemnes cum assistentia Episcopi Ordinarii cappa induti	64
» V. De Canonicis deque ceteris Choralibus ad Vesperas solemnes cum assistentia Episcopi Ordinarii cappa induti	67
» VI. De Caeremoniariis ad Vesperas solemnes cum assistentia Episcopi Ordinarii cappa induti	68
» VII. De Ministris inferioribus ad Vesperas solemnes cum assistentia Episcopi Ordinarii cappa induti	70
CAPUT X. De Vesperis pontificalibus ad Faldistorium cum assistentia Episcopi Ordinarii	72

	Pag.
Art. I. De iis quae praeparanda sunt in Vesperis pontificalibus ad Faldistorium cum assistentia Episcopi Ordinarii	72
» II. De Episcopo Ordinario assistente Vesperis pontificalibus ad Faldistorium et de eius Assistantibus	74
» III. De Episcopo celebrante in Vesperis pontificalibus ad Faldistorium cum assistentia Episcopi Ordinarii	74
» IV. De Assistantibus Episcopo celebranti in Vesperis pontificalibus ad Faldistorium cum assistentia Episcopi Ordinarii	77
» V. De Caeremoniariis in Vesperis pontificalibus ad Faldistorium cum assistentia Episcopi Ordinarii	80
» VI. De Ministris inferioribus in Vesperis pontificalibus ad Faldistorium cum assistentia Episcopi Ordinarii	81
CAPUT XI. De Vesperis pontificalibus ad Faldistorium, Episcopo Ordinario celebrante, praesente Cardinali, Legato aut Metropolita	84
Art. I. De iis quae praeparanda sunt pro Vesperis pontificalibus ad Faldistorium, Episcopo Ordinario celebrante, praesente Cardinali, Legato aut Metropolita	84
» II. In Functione	85
CAPUT XII. De Vesperis pontificalibus, celebrante Metropolita in Dioecesis Suffraganeorum suorum	86
CAPUT XIII. De Vesperis pontificalibus ad Thronum, Episcopo extraneo celebrante	87
CAPUT XIV. De Vesperis pontificalibus ad Faldistorium, Episcopo extraneo celebrante	87
Art. I. De Vesperis pontificalibus ad Faldistorium, Episcopo extraneo celebrante in Ecclesiis ubi Capitulum adest	87
» II. De Vesperis pontificalibus ad Faldistorium, celebrante Episcopo extraneo in Ecclesiis ubi Capitulum absit	89
CAPUT XV. De Completorio, Episcopo Ordinario praesente	90
CAPUT XVI. De Matutino pontificali cum Laudibus	91
Art. I. De iis quae praeparanda sunt pro Matutino pontificali cum Laudibus	91
» II. De Episcopo Ordinario ad Matutinum pontificale cum Laudibus	92
» III. De Presbytero Assistente deque Diaconis Assistantibus ad Matutinum pontificale cum Laudibus	93
» IV. De Praeintonatore ad Matutinum pontificale cum Laudibus	94
» V. De Canonicis deque ceteris Choralibus ad Matutinum pontificale cum Laudibus	94
» VI. De Caeremoniariis ad Matutinum pontificale cum Laudibus	96
» VII. De Ministris inferioribus ad Matutinum pontificale cum Laudibus	98
» VIII. De duobus Cantoribus ad Matutinum pontificale cum Laudibus	100
CAPUT XVII. De Divino Officio pontificaliter persolvendo coram SS. Sacramento exposito	101

	Pag.
Art. I. De iis quae praeparanda sunt pro Divino Officio pontificaliter absolvendo coram SS. Sacramento exposito	102
» II. De Praelato ad Divinum Officium pontificale coram SS. Sacramento exposito	102
» III. De Assistentibus, de Ministris, deque Choralibus ad Divinum Officium pontificale coram SS. Sacramento exposito	103
CAPUT XVIII. De Vesperis deque Matutino cum Laudibus Defunctorum celebrante vel praesente Episcopo Ordinario	104
Art. I. De Vesperis Defunctorum, celebrante Episcopo Ordinario	104
» II. De Matutino cum Laudibus Defunctorum, celebrante Episcopo Ordinario	107
CAPUT XIX. De Vesperis solemnibus, absente Episcopo Ordinario	109
Art. I. De iis quae praeparanda sunt pro Vesperis solemnibus, absente Episcopo Ordinario	109
» II. De Celebrante in Vesperis pontificalibus, absente Episcopo Ordinario	110
» III. De Assistentibus in Vesperis solemnibus, absente Episcopo Ordinario	112
» IV. De Canonicis, de ceteris Choralibus deque duobus Cantoribus in Vesperis solemnibus, absente Episcopo Ordinario	116
» V. De Caeremoniario in Vesperis solemnibus, absente Episcopo Ordinario	117
» VI. De Thuriferario in Vesperis solemnibus, absente Episcopo Ordinario	119
» VII. De Ceroferariis in Vesperis solemnibus, absente Episcopo Ordinario	120
CAPUT XX. De Vesperis cantatis sine Assistentibus paratis	122
CAPUT XXI. De Vesperis solemnibus coram SS. Sacramento exposito	122
CAPUT XXII. De Vesperis solemnibus Defunctorum, absente Episcopo Ordinario	124
Art. I. De iis quae praeparanda sunt pro Vesperis solemnibus Defunctorum, absente Episcopo Ordinario	124
» II. De Functione	125
CAPUT XXIII. De Completorio cum cantu, absente Episcopo Ordinario	126
CAPUT XXIV. De Matutino solemnibus et de Laudibus, absente Episcopo Ordinario	128
Art. I. De iis quae praeparanda sunt pro Matutino solemnibus et pro Laudibus, absente Episcopo Ordinario	128
» II. De Functione	129
CAPUT XXV. De Prima, Tertia, Sexta et Nona canendis, absente Episcopo Ordinario	133
CAPUT XXVI. De Matutino solemnibus cum Laudibus Defunctorum, absente Episcopo Ordinario	134
CAPUT XXVII. De Divino Officio in Choro persolvendo sine solemnitate	136
Art. I. De Hebdomadario in Officio non solemnibus	136
» II. De Cantoribus in Officio non solemnibus	139
» III. De Lectoribus in Officio non solemnibus	142
» IV. De Choralibus in Officio non solemnibus	145

APPENDIX I.

De Divino Officio pontificaliter persolvendo a Praelatis Episcopo inferioribus.

	Pag.
CAPUT I. De Vesperis pontificalibus ad Thronum ab Abbatibus vel a Praelatis « Nullius » et ab Abbatibus regularibus de regimine persolvendis	149
Art. I. De iis quae praeparanda sunt	149
» II. In Functione	150
CAPUT II. De Matutino pontificali cum Laudibus ab Abbatibus vel a Praelatis « Nullius » et ab Abbatibus regularibus de regimine persolvendo	151
CAPUT III. De Vesperis deque Matutino cum Laudibus Defunctorum, celebrante vel praesente Abbate vel Praelato « Nullius »	152
CAPUT IV. De Vesperis pontificalibus a Protonotario Apostolico de numero Participantium ubique extra Urbem persolvendis	152
Art. I. De iis quae praeparanda sunt	152
» II. In Functione	153
CAPUT V. De Vesperis pontificalibus a Protonotario Apostolico Supranumerario intra propriae Dioecesis fines persolvendis	157
Art. I. De iis quae praeparanda sunt	157
» II. In Functione	158
CAPUT VI. De Vesperis pontificalibus a Protonotario Apostolico Supranumerario extra Urbem et propriam Dioecesim persolvendis	159
Art. I. De iis quae praeparanda sunt	159
» II. In Functione	159

APPENDIX II.

De modo Divinum Officium privatim persolvendi 161

PARS TERTIA

De sacrosancto Missae Sacrificio.

CAPUT I. De Missa pontificali ad Thronum, celebrante Episcopo Ordinario	163
Art. I. De iis quae praeparanda sunt	163
» II. De Episcopo Ordinario celebrante Missam solemnem pontificalem ad Thronum	168
» III. De Presbytero Assistente ad Missam solemnem pontificalem ad Thronum	181
» IV. De Diaconis Assistentibus ad Missam solemnem pontificalem ad Thronum	187
» V. De Diacono Missae ad Missam solemnem pontificalem ad Thronum	191
» VI. De Subdiacono Missae ad Missam solemnem pontificalem ad Thronum	200

	Pag.
Art. VII. De Canonicis deque Choro ad Missam solemnem pontificalem ad Thronum	206
» VIII. De Caeremoniario primo ad Missam pontificalem ad Thronum	209
» IX. De Caeremoniario secundo ad Missam pontificalem ad Thronum	214
» X. De Ministro libri et candelae ad Missam solemnem pontificalem ad Thronum	221
» XI. De Ministro mitrae et baculi ad Missam solemnem pontificalem ad Thronum	224
» XII. De aliis Ministris inferioribus ad Missam solemnem pontificalem ad Thronum	226
CAPUT II. De Benedictione Papali	233
Art. I. Ritus benedictionis papalis ab Episcopo Missam celebrante impertiendae	234
» II. Ritus benedictionis papalis ab Episcopo, Missae assistente, impertiendae	237
CAPUT III. De Missa solemnem cum assistentia Episcopi Ordinarii pluviali induti	237
Art. I. De iis quae praeparanda sunt	237
» II. De Episcopo Ordinario pluviali induto Missae solemnem assistente	239
» III. De Presbytero Assistente ad Missam solemnem cum assistentia Episcopi Ordinarii pluviali induti	241
» IV. De Diaconis Assistantibus ad Missam solemnem cum assistentia Episcopi Ordinarii pluviali induti	242
» V. De Celebrante in Missa solemnem coram Episcopo Ordinario assistente pluviali induto	245
» VI. De Diacono et Subdiacono in Missa solemnem coram Episcopo Ordinario assistente pluviali induto	247
» VII. De Canonicis aliisque Choralibus ad Missam solemnem cum assistentia Episcopi Ordinarii pluviali induti	250
» VIII. De Caeremoniariis in Missa solemnem coram Episcopo Ordinario pluviali induto	253
» IX. De Ministris libri, candelae, mitrae et baculi in Missa solemnem coram Episcopo Ordinario pluviali induto	256
» X. De aliis Ministris inferioribus in Missa solemnem coram Episcopo Ordinario pluviali induto	258
CAPUT IV. De Missa solemnem cum assistentia Episcopi Ordinarii cappa induti	260
CAPUT V. De Missa solemnem cum assistentia Episcopi Ordinarii mozzetta induti	261
CAPUT VI. De aspersione aquae benedictae ante Missam solemnem cum assistentia Episcopi Ordinarii pluviali vel cappa induti	261
CAPUT VII. De Missa solemnem pontificalem ad Faldistorium, Episcopo Ordinario celebrante coram S. R. E. Cardinali	263
Art. I. De iis quae praeparanda sunt	263
» II. De S. R. E. Cardinali assistente Missae solemnem pontificalem celebratae ab Ordinario	265
» III. De Episcopo Ordinario Missam solemnem pontificalem ad Faldistorium celebrante coram S. R. E. Cardinali	268

	Pag.
Art. IV. De Presbytero Assistente Episcopo Ordinario Missam pontificalem ad Faldistorium celebrante coram S. R. E. Cardinali	270
» V. De Diacono ad Missam solemnem pontificalem ad Faldistorium Episcopo Ordinario celebrante coram S. R. E. Cardinali	272
» VI. De Subdiacono ad Missam solemnem pontificalem ad Faldistorium Episcopo Ordinario celebrante coram S. R. E. Cardinali	275
» VII. De Canonicis deque Choro ad Missam solemnem pontificalem ad Faldistorium celebrante Ordinario coram S. R. E. Cardinali	278
» VIII. De Caeremoniario deque Cappellani Emi Cardinalis assistentis Missae solemnem pontificalem celebrante Ordinario, ad Faldistorium	278
» IX. De Caeremoniariis ad Missam solemnem pontificalem ad Faldistorium, Episcopo Ordinario celebrante coram S. R. E. Cardinali	281
» X. De Ministris inferioribus ad Missam solemnem pontificalem ad Faldistorium, Episcopo Ordinario celebrante coram S. R. E. Cardinali	283
CAPUT VIII. De Missa solemnem pontificalem ad Faldistorium, Episcopo Ordinario celebrante coram S. R. E. Cardinali Legato	285
CAPUT IX. De Missa solemnem pontificalem ad Faldistorium, Episcopo Ordinario celebrante coram Legato aut Metropolita	286
CAPUT X. De Missa solemnem pontificalem ad Thronum celebrante Metropolita in Dioecibus Suffraganeorum	286
Art. I. De iis quae praeparanda sunt	286
» II. De Metropolita Missam solemnem pontificalem celebrante in Dioecibus Suffraganeorum, deque Presbytero Assistente	289
» III. De Diacono deque Subdiacono ad Missam solemnem pontificalem, celebrante Metropolita in Dioecibus Suffraganeorum	289
» IV. De Canonicis deque ceteris Choralibus ad Missam solemnem pontificalem, celebrante Metropolita in Dioecibus Suffraganeorum	292
» V. De Caeremoniariis deque Ministris inferioribus ad Missam solemnem pontificalem, celebrante Metropolita in Dioecibus Suffraganeorum	292
CAPUT XI. De Missa solemnem pontificalem ad Faldistorium cum assistentia Episcopi Ordinarii pluviali induti	294
Art. I. De iis quae praeparanda sunt	295
» II. In Functione	296
CAPUT XII. De Missa solemnem pontificalem ad Faldistorium cum assistentia Episcopi Ordinarii cappa induti	301
CAPUT XIII. De Missa solemnem pontificalem ad Thronum, Episcopo extraneo celebrante	301
CAPUT XIV. De Missa solemnem pontificalem ad Faldistorium, Episcopo extraneo celebrante	302

	Pag.
Art. I. De Missa solemnī pontificali ad Faldistorium, Episcopo extraneo celebrante	302
» II. De Missa solemnī pontificali ad Faldistorium, Episcopo extraneo celebrante in Ecclesiis ubi Capitulum non adest	304
CAPUT XV. De Missa solemnī pontificali coram SS. Sacramento exposito	307
Art. I. De iis quae praeparanda sunt	307
» II. De Episcopo ad Missam solemnem pontificalem coram SS. Sacramento exposito	308
» III. De Presbytero Assistente deque Diaconis Assistantibus ad Missam solemnem pontificalem coram SS. Sacramento exposito	311
» IV. De Ministris sacris ad Missam solemnem pontificalem coram SS. Sacramento exposito	311
» V. De Oratione SS. Sacramenti in Missa dicenda	313
CAPUT XVI. De Missa privata a S. R. E. Cardinali vel ab Episcopo Ordinario celebranda in Ecclesia cathedrali	314
Art. I. De iis quae praeparanda sunt	314
» II. De Praelato celebrante	315
» III. De duobus Assistantibus in Missa privata S. R. E. Cardinalis vel Episcopi Ordinarii in Ecclesia cathedrali celebranda	316
» IV. De Caeremoniario deque Ministris inferioribus in Missa privata S. R. E. Cardinalis vel Episcopi Ordinarii celebranda in Ecclesia cathedrali	318
CAPUT XVII. De Missa privata a S. R. E. Cardinali vel ab Episcopo Ordinario celebranda in Ecclesiis in quibus Capitulum non adest	321
CAPUT XVIII. De Missa privata celebranda a S. R. E. Cardinali vel ab Episcopo Ordinario coram aliis Praelatis maioribus aut Principibus	321
CAPUT XIX. De Missa privata a S. R. E. Cardinali vel ab Episcopo Ordinario celebranda coram SS. Sacramento exposito	322
Art. I. De iis quae praeparanda sunt	322
» II. De Praelato celebrante	323
CAPUT XX. De Missa pontificali de Requie ad Thronum	325
Art. I. De iis quae praeparanda sunt	325
» II. De Episcopo ad Missam pontificalem de Requie ad Thronum	327
» III. De Presbytero Assistente ad Missam pontificalem de Requie ad Thronum	329
» IV. De Diaconis Assistantibus ad Missam pontificalem de Requie ad Thronum	330
» V. De Diacono et Subdiacono ad Missam pontificalem de Requie ad Thronum	331
» VI. De Canonicis deque Clero ad Missam pontificalem de Requie ad Thronum	334
» VII. De Caeremoniariis ad Missam pontificalem de Requie ad Thronum	334
» VIII. De Ministris inferioribus ad Missam pontificalem de Requie ad Thronum	336

	Pag.
CAPUT XXI. De Absolutione pro Defunctis ritu pontificali peragenda generatim	338
CAPUT XXII. De Ritu cum quinque Absolutionibus	340
Art. I. De iis quae praeparanda sunt pro Ritu quinque Absolutionum	340
» II. De Episcopo celebrante et de eius Assistantibus in Ritu quinque Absolutionum	341
» III. De quatuor Absolventibus et de eorum Ministris in Ritu quinque Absolutionum	345
» IV. De Canonicis deque Choro in Ritu quinque Absolutionum	348
» V. De Caeremoniariis in Ritu quinque Absolutionum	348
» VI. De Ministris inferioribus in Ritu quinque Absolutionum	354
CAPUT XXIII. De Ritu cum unica Absolutione ad Tumulum	356
CAPUT XXIV. De Absolutione ad Pannum ab Episcopo in Throno impertienda	357
CAPUT XXV. De Absolutione ad Pannum post Missam pontificalem de Requie ad Faldistorium	358
CAPUT XXVI. De Absolutione ad Pannum post Missam pontificalem de Requie ad Faldistorium ab Episcopo Ordinario impertienda praesente S. R. E. Cardinali	360
CAPUT XXVII. De Absolutione ad Tumulum post Missam pontificalem de Requie ad Faldistorium	361
CAPUT XXVIII. De Missa solemnī de Requie cum assistentia Episcopi Ordinarii cappa vel pluviali induti	362
Art. I. De iis quae praeparanda sunt	362
» II. De Episcopo assistente Missae solemnī de Requie	363
» III. De Presbytero Assistente deque Diaconis Assistantibus ad Missam solemnem de Requie cum assistentia Episcopi	364
Art. IV. De Celebrante deque sacris Ministris in Missa solemnī de Requie coram Episcopo cappa vel pluviali induto	365
» V. De Canonicis deque Choro ad Missam solemnem de Requie coram Episcopo	365
» VI. De Ministris inferioribus ad Missam solemnem de Requie coram Episcopo	366
CAPUT XXIX. De Missa pontificali de Requie ad Faldistorium Episcopo Ordinario celebrante coram S. R. E. Cardinali	367
Art. I. De iis quae praeparanda sunt	367
» II. De S. R. E. Cardinali Missae pontificali de Requie assistente, Episcopo Ordinario celebrante ad Faldistorium	368
» III. De Episcopo Ordinario Missam pontificalem de Requie celebrante ad Faldistorium, coram S. R. E. Cardinali	369
» IV. De Presbytero Assistente, de sacris Ministris, de Caeremoniario deque Ministris inferioribus ad Missam pontificalem de Requie ad Faldistorium, celebrante Episcopo Ordinario coram S. R. E. Cardinali	370
CAPUT XXX. De Missa solemnī absente Episcopo Ordinario	372
Art. I. De iis quae praeparanda sunt	372
» II. De quibusdam generalibus animadversionibus circa Celebrantem et sacros Ministros in Missa solemnī	373

	Pag.
Art. III. De Celebrante in Missa solemni, absente Episcopo Ordinario	376
» IV. De Presbytero Assistente in Missa solemni, absente Episcopo Ordinario	381
» V. De Diacono in Missa solemni, absente Episcopo Ordinario	385
» VI. De Subdiacono in Missa solemni, absente Episcopo Ordinario	395
» VII. De Caeremoniario in Missa solemni, absente Episcopo Ordinario	404
» VIII. De Thuriferario in Missa solemni, absente Episcopo Ordinario	411
» IX. De Ceroferariis in Missa solemni, absente Episcopo Ordinario	415
CAPUT XXXI. De Communione facienda in Missa solemni	419
CAPUT XXXII. De Aspersione aquae benedictae ante Missam solemnem	421
CAPUT XXXIII. De Missa cantata sine Diacono et Subdiacono	424
CAPUT XXXIV. De Missa solemni coram SS. Sacramento exposito	426
CAPUT XXXV. De Missa solemni de Requie, absente Episcopo Ordinario	430
Art. I. De iis quae praeparanda sunt	430
» II. In Functione	431
CAPUT XXXVI. De Absolutione pro Defunctis a Sacerdote peragenda	434
Art. I. De Absolutione, praesente Defuncti corpore	434
» II. De Absolutione, absente Defuncti corpore	437
CAPUT XXXVII. De Missa privata	439
Art. I. Quaedam generales animadversiones	439
» II. De praeparatione Sacerdotis celebraturi	449
» III. De ingressu Celebrantis ad Altare	451
» IV. De principio Missae et Confessione facienda	453
» V. De Introitu, Kyrie eleison, et Gloria in excelsis	455
» VI. De Orationibus	457
» VII. De Epistola, Graduali et aliis usque ad Offertorium	461
» VIII. De Offertorio et aliis usque ad Canonem	464
» IX. De Canone Missae usque ad Consecrationem	468
» X. De Canone post Consecrationem usque ad Orationem Dominicam	472
» XI. De Oratione Dominica et aliis usque ad factam Communionem	474
» XII. De distributione Sacrae Communionis et de Pyxidibus purificatione	478
» XIII. De iis quae Sacram Communionem sequuntur usque ad Antiphonam «Communio» dictam	481
» XIV. De Antiphona dicta «Communio» et Orationibus «Post-communio» dicendis	483
» XV. De Benedictione et Evangelio in fine Missae	483
» XVI. De precibus post Missam	485
CAPUT XXXVIII. De ordine ministrandi Communionem immediate ante vel post Missam	487
CAPUT XXXIX. Instructio pro Sacerdote caecutiente circa Missarum celebrationem eidem ex Apostolico Indulto concessam	488

	Pag.
CAPUT XL. Instructio pro Sacerdote brachio dextero carente circa Missarum celebrationem eidem ex Apostolico Indulto concessam	491
CAPUT XLI. Instructio pro Sacerdote brachio sinistro carente circa Missarum celebrationem eidem ex Apostolico Indulto concessam	494
CAPUT XLII. De bina Missa ab eodem Sacerdote celebranda	496
CAPUT XLIII. De Ministro in Missa privata	498
Art. I. De Ministri praeparatione	498
» II. De ingressu ad Altare	499
» III. De principio Missae et aliis usque ad Offertorium	500
» IV. De Offertorio et aliis usque ad Consecrationem	502
» V. De Consecratione et aliis usque ad finem Missae	504
CAPUT XLIV. De Ministro in Communione ad populum immediate ante vel post Missam	506
CAPUT XLV. De Missa privata coram SS. Sacramento exposito	506
Art. I. De Celebrante	506
» II. De Ministro	509
CAPUT XLVI. De Missa privata de Requie	510
CAPUT XLVII. De Missa privata coram Praelatis maioribus vel magnis Principibus	512
Art. I. De Celebrante	513
» II. De Ministro	515

APPENDIX I.

De Missa pontificali a Praelatis Episcopo inferioribus celebranda.

CAPUT I. De Missa solemni pontificali ad Thronum ab Abbatibus vel a Praelatis «Nullius» et ab Abbatibus regularibus de regimine celebranda	517
Art. I. De iis quae praeparanda sunt	517
» II. In Functione	518
CAPUT II. De Missa pontificali de Requie ad Thronum ab Abbatibus vel a Praelatis «Nullius» et ab Abbatibus regularibus de regimine celebranda	519
CAPUT III. De Missa pontificali a Protonotariis Apostolicis de numero Participantium celebranda ubique extra Urbem	519
CAPUT IV. De Missa pontificali a Protonotario Apostolico Supranumerario celebranda	520
Art. I. De Missa solemni pontificali a Protonotario Apostolico Supranumerario celebranda intra propriae Dioecesis fines	520
» II. De Missa pontificali a Protonotario Apostolico Supranumerario extra Urbem et propriam Dioecesim celebranda	521

	<i>Pag.</i>
CAPUT V. <i>De Missa pontificali a Protonotario Apostolico ad instar celebranda extra Urbem</i>	523
CAPUT VI. <i>De Missa lecta cum aliqua solemnitate celebranda a Protonotariis Apostolicis</i>	523
Art. I. <i>De Missa lecta cum aliqua solemnitate celebranda Romae et extra, a Protonotario Apostolico de numero Participantium</i>	523
" II. <i>De Missa lecta cum aliqua solemnitate celebranda Romae et extra a Protonotario Apostolico Supranumerario et ad instar</i>	526
APPENDIX II. De Missis votivis.	
CAPUT I:	
Art. I. <i>De Missa votiva generatim</i>	527
" II. <i>De Ritu Missae votivae quae non celebratur pro re gravi</i>	529
" III. <i>De Missis votivis privatis</i>	532
" IV. <i>De Missa votiva solemniter et cantata pro re gravi</i>	536
" V. <i>De Missa votiva solemniter vel cantata pro re non gravi</i>	538
CAPUT II. <i>De nonnullis Missis votivis particularibus</i>	
Art. I. <i>De Missa votiva solemniter quatuor Festorum quorum solemnitas transfertur in Dominicam sequentem</i>	539
" II. <i>Missa de Festis olim Dominicis adnexis</i>	540
" III. <i>Missa votiva solemniter de Festo Patroni principalis, Tituli vel Dedicationis propriae Ecclesiae, Tituli vel S. Fundatoris Ordinis sen Congregationis</i>	541
" IV. <i>Missa de iisdem Festis translatis in Dominicam minorem proxime sequentem</i>	542
" V. <i>Missa votiva solemniter occasione populi concursus</i>	542
" VI. <i>Missa votiva de Sacratissimo Corde Iesu prima cuiusvis mensis feria VI</i>	543
" VII. <i>De Missis votivis SS. Cordis Iesu in eius solemnitate externa translata</i>	544
" VIII. <i>De Missa votiva S. Aloisii Gonzagae Confessoris</i>	545
" IX. <i>Missa votiva solemniter in anniv. Creationis et Coronationis Papae atque Electionis et Consecr. Episcopi</i>	545
" X. <i>De Missa votiva pro Sponso et Sponsa</i>	547
" XI. <i>De Missa votiva solemniter pro Fidei Propagatione</i>	550
" XII. <i>De Missa votiva et de collecta pro Fidei Propagatione</i>	550
" XIII. <i>De Missis in triduo vel octiduo solemniter celebrando intra annum a Beatificatione vel Canonizatione</i>	551
APPENDIX III. De diebus quibus Missae de Requie prohibentur.	
CAPUT UNICUM:	
Art. I. <i>De diebus quibus Missae privatae de Requie prohibentur</i>	553
" II. <i>De diebus quibus Missa solemniter de Requie prohibetur</i>	556
INDEX ALPHABETICUS	559
DECRETA S. R. CONGREGATIONIS IN VOLUMINE ALLATA	579
CANONES CODICIS IURIS CANONICI IN VOLUMINE ALLATI	586

PARS SECUNDA

DE DIVINO OFFICIO

CAPUT I.

DE MODO ACCEDENDI AD CHORUM, DE DISCIPLINA IN EO SERVANDA AC DE MODO AB EO EGREDIENDI

ARTICULUS I.

De ingressu ad Chorum.

513. — Chorales, diebus non solemnioribus, accedere possunt ad Chorum vel processionaliter vel singulatim, iuxta locorum consuetudinem, nam quod Caeremoniale Episcoporum (L. II, cap. VI, n. 2) praescribit circa modum accedendi processionaliter ad Chorum, intelligendum est in diebus solemnioribus tantum (D. 464 ad 4).

514. — Si Chorales processionaliter accedant, tunc, statuta hora et dato signo cum campana, iuxta Ecclesiarum consuetudinem, omnes se inclinant ad Crucem, vel ad praecipuam Sacristiae Imaginem, gestantes utraque manu biretum infra pectus, dein caput cooperiunt et bini bini procedunt ita ut nullus, neque Dignitas nec alius quisque solus incedat: hoc enim soli Episcopo competit; quod si impar sit numerus singuli coetus Clericorum, qui distincto utuntur habitu choralis, tres digniores singulorum coetuum simul incedunt (DD. 975; 1552, 2072, 2955).

- I. - Si cum Celebrante parato, tunc sequens ordo servandus est:
1. Thuriferarius cum thuribulo (si Functio ferat);
 2. Ceroferarii candelabra ferentes (pariter si Functio ferat);
 3. Clerici;
 4. Beneficarii;
 5. Canonici;

6. Caeremoniarius;

7. Celebrans cum suis Assistentibus.

II. - Si vero absque Celebrante, tunc primo loco incedunt Dignitates, postea Canonici, dein Beneficarii aliique Clerici.

Ad Sacristiae ianuam caput detegunt; qui proximus vasi aquae benedictae, illam sumat et socio porrigat ac se Crucis signo uterque signat. Cum per angustum locum transitur, inferior anteit; si autem pluvialis fimbriae Celebranti sustententur, hic ultimus transit.

Cum ad Altare pervenerint, Canonici Ecclesiae Cathedralis ad Crucem caput humerosque profunde inclinant, alii vero genuflexionem faciunt; bini ad invicem se salutant, deinde hinc inde ab utraque parte secedunt ad loca sua, ibique, singuli stantes, ceteros expectant (Caer. Episc., L. I, cap. XVIII, n. 3; D. 3792 ad 11).

Etiam Collegialium Canonici tenentur genuflectere ad Crucem, nisi particulari privilegio gaudeant, vel ex consuetudine.

515. — Qui singulatim ad Chorum accedit, Cruci vel Imagini praecipuae Sacristiae se inclinat; ad eiusdem Sacristiae ianuam, detecto capite, aquam benedictam sumit et se signat. Cum ad Altare pervenerit, inclinationem, vel genuflexionem, facit Cruci, et Choro salutatur, dein ad locum suum pergat, ubi, brevi oratione absoluta, ceteros expectat.

Si quis vero, inchoato iam Officio vel Missa, Chorum introierit, se, ut supra, gerit et post brevem orationem ceteris Choralibus se conformat. Si dum Chorum ingreditur, dicatur: *Gloria Patri* etc., vel ultimus Versus Hymnorum, vel quid simile, ad quod Chorus genuflectere vel se inclinare debet, ipse in Chori ingressu subsistit, se inclinat, vel genuflectit, eodem modo quo alii: mox una cum illis se erigit, et, Cruci genuflexione, vel reverentia, peracta atque Choro salutato, ad locum suum se confert.

Si pro aliqua necessitate exire debuerit, rediens se ut supra gerit, sed non tenetur paulisper orare.

ARTICULUS II.

De disciplina servanda in Choro.

516. — Inviolabile in Choro silentium ab omnibus servetur, nisi quis forte, ex non praevisa necessitate, loqui cogatur de iis, quae ad functionem suam pertinent. Nullus fiat strepitus, vel importune excreando aut tussiendo, vel deponendo, elevandoque sedilia. Nemo

quid acturus sit, quaerat clamando aut sibilando; sed omnia sedulo praevideat, vel ab eo, cuius munus sit, levissimo aliquo signo admonetur. Errata, si quae in ipso Officio eveniant, vel modeste ac leniter corrigantur, vel prudenti silentio, maxime si levia fuerint, opportuno tempore animadvertenda, dissimulentur. Non sit qui risu, vel gestu quovis incomposito, rem divinam perturbet; nullas litteras aut alias scripturas, vel librum quemcumque, excepto Breviario aut Diurnali ad communem Officium simul cum aliis peragendum, prae manibus teneat.

Nec Choralibus licet, tempore Missae Conventualis, dum iuxta Rubricas bini dicere debent Confessionem, *Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus, Agnus Dei*, aut, deficientibus Cantoribus, aliquas Missae partes cantare debent, librum etiam pium legere, nec privatim recitare Mariale Rosarium vel alias pias preces; id vero peragere possunt quando nihil una cum Choro recitare, aut cantare, debent.

Oculos unusquisque habeat non gyrovagos, sed demissos, vel ad librum intentos; manus similiter teneat, honesto modo, compositas; neque stet in sellis molliter, aut quasi fractis renibus resolutus; ac devitet immodicam brachiorum aut tibiaram extensionem dum sedet; totius denique corporis modestiam, gravitatem, decentiam religiose praeseferat; omnique cum reverentia, attentione, devotione Altissimum simul cum aliis collaudet.

Omnes pariter hoc diligenter advertant ut una simul stent, sedeant, se inclinent, genuflectant, surgant, se signent, caput aperiant et cooperiant, etc., ita ut in iis, quae in Choro extrinsecus aguntur, nullus omnino adpareat singularis. Item in psallendo vox sit unisona, ideoque communem quisque psallentium et cantantium vocem imitetur ac referat, singula verba clare et distincte pronunciet, atque in medio et in fine Versuum pausam interponat.

517. — Canonici et alii Chorales qui pileolo utuntur, nisi character episcopali praefulgeant, vel non sint Praelati qui ex iure pileolo uti possint, illum deponere debent:

I. - 1. Ad reverentiam vel ad genuflexionem Altaris; 2. Ad genuflexionem ante SS. Sacramentum et ante Praelatos quibus genuflexionis honor debetur; 3. Ad verba quae genuflexionem requirunt.

II. - In Officiis: 1. Ad Evangelii lectionem; 2. Ad Confessionem; 3. Qui cantat vel legit Invitatorium, Lectiones, Responsoria brevia, Martyrologium; 4. Qui praeintonat vel intonat Antiphonas.

III. - In Missa: 1. Ad aspersionem aquae benedictae; 2. Ad Confessionem; 3. Ad *Kyrie, Gloria*; 4. Ad Evangelium; 5. Ad *Credo*;

6. Cum recipitur incensatio; 7. A Praefatione ad Communionem inclusive; 8. Ad Benedictionem.

Cum vero SS. Sacramentum est expositum pileolus numquam adhibendus est.

ARTICULUS III.

De egressu a Choro.

518. — Tempore divini Officii vel Missae nemini e Choro egredi licet sine necessitate. Qui autem iusta de causa exire debeat et non sit reversurus, prius, flexis genibus parumper orat, dein surgit, viciniore capite salutatur; Altari inclinationem, vel genuflexionem, peragit, ceteris Choralibus salutatur.

Si autem, pro aliqua necessitate exire debeat, iterum reversurus, se ut supra gerit, sed brevem orationem, flexis genibus, omittit.

Absoluto Officio, si tunc e Choro statim discedendum est, omnes, flexis genibus, parumper orant, deinde, ad nutum Chori Praefecti surgunt, ad invicem se salutant, reverentiam, vel genuflexionem, Altari peragunt; debito cum ordine, modestia et silentio ad Sacristiam procedunt.

CAPUT II.

DE ACCESSU EPISCOPI ORDINARIJ AD ECCLESIAM CATHEDRALEM DEQUE AB EADEM RECESSU

ARTICULUS I.

De accessu Episcopi Ordinarii ad Ecclesiam cathedralem cappa induti.

519. — Statuta hora et dato signo cum campana, iuxta locorum consuetudinem, ad nutum **Caereemoniarii primi, Dignitates et Canonici**, etsi caractere episcopali insigniti (v. n. 134, 3), exceptis Canonici qui interim paramenta assumere debent (D. 2471 ad 1), **Beneficiati et alii de Clero** Ecclesiae cathedralis nec non **Clerici Seminarii, omnes** choralis habitu induti et iuxta ordinem praecedentiae (v. n. 125, XV et seqq.) procedunt ad associandum bini et bini Episcopum.

Si adsint Canonici alicuius Collegiatae, Parochi civitatis, ut praesertim evenit in extraordinariis circumstantiis, et ipsi accedere possunt ad associandum Episcopum. Interim **Clericus cum vasculo aquae benedictae** et aspersorio se ad Ecclesiae ianuam principem confert et ad eius sinistram subsistit.

520. — **Episcopus** cum bona gratia excipit in consueta aula **Canonicos**, qui ei reverentiam praestant, dein, adiuvente **Caudatario**, mozzettam dimittit et cappam induit.

Si Episcopus uti potest Cruce, **Crucifer** accipit Crucem, quam sustinet cum Crucifixi Imagine ad Praelatam versa.

521. — In accessu ad Ecclesiam sequens servetur ordo:

1. Familiares Episcopi;
2. Crucifer (si adsit);
3. Episcopus;
4. Caudatarius;
5. Canonici;
6. Beneficiarii;
7. Clerus Ecclesiae cathedralis;
8. Canonici Ecclesiarum collegialium;
9. Parochi civitatis;
10. Clerus dioecesanus;
11. Clerici Seminarii.

522. — **Episcopus** solus incedit, nam dum capitulariter associatus ad Ecclesiam cum cappa progreditur nec Diaconi Assistentes ad eius latera incedere debent, nec ulla ei debetur assistentia (DD. 103; 385). **Caereemoniarius** ipse, quamvis in Processione ei ubique discurrere liceat, tamen ita comitari Episcopum nequit ut ad eius latera incedere videatur.

Omnes, descripto ordine, procedunt usque ad portam primariam Ecclesiae cathedralis, ad quam cum prope Episcopus accedit, **dignior e Capitulo** gradum modice accelerat ut praesto adsit ad porrigendum ei aspersorium.

523. — Dum Episcopus egreditur e domo episcopali, campanae, festivo more, pulsantur (D. 3888 ad 1), exceptis diebus quibus Officia pro Defunctis persolvuntur; cum vero ad Ecclesiae ianuam pervenerit, statim organa pulsantur, nisi qualitas Officii, quod celebrandum erit, id prohibeat, scilicet:

1. Tempore Adventus et Quadragesimae, quando Missa vel Officium erit de Feria aut de Dominica, si modo excipias Missas et Vesperas Dominicae tertiae Adventus et quartae Quadragesimae, quo in casu Episcopus ad Ecclesiam accedit tantum immediate ante Vesperas vel ante Missam; absoluta in Choro Hora Tertia, organa pulsari possunt.

2. Diebus Quatuor Temporum, si de illis Feriis Missa vel Officium celebratur, exceptis Quatuor Temporibus Pentecostes;

3. Quando celebranda erit Missa votiva de Passione;

4. In Officiis Defunctorum (Caer. Episc., L. I, cap. XXVIII, n. 1 et 2; DD. 1490 ad 8; 2965 ad 1; 3515 ad 4; 3922, IV, ad 2).

524. — **Dignior e Capitulo** aspersionem accipit; detecto capite, illud Episcopo porrigit cum osculo aspersionem et manus (Caer. Episc., L. I, cap. XV, n. 3; D. 2049 ad 13 et 14). **Episcopus** caput detegit et biretum Caeremoniario tradit, accipit aspersionem quo seipsum aspergit frontem tangendo, nihil dicens, deinde ad Canonicos conversus eos, Clerum et populum, extra Ecclesiam stantem, aspergit in medio a sinistris et a dextris suis ac postea, eodem modo, populum qui in Ecclesia adest, aspergit.

Ad aspersionem **omnes** genuflectunt, exceptis Capituli cathedralis **Canonicis** et **Praelatis**, qui se profunde inclinant.

Aspersione absoluta, **Episcopus** reddit aspersionem **digniori**, qui cum illud et Episcopi manum deosculatus fuerit, recipit ac statim ad locum suum recedit.

525. — Tunc **Episcopus** a **Caeremoniario** accipit biretum, quod sinistra tenet; benedicens populum ad Altare SS. Sacramenti procedit, detecto capite (Caer. Episc., L. I, cap. XV, n. 5 et cap. XVIII, n. 1; D. 3434 ad 1), **Canonicis** et aliis de Clero sequentibus. Quo cum pervenerit, biretum **Caeremoniario** tradit, sibi pileolum aufert, genuflexionem peragit, super genuflexorium utrumque flectit genu et SS. Sacramentum adorat. Eo tempore **Canonici** genuflectunt circa genuflexorium Episcopi (D. 2331 ad 13) et **alii de Clero**, suis locis, pariter genuflectunt. **Crucifer**, si adsit, sistit non longe a genuflexorio ad Episcopi sinistram.

Adoratione completa, **Episcopus** surgit, genuflexionem iterat, reassumit pileolum, a **Caeremoniario** accipit biretum, quod sinistra tenet, et ad Sacellum pro cantu Horae Tertiae, vel ad Altare maius, accedit, benedicens in transitu et Clericis genuflexis et populo.

Surgente Episcopo, **omnes** surgunt et genuflexionem iterant, deinde **Canonici** Episcopum sequuntur, quod et **alii de Clero** faciunt, sed, dum ante seipsos transit Episcopus, genuflectunt.

526. — Cum ad Sacellum, vel ad Altare maius, pervenerit **Episcopus** reverentiam Cruci facit, dein, tradito bireto **Caeremoniario**, in Faldistorio breviter orat. **Canonici** accedunt ad loca sua, sed **Diaconi Assistentes** genuflectunt ad latera Faldistorii et super illud Episcopi cappam extendunt. **Presbyter Assistens** genuflectit ad dexteram primi Diaconi Assistentis; **Caeremoniarius**, tradito Episcopi bireto

Diacono primo Assistenti, ad sinistram secundi Diaconi Assistentis genuflectit.

Oratione completa, **Episcopus** assurgit, Cruci reverentiam iterat, ad Thronum accedit, sedet et, bireto a **primo Diacono** accepto, caput tegit.

ARTICULUS II.

*De recessu Episcopi Ordinarii, cappa induti,
ab Ecclesia cathedrali.*

527. — **Episcopus**, reassumpta Cruce pectorali, si eam dimiserit, vel, expleta gratiarum actione, si Missam pontificalem celebraverit, de Throno inter **Diaconos Assistentes** descendit et ad Faldistorium accedit; Cruci reverentia facta, genuflectit et breviter orat.

Eo tempore **Crucifer**, si adsit, accipit Crucem et se collocat, non longe a Faldistorio, ad Episcopi sinistram, **Dignitates** et **Canonici** omnes surgunt et se circa Faldistorium conferunt ubi genuflectunt, nam etiam in reditu tenentur Ordinarium associare, eo ordine quo venerint, usque ad aulam unde ille discessit vel saltem ad ostium eius domus (DD. 14 ad 3; 138; 525 ad 3; 915 ad 5; 2310 ad 5 et 6; 2471 ad 1 et 2; 3828, I; 3888 ad 2; 3953). **Beneficiati, alii de Clero** nec non **Clerici Seminarii** circa Altare maius genuflectunt.

Oratione completa, surgit **Episcopus**, accipit a **primo Diacono Assistente** biretum, quod in sinistra tenet usque ad Ecclesiae ianuam, Cruci reverentiam iterat et, populo benedicens, pergunt ad domum suam, in cuius aditu, si placet, **Canonicos**, aliosque dimittere potest.

Assurgente Episcopo, **omnes** surgunt, reverentiam, vel genuflexionem, Cruci faciunt, dein **Dignitates** et **Canonici** eum sequuntur, quod et **alii de Clero** faciunt, sed si Episcopus ante seipsos transeat genuflectunt.

Canonici in consueta aula, vel in aditu Episcopi domus, eidem Episcopo reverentiam peragunt, **alii** vero genuflexionem et **omnes** ordinatim ad Sacristiam pergunt.

Etiam in reditu campanae pulsantur, nisi Ordinarius accedat ad domum suam per ianuam privatam.

528. — Si, cum Episcopus ab Ecclesia discedit, aliqua Hora canonica iam incepta sit, non **omnes Capitulares** tenentur eum associare, sed nonnulli tantum, dummodo in Choro remaneant **Canonici** in maiori numero (DD. 615 ad 2; 3677; 3828, III). In casu

omnes Chorales surgunt cum Episcopus descendit de Throno, non intermittentes recitationem divini Officii, et perstant donec ille, cui reverentiam peragunt, e Choro discedat.

ARTICULUS III.

De Episcopo Ordinario ad Ecclesiam cathedralem accedente cum aliis Praelatis.

529. — Si cum Episcopo Ordinario alius Episcopus ad Ecclesiam accedit, hic incedere potest ad Ordinarii sinistram; si duo sint Episcopi, dignior ad dexteram, alter ad Ordinarii sinistram incedit; si plures, omnes sequuntur Ordinarium, ante Canonicos. Si vero alii Praelati Episcopis inferiores adsint, ii incedunt post Canonicos Ecclesiae cathedralis.

530. — Ad aspersionem aquae benedictae in limine Ecclesiae, **Ordinarius** etiam Episcopos aspergit, iuxta Caeremoniale Episcoporum (L. I, cap. XV, n. 4) in quo dicitur: «...tunc Episcopus... debet... et aspersorium porrigere ipsi Legato... qui se et alios asperget». Ergo inter alios et ipse Episcopus comprehenditur. Sed iuxta consuetudinem plurium Ecclesiarum et illud eiusdem Caeremonialis: «...Episcopus... de illa (aqua benedicta) primum porrigit per contactum aspersorii ipsi Praesidi vel Governatori...» (L. III, cap. III, n. 2) Episcopus Ordinarius porrigere potest aliis Episcopis aquam benedictam per contactum aspersorii.

531. — Ad adorationem SS. Sacramenti, si Ordinarius genuflectit in Faldistorio, alii Episcopi genuflectunt super pulvinaribus, hinc inde dispositis in eadem linea cum Faldistorio; si Ordinarius genuflectit in genuflexorio, tunc alii, vel in eodem genuflectunt, si hoc sufficiat, sed super distinctis pulvinaribus, vel in aliis genuflexoriis in eadem linea collocatis.

Ad Sacellum, vel ad Altare maius, dum Ordinarius breviter orat in Faldistorio, Episcopi alii, genuflectunt suis in locis.

ARTICULUS IV.

De Episcopo Ordinario ad Ecclesiam cathedralem accedente cum Magistratu.

532. — Magistratus, si Sacris interveniat, ad normam Caeremonialis Episcoporum (L. I, cap. XV, n. 2) et plurium S. R. C. Decretorum (1537 ad 1; 1902; 2085, 2087, 2638 ad 6) tenetur asso-

ciare Episcopum ad Ecclesiam cathedralem accedentem. Propterea, statuta hora, accedit ad domum episcopalem ubi ab aliquo ecclesiastico viro, Ordinarii familiari, humane excipitur et in aulam, in qua Canonici conveniunt, introducitur.

In accessu ad Ecclesiam, Magistratus incedit immediate ante Ordinarium (Caer. Episc., loc. cit.; D. 1870), nisi Archiepiscopus sit; quo in casu incedit ante Crucem; in limine Ecclesiae aspergitur post Canonicos (D. 911). Aspersione completa, Magistratus Episcopo debitam reverentiam peragit et ad consuetum sedile pergit; ibique genuflexus breviter orat; quando Ordinarius ad Sacellum vel ad Altare maius accedit, stans eidem Ordinario transeunti inclinationem facit (D. 1995) et dum Episcopus impertit solemnem benedictionem genuflectere debet (DD. 746; 969; 1564; 1570 ad 1; 1576; 1594 ad 1; 2462 ad 3).

Iuxta autem hodiernam plurium Ecclesiarum praxim, Magistratus directe ad Ecclesiam accedit ante Episcopi adventum, et in Ecclesiae limine officiose excipitur ab aliquo ecclesiastico viro, qui eum aspergit et ad consuetum sedile comitatur. Id «minime ecclesiasticis legibus opponitur et est iuxta omnes urbanitatis regulas; aequum enim est, ut iis, qui civitatem seu populum praesentant, huiusmodi honor deferatur» (Adnot. super Decr. 2753, «Decr. auth. Congr. sacr. Rit.», vol. IV, pag. 367).

Functione completa, Magistratus ab eodem ecclesiastico usque ad Ecclesiae ianuam deducitur.

Tam in adventu Magistratus quam in eius recessu ab Ecclesia, organa non pulsantur, sed tubarum sonitus extra Ecclesiam licitus est.

ARTICULUS V.

De accessu ad Ecclesiam cathedralem deque ab ea recessu Episcopi Ordinarii rocchetto et mozzetta induti.

533. — Quando **Episcopus Ordinarius** accedit ad Ecclesiam cathedralem rocchetto et mozzetta indutus, **Canonici**, sive impediti in actuali servitio Chori, sive non, non tenentur eum associare, sed excipitur ad Ecclesiae ianuam a **duobus** tantum **Canonici** quorum **dignior** ei, cum consuetis osculis, aspersorium porrigit.

Episcopus se ut supra gerit tam in aspersione aquae benedictae quam in adoratione SS. Sacramenti; qua absoluta, pergit, pro re, vel ad Sacristiam vel ad Altare, si celebrare debeat Missam privatam, vel ad Chorum, si velit interesse recitationi divini Officii

vel Missae conventuali; quibus in casibus se confert ad primum Chori stallum absque ulla Canonicorum assistentia. **Caeremoniarius** se confert ad stallum inferiorem non longe a stallo Episcopi.

In reditu similiter **duo Canonici** comitari Episcopum debent usque ad Ecclesiae ianuam (DD. 14 ad 3; 900 ad 4; 2102 ad 1 et 2).

Tam in accessu quam in reditu conveniens est ut cum Canonicis, **quatuor** vel saltem **duo Clerici** sint.

ARTICULUS VI.

De accessu Episcopi Ordinarii cappa induti ad alias suae Dioecesis Ecclesias.

534. — Quando Episcopus Ordinarius accedit ad alias suae Dioecesis Ecclesias pro functionibus pontificalibus, plerumque pergat ad domum Rectoris Ecclesiae, vel privatim ad Sacristiam, ubi in aliquo decenti cubiculo, habitu praelatitio se induit et etiam cappa cum omnes conveniunt Clerici Ecclesiae ad eum associandum.

535. — Curent Ecclesiarum Rectores ut, in defectu Canonico- rum, Episcopus assistatur, si possibile est, ab ecclesiasticis in aliqua dignitate constitutis et in sacris caeremoniis expertis.

In accessu ad Ecclesiam et in recessu ab ea, servanda sunt quae diximus pro re in praecedentibus Articulis.

536. — Ius porrigendi aspersionem Episcopo pertinet ad Digniore Ecclesiae, non autem ad Dignitates et Canonicos, etiam si capitulariter intersint (DD. 247 ad 2; 584 ad 2; 1376; 1506; 1614; 1803 ad 1; 2608, 2995; Vide etiam Adnot. super Decr. 2608, «Decr. auth. Congr. sacr. Rit.», vol. IV, pag. 199).

CAPUT III.

DE ACCESSU S. R. E. CARDINALIS VEL LEGATI AD ECCLESIAM CATHEDRALEM ATQUE METROPOLITAE AD ECCLESIAS SUFFRAGANEORUM

537. — S. R. E. **Cardinalis** aut **Legatus** aut **Metropolita** potest accedere ad Ecclesiam, ad effectum sacras Functiones vel celebrandas vel eis assistendi, sive una cum Episcopo Ordinario, Capitulo et Clero, sive tantum cum suis Cappellanis et Familiaribus.

In primo casu, **Praelatus** incedit ad dexteram **Episcopi Ordinarii**, qui licet cappam induat, tamen reverentiae causa, eam explicare

nequit; debet vero caudam involvere et positam sustinere super sinistrum brachium (D. 4355, II, 2).

Dum Praelati egrediuntur de domo episcopali, campanae, festivo more, pulsantur (D. 3888 ad 1), diebus exceptis quibus Officia pro Defunctis persolvuntur, et cum ad Ecclesiae ianuam pervenerint statim et organa pulsantur, nisi qualitas Officii, quod celebrandum erit, id prohibeat (v. n. 523).

Dignior e Capitulo, iubente **Episcopo Ordinario**, aspersionem accipit, illud Cardinali aut Legato aut Metropolita, cum osculo aspersionis et manus, porrigit (Caer. Episc., L. I, cap. XV, n. 3 et 4; D. 2049 ad 13 et 14). Si vero Cardinalis sit Legatus, tunc ipse **Ordinarius** aspersionem porrigit.

Cardinalis, aut **Legatus** aut **Metropolita**, se gerit ut Episcopus accedens ad suam Cathedralis (v. n. 524 et seqq.), sed, iuxta consuetudinem plurium Ecclesiarum (v. n. 530), non aspergit Ordinarium, eique porrigit aquam benedictam per contactum aspersionis.

Ad adorationem SS. Sacramenti, si **Cardinalis** genuflectit in Faldistorio, **Ordinarius** genuflectit super pulvinari ad sinistram Faldistorii; si **Cardinalis** genuflectit in genuflexorio, **Ordinarius** genuflectit in alio genuflexorio etiam ad sinistram illius Cardinalis, sed non in eadem linea.

Legatus aut **Metropolita** genuflectit in eodem genuflexorio cum Ordinario, sed **Ordinarius** genuflectit ad sinistram Legati aut Metropolitae.

Ad Altare maius **Ordinarius** genuflectit super pulvinari ad sinistram Faldistorii, sed non in eadem linea, sed aliquantulum retro, si Praelatus alter sit Cardinalis.

In secundo casu **Cardinalis** aut **Legatus** aut **Metropolita** excipitur ab **Ordinario** et a **Canonicis** ad ianuam Ecclesiae, et omnes se ut supra gerunt.

CAPUT IV.

DE MINISTRIS IN FUNCTIONIBUS PONTIFICALIBUS

ARTICULUS I.

De Presbytero Assistente in Functionibus pontificalibus.

538. — « Inter omnes Episcopi ministros, qui ei in divinis et assistunt, et serviunt, primus, et dignior est Presbyter Assistens, qui idcirco debet esse dignior ex Presbyteris, tam Canonicis, quam

Dignitatibus, qui in Choro cum aliis sedere solent; nec refert, quo nomine nuncupetur, an Archidiaconus, an Archipresbyter; sed attenditur, ut sit dignior omnino ex omnibus, et in Sacerdotio constitutus, atque in sacerdotalibus officiis expertus; ut digne, et decenter officium suum exercere valeat, et opportune Episcopo, rem divinam agenti, ministrare possit » (Caer. Episc., L. I, cap. VII, n. 1; DD. 284; 599, 2659). « Deficiente vero prima Dignitate, seu primo Presbytero Canonico, in officio Presbyteri Assistentis, supplebit alter ei proximus, sive sit Dignitas, sive Presbyter Canonicus; quo etiam deficiente, subintrant alii Presbyteri proximiores » (Caer. Episc., L. I, cap. XXVI, n. 2; C. I. C. 397, 2º; D. 1619 ad 5).

Etiam quando Episcopus divinis Officiis intersit cum cappa, prima Dignitas ei inservire debet pro Presbytero Assistente, non obstante quacumque consuetudine in contrarium, si praebendae non sunt distinctae. Si vero praebendae distinctae sunt, tunc Episcopo inservire debet, pro Presbytero Assistente, dignior Canonici post Dignitates (DD. 599; 915 ad 6; 1385).

Ipsemet prima Dignitas esse quoque debet Presbyter Assistens quando Episcopus benedicit Candelas, Cineres et Palmas (D. 2659 ad 2).

Feria sexta in Parasceve ubi praebendae sint distinctae Episcopo celebranti Canonici Presbyter, digniori Presbytero proximus, inservit pro Presbytero Assistente (Caer. Episc., L. II, cap. XXV, n. 7).

Normae, supra traditae, non solum in Ecclesia cathedrali servandae sunt, sed et in quibusvis Dioecesis Ecclesiis, etiam collegiatis et exemptis, celebrante Episcopo Ordinario et interveniente Capitulo cathedrali, vel integro, vel in parte (D. 688).

539. — Presbyter Assistens sedere debet in aliquo scabello ligneo nudo in plano solii prope Episcopum, regulariter ad eius dexteram, ita collocato ut ipse Altare et faciem ipsius Episcopi respicere possit; numquam in sede camerale sedere debet; nec toleranda est contraria consuetudo (Caer. Episc., L. I, cap. VII, n. 2; DD. 14 ad 7 in fine; 2621 ad 2 et 3).

Quotiescumque Episcopus extra Altare aliquid cantat, Presbyter Assistens debet ad medium ante faciem ipsius Episcopi accedere et, suis manibus, tenere librum ac sustinere eum super caput; quo in casu adiuvari potest a Ministro de libro. In benedictionibus vero Candelarum, Cinerum et Palmarum, necnon in Absolutione Defunctorum, dum ab Episcopo Orationes canuntur, Presbyter Assistens sustinere librum non debet (Caer. Episc., L. I, cap. VII,

n. 1 et L. II, cap. VIII, n. 38 et 52; DD. 1402 ad 5; 1504 ad 1; 1583 ad 3; 2097 ad 1, 6 et 7; 2621 ad 11; 3228 ad 3).

Quando incensum ministrare debet, ad dexteram Episcopi sistit, etiam si ad sinistram sedeat.

Semper Episcopum praecedit et non sequitur.

ARTICULUS II.

De Diaconis Assistentibus in Functionibus pontificalibus.

540. — Cum Episcopus solemniter celebrat sive Missam, sive Vesperas, aut, cappa vel pluviali indutus, assistat, praeter Presbyterum Assistentem (atque Diaconum et Subdiaconum, si agatur de Missa), duo Canonici, qui Diaconi Assistentes vocantur, assistere ei debent.

Hoc munere duo primi Canonici ex ordine diaconali funguntur, si praebendae sint distinctae; si vero praebendae non sint distinctae, duo primi Canonici, vel Dignitates, immediate sedentes post primam Dignitatem (Caer. Episc., L. I, cap. VIII, n. 1; D. 129).

541. — **Diaconi Assistentes** sedere debent super nudis scabellis in plano solii, hinc inde Cathedrae episcopalis; **dignior** ad dexteram, **alter** ad sinistram.

Dum Episcopus est in Throno, **primus Diaconus** imponit ei mitram, **alter** eam aufert; ad Altare, quando Diaconus Missae est impeditus, scilicet post utramque Altaris thurificationem, **primus Diaconus** pariter mitram Episcopo imponit, eamque **secundus** aufert ante: *Gloria Patri* etc. Psalmi 25: *Lavabo* etc.

542. — Quando **primus Diaconus** mitram impositurus erit, eam utraque manu ad infimam partem ita accipit ut anterior pars, quam pollicibus tantum tenet, ad se conversa sit, reliquis vero digitis omnibus unitis et extensis vittas paululum elevans, posteriorem mitrae partem tenet, dein ante Episcopum accedit, eique, reverentia peracta, mitram aliquantulum dilatata comprimendo caute et reverenter imponit ita ut capiti, recta linea, adhaereat; ac postea a tergo Episcopi vittas adaptat; tandem, iterata reverentia, se ad locum suum confert.

543. — Quando **secundus Diaconus** Episcopo mitram auferre debet, ante eum accedit; facta reverentia, quatuor digitis utriusque manus unitis et extensis, prius aliquantulum vittas elevat, dein posteriorem mitrae partem tenet dum pollicibus anteriorem pariter

tenet et aliquantulum eam comprimendo caute amovet, cavens ne pileolum simul amoveat, ac postea, reverentia iterata, duabus manibus eam Ministro de mitra porrigit, tandem ad locum suum se confert.

544. — Cum Presbyter Assistens librum sustinet, **Diaconi Assistentes** indicant quae canenda sunt et vertunt folia; dum Episcopus ad Altare accedit eum, hinc inde, comitantur et similiter quando de Altari ad Thronum procedit.

ARTICULUS III.

De Diacono deque Subdiacono in Missis pontificalibus.

545. — **Diaconus** Missae, si praebendae sunt distinctae, esse debet ex Canonicis Diaconis, et tale onus inter ipsos Canonicos Diaconos distribuendum est, vel per vices, vel arbitrio Episcopi, vel iuxta Ecclesiae consuetudinem, sed semper iuxta capitulares constitutiones. Si praebendae distinctae non sunt, hoc munus peragendum est, vel a Canonico digniore, qui sequitur in ordine post Canonicos Diaconos Assistentes, vel per turnum a Canonicis, qui pariter sequuntur in ordine post Canonicos Diaconos Assistentes, vel a Canonico designato Episcopi arbitrio, sed, ut supra diximus, semper ad normam capitularium constitutionum (Caer. Episc., L. I, cap. IX, n. 1; DD. 14 ad 6; 1878 ad 2).

546. — **Subdiaconus** Missae, si praebendae distinctae sint, dignior ex Canonicis Subdiaconis esse debet; si praebendae distinctae non sint, munus hoc peragendum est, vel a Canonico digniore, qui sequitur in ordine post Diaconum, vel ab illo qui Episcopi arbitrio designatur, vel etiam a Canonicis per turnum, sed semper iuxta capitulares constitutiones (Caer. Episc., L. I, cap. X, n. 1 et DD. supra cit.).

547. — **Diaconus** et **Subdiaconus** in actionibus communibus, quoad fieri potest, quandam inter se servabunt conformitatem, adeo ut una simul genuflectant, surgant, se inclinent, se signent, etc. Tenentur etiam se Episcopo celebranti conformare quotiescumque hic se signat, vel inclinat, tempore quo aliquid cantat, vel clara aut submissa voce profert, iuxta Rubricas, quod ad *Secreta* non pertineat: nempe ad Confessionem, ad Introitum, ad: *Gloria* et *Credo*, ad Epistolam et Graduale, ad Evangelium, ad: *Sanctus* et *Benedictus*,

excepto quando Episcopus recitat: *Confiteor*, et etiam, excepto **Subdiacono** Patenam sustinente, ad: *Benedictus* (D. 4057 ad 5). In respondendo verba simul pronuntient ac utantur voce conformi, demissiori tamen quam illa Celebrantis.

In toto Missae decursu manus ante pectus iunctas teneant, nisi actione impediuntur vel sedeant. Item numquam manus super Altare ponant, ne quidem dum genuflectunt; et cum aliquid una manu operantur, alteram pectori admoveant.

Quoties ab uno gradu ad alterum, licet proximum, descendere opus est, caveant ne retrocedant, quod esset indecorum; sed conversi ad dexteram, vel sinistram, iuxta diversos casus, descendant versus locum, ad quem accedere debent.

Cum sedendum est, primum sedent, dein caput cooperiunt. Quum porro est surgendum, prius caput detegunt, postea surgunt. Rursum si unus surgit, aliquid proprii muneris acturus, surgit et alter, ac consistit, aperto capite, donec socius redierit.

Quando **Diaconus** mitram Episcopo impositurus sit, vel quando eam auferre debet, se geret ut supra diximus de Diaconis Assistentibus (v. n. 542 et 543).

CAPUT V.

DE CAEREMONIARUM MAGISTRIS

548. — Honorabile Magistri caeremoniarum est officium; non enim aliorum est famulus, sed director, cui omnes, in iis quae divinum cultum respiciunt, oboedire tenentur (DD. 2307 ad 5; 2578 ad 10), nam caeremoniarum Magister « ille est, qui sacras dirigit actiones, et vigil adest ut Ecclesiae leges quoad ritus et caeremonias adamussim serventur. Quamobrem omnes, etsi gradu longe maiores, in iis tamen quae ad divinum Cultum pertinent, ei obtemperare tenentur. Ita iubet Caeremoniale Episcoporum lib. I, cap. V, n. 5: « Episcopi curae erit omnes tam Canonicos, quam alios de Choro praemonere, ut ipsis Caeremoniariis, in his, quae ad Divinum Cultum spectant, sine contradictione oboediant; nec tantum eorum verbis acquiescant, sed ut oculos in ipsos convertentes observent; et illico illius nutu, aut levi aliquo signo, vel intuitu, quid agendum sit significantibus statim pareant, » (*Suffragia et Adnot. super DD. S. R. C.*, vol. IV, pag. 162).

549. — In Ecclesia cathedrali duo Caeremoniarii regulariter assumuntur, si fieri possit de gremio eiusdem Ecclesiae, « aspectu, et

statura corporis convenienti, et multo magis scientia, et bonis moribus praediti, experti, et dociles ad eiusmodi onus » (Caer. Episc., L. I, cap. V, n. 1).

Primus Caeremoniarius, in presbyterali ordine constitutus, ab Episcopo electus, circa ipsius Episcopi personam sollicitus erit; alter vero, saltem Subdiaconus, a Capitulo electus et ab Episcopo confirmatus et approbatus, curam geret circa Dignitatum, Canoniorum et aliorum Ministrorum personas ad sacras caeremonias opportune peragendas (*l. c.* et n. 3; DD. 1900 ad 6; 1904; 2307 ad 1 et 2; 2310 ad 1 et 2).

Utrique caeremoniarum Magistro Ecclesiae cathedralis competit usus vestis violaceae, non tamen sericae materiae, nec cum globulis aliisque ornamentis rubei coloris (D. 1213), sed ea uti nequit extra functiones episcopales et capitulares (D. 2621 ad 12).

550. — Caeremoniarius potest esse Canonicus (DD. 1072 ad 2; 1889), et exercere munus suum cum insignibus canonicalibus, idest cum consueta veste violacea et superpelliceo super rocchetto (DD. 3165 ad 1; 3398 ad 1; 3840 ad 1), et quando alii Canonici utuntur cappa, vel mozzetta, ipse, ministrans ut Caeremoniarius, absque his indumentis, gaudet distributionibus quotidianis sui beneficii, iuxta Decretum S. C. Concilii diei 27 Iulii 1839 in Pisana ad VIII (D. 3398 ad 2).

551. — Caeremoniarius maxime debet animum advertere ad sequentia:

I. - Antequam sacra quaelibet Functio incipiat, ei diligentissime dispiciendum est « an omnia recte disposita, et ordinata sint, quae ad celebrationem spectant, nempe an Ecclesia, Altare, Abacus, Sedes pontificalis, Canoniorum Magistratuumque sedilia sint decenter apparata ornataque, an cetera ad ipsius celebrationis actum necessaria, ut sacrae vestes, paramenta, et vasa, candelabra, cerei, funalia, aliaque utensilia, sint suo quaque loco praeparata, et congrue disposita...: nec gravetur aliquando, cum viderit necessarium, etiam suis manibus adiuvere ministros, ceterosque omnes, quorum opera uti oportebit » (Caer. Episc., L. I, cap. V, n. 2).

II. - Omnia ita perpendere ac ita singulis debet munia tribuere, ut, amotis abusibus et defectibus, sacrae caeremoniae, iuxta ritus ab Ecclesia receptos et approbatos, adamussim peragantur. Quapropter ad ipsum spectat ceteros instruere et errata in ipso actu corrigere, modeste tamen ac leniter, submissa voce ac solo nutu, si fieri

potest, nisi tunc expedire magis putet ut ea dissimulet, quae leviora sint, et opportunius exinde queant emendari.

III. - Generalem, absolutamque rerum notitiam quae ad unamquamque Functionem pertinent, omnino opus est ut sibi comparaverit: secus enim nequirent omnia rite peragi. Quamobrem ea, quae in hoc Caeremoniali pro singulorum Officiis dicenda sunt, saepe perlegere, atque in memoriam revocare, non omittat. Ac quoniam nimia anxietas et immodicus zelus interdum efficit, ut in actus perturbatos et incompositos quis erumpat; idcirco apprime decet ut Caeremoniarius modeste se in omnibus gerat, « non discurrat velociter, non caput volvat, aut manus iactet indecenter; caveat demum, ne in suis actibus affectationis vitio notetur; sed quidquid aget, cum gravitate, et congruenti mora, ac cum decoro corporis gestu, ita peragere curabit, ut ceteris devotionem, et reverentiam pariat, ipseque ab omnibus commendari mereatur » (*l. c.*, n. 3).

IV. - In Functionibus sacris, Caeremoniarius, praesertim in Processionibus, certum locum non habet, sed ubique assistere et discurrere debet, ut ordo necessarius servetur; regulariter autem apud Celebrantem eiusque Ministros incedit et assistit (D. 108).

Quando omnes sedent, et Celebrans, Ministri sacri alique nec assistentia nec directione indigent etiam Caeremoniarius sedere potest; in Functionibus vero pontificalibus, Caeremoniarius Episcopi, stare, vel potius sedere potest in scabello, iuxta consuetudinem, extra tamen solium (D. 2332 ad 16).

V. - Instructiones, monitiones, intimationes per edictum circa officia, vestes, tempus et locum in quo Clerus, sive saecularis, sive regularis, Tertii Ordines, Archiconfraternitates, Confraternitates, Piae Uniones convenire debent, maxime in Functionibus extraordinariis et Processionibus, a Caeremoniario semper faciendae sunt *de mandato Episcopi*, quod et in schedulis exprimendum est.

VI. - Si Caeremoniarius videbit sacras Functiones iuxta rubricas non peragi, nec S. R. Congregationis Decreta et Resolutiones observari, atque suavis consilii ad eorum observantiam alios inducere nequiverit, loci Ordinarium adire debet, qui stricte tenetur opportunis remediis providere ut Rubricae et S. Congregationis Decreta rite serventur (D. 2621 ad 1).

« Ut autem ipsi Caeremoniarum Magistri necessariis rebus pro victu et vestitu iuxta eorum statum non indigeant, animumque diversis curis, et perturbationibus defatigare, et distrahere non cogantur, sed a cunctis aliis negotiis remoti, omni studio et diligentia, ac toto

pectore in commissam ipsis curam, et munus suum facilius incumbere possint, providebit Episcopus, ut ipsis constituatur aliquod certum, et competens stipendium; et insuper, ut eis applicentur emolumenta aliqua extraordinaria; item aliquibus privilegiis, et praerogativis decorentur, ut promptiori animo suo muneri satisfaciant, ac libros necessarios sibi parare possint..... aliosque plures, quos sibi opportunos iudicabunt, ut non solum actione et opere sint parati, sed etiam cum opus fuerit, de his, quae fiunt, rationem reddere, quoad eius fieri possit, valeant » (Caer. Episc., L. I, cap. V, n. 8).

552. — Etiam a Capitulis Ecclesiarum collegialium Caeremoniarum eligatur iisdem ornatus qualitatibus quae in caeremoniarum Magistris Ecclesiarum cathedralium requiruntur (v. n. 549), sed ei usus vestis violaceae non competit (DD. 2286; 2375 ad 5; 2420 ad 9).

Oportet denique ut in omnibus Ecclesiis, praecipue ubi numerosus Clerus est, Sacerdos aliquis, vel Clericus, saltem in sacris constitutus, in ministerio ecclesiastico iamdiu versatus, sacrarumque actionum ac rituum scientia non leviter instructus, ad Caeremoniarum officium exercendum deputetur.

CAPUT VI.

DE MINISTRIS INFERIORIBUS IN FUNCTIONIBUS PONTIFICALIBUS

ARTICULUS I.

De Ministris inferioribus in Functionibus pontificalibus generatim.

553. — In Functionibus pontificalibus, praeter praecipuos Ministros, de quibus supra dictum est (v. n. 538 et seqq.), alii Ministri, qui inferiores vocantur, necessarii sunt ut Episcopus directe inserviatur, scilicet: Ministri libri, candelae, baculi et mitrae, praeter Caudatarium et, si Celebrans sit Praeatus Crucis privilegio gaudens, Cruciferum. Alii Ministri inferiores generatim pro Functionibus pontificalibus sunt: Thuriferarius et Ceroferarii. In Capite hoc de his tantum breviter aliquas generales normas tradimus, de aliis Ministris inferioribus, ut Acolythus, Minister de gremiali etc., suis locis dicemus.

Omnes hi Ministri saltem Clerici sint, et superpellicea induere debent; Ministri libri, candelae, baculi et mitrae, si adsit consuetudo, etiam pluviale induere possunt, sed quando Diaconi Assistentes induunt dalmaticas.

Ministri libri et candelae designentur duo Clerici in statura pares, quantum fieri potest, et hoc etiam dicendum est pro Ministris baculi et mitrae, ac pro Ceroferariis.

Cum Celebrans et Ministri sacri sedent, etiam hi Ministri sedere possunt, vel in infimo solii gradu, si capax est, vel in simplicibus scamnis, apud Thronum collocatis, aut e regione Altaris, ita ut Ministri tergum Episcopo non vertant.

Omnes semper genuflectere debent ante Altare et ante Episcopum Ordinarium in eius territorio, etiam in Ecclesiis exemptis; ante S. R. E. Cardinales ubique, sed Romae in eorum Titulis, vel Diaconiis tantum; ante Legatos, Patriarchas, Primate, Metropolitans, in loco eorum iurisdictionis. Ante Episcopos extraneos et Praelatos, Episcopis inferiores, usum pontificalium habentes numquam genuflectunt, sed reverentiam peragunt; ante Abbates vero regulares genuflectunt tantum in eorum iurisdictionis Ecclesiis (D. 3059 ad 20).

ARTICULUS II.

De Ministro libri in Functionibus pontificalibus.

554. — Ministri libri officium est curare ut signacula in libro, Missali, Canone Pontificali, etc., sint recte, suis locis, disposita.

Librum semper clausum defert, quem utraque manu ad inferiores angulos ante pectus elevatum tenet, cum apertura ad suam sinistram conversa. Necesse non est ut continuo Minister librum in manibus teneat, sed eum in abaco, in cornu Epistolae, deponere potest, eumque accipere, cum opus sit. Tunc una cum Ministro candelae, ad suam sinistram incedente, ad abacum accedit; accepto libro, ad Thronum vel ante Altare, prout Episcopus in Throno vel ad Altare in Faldistorio, ut in sacris Ordinationibus, est, se confert. Genuflexione in plano peracta, Minister ascendit, Episcopo prius reverentiam facit, dein librum aperit et, ambabus manibus in parte inferiori positus, sustinet genuflexus, si Celebrans legit sedens, vel ipse stans, si Celebrans stans legit; quo in casu numquam genuflectit, nec se inclinat, quamvis omnes genuflectant et se inclinent, nisi magis expediat ut genuflectat ob Episcopi legentis commoditatem (Caer. Episc., L. I, cap. XI, n. 3; D. 2467).

Regulariter Minister libri consistit ante faciem Episcopi, sed infra praeparationem ante Missam, quando Celebrans caligas, sandalia et paramenta induit, in sacris Ordinationibus et quotiescumque Episcopus aliquid benedicit, paululum ad sinistram eiusdem Episcopi recedit.

Lectione ab Episcopo completa, Minister librum claudit, si genuflexus, surgit, Episcopo reverentiam peragit, de Throno, vel de Altari, descendit, ita ut tergum Episcopo non vertat; in plano genuflexionem eidem Episcopo facit, cum Ministro candelae ad abacum se confert et librum deponit.

Si quid extra Altare canendum sit ab Episcopo, tunc Minister reverenter librum Presbytero Assistenti tradit, quem in libro sustinendo adiuvat. Cantu absoluto, librum recipit et se, ut supra, gerit (Caer. Episc., L. I, cap. VII, n. 1 et L. II, cap. VIII, n. 38; D. 1583 ad 3). Quando cum Episcopo procedendum est, Minister libri eum sequitur ad dexteram Ministri candelae.

Minister libri in omnibus actionibus, quas cum Ministro candelae peragit, attendat cum eo se conformare aequaliter et eodem tempore.

ARTICULUS III.

De Ministro candelae in Functionibus pontificalibus.

555. — Minister candelae dextera manu, sinistra ad pectus posita, parvum instrumentum argenteum, quod vulgo *Bugia* vel *Palmatoria* vocatur, cum candela desuper accensa tenet et defert, etiamsi aër sit lucidus ita ut opus non sit lumine ad legendum (Caer. Episc., L. I, cap. XX, n. 1).

Necesse non est ut Minister is continuo in manu palmatoriam teneat, sed quando Episcopus nec legit, nec cantat, eam apud librum, super abacum in cornu Epistolae, deponere potest, et cum opus sit eam accipere debet. Tunc una cum Ministro libri, ad suam dexteram incedente, et cui fere in omnibus actionibus conformare se debet, ad abacum accedit; accepta palmatoria, ad Thronum, vel ante Altare, prout Episcopus est vel in Throno, vel in Faldistorio ad Altare, ut in sacris Ordinationibus, se confert; genuflexione in plano peracta, ascendit, reverentiam Episcopo peragit et ad eiusdem Episcopi dexteram, vel sistit, vel genuflectit, prout Minister libri, vel sistit, vel genuflectit.

Lectione vel cantu absoluto ab Episcopo, Minister si genuflexus, surgit; Episcopo reverentia facta, de Throno, vel de Altari, descendit

ita ut Episcopo tergum non vertat, in plano genuflexionem facit, deinde se, cum Ministro libri, ad abacum confert et palmatoriam deponit.

Quando cum Episcopo procedendum est, Minister candelae eum sequitur ad sinistram Ministri libri.

Minister candelae in omnibus actionibus, quas cum Ministro libri peragit, attendat cum eo se conformare aequaliter et eodem tempore.

ARTICULUS IV.

De Ministro baculi in Functionibus pontificalibus.

556. — Minister baculi pastoralis eum tenet manu dextera cooperta extremitate veli sericei albi, vel coloris paramentorum, ad instar stolae e collo pendentis, parte curva ad populum conversa; sed cum procedit, eum a terra elevatum, ambabus manibus similiter coopertis, defert.

Ipse immediate, dextera manu baculum nudum Episcopo offert et ab eodem recipit (Caer. Episc., L. I, cap. XI, n. 5).

Minister cum baculum offert, partem curvam ad se convertit, ad Episcopum accedit, genuflexionem, vel reverentiam, facit et dum illum offert prius baculum, dein sinistram Episcopi deosculatur; genuflexione vel reverentia iterata, ad locum suum se confert.

Dum vero baculum recipit, genuflexione vel reverentia peracta, prius sinistram Episcopi, dein baculum deosculatur ac postea iterat genuflexionem, vel reverentiam, ac ad locum suum se confert.

Cum Minister baculum defert, immediate ante Episcopum incedit; cum vero Episcopus illum portat, sequitur eundem Episcopum cum aliis Ministris.

ARTICULUS V.

De Ministro mitrae in Functionibus pontificalibus.

557. — Minister mitrae semper eam defert ambabus manibus, coopertis extremitatibus veli sericei albi, vel coloris paramentorum, ad instar stolae e collo pendentis, et ante pectus tenet elevatam ita ut vittae ad seipsum versae pendeant.

Quando Episcopo mitra imponenda est, Minister accedit ad primum Diaconum Assistentem, vel ad Diaconum Missae, prout Episcopus est vel in Throno, vel ad Altare, eique, utraque manu, mitram porrigit.

Quando Episcopus mitram dimittit, Minister accedit ad secundum Diaconum Assistentem, vel, si ad Altare, ad Diaconum Missae, eamque, pariter ambabus manibus, recipit. Minister, tradita, vel recepta mitra, nisi breviter auferenda, vel reponenda sit, recedit ad locum suum.

Quando mitra deponitur vel super Altare, vel super abacum, vittae semper exterius dependeant.

Minister mitrae semper Episcopum sequitur (Caer. Episc., L. I, cap. XI, n. 6).

ARTICULUS VI.

De Caudatario in Functionibus pontificalibus.

558. — Quamvis iuxta Caeremoniale Episcoporum (L. I, cap. XV, n. 1) Caudatarius veste talari absque superpelliceo indutus esse debeat, si Episcopus cappa indutus sacris Functionibus assistit; si Episcopus vero Missam pontificalem celebrat, vel cum pluviali in Throno assistit, tunc Caudatarius superpelliceo indutus esse debeat, tamen iuxta hodiernam praxim, sive Episcopus celebret, sive cum cappa assistat, Caudatarius, super vestem talarem, quae violacei coloris esse potest (DD. 262; 1145 ad 2), superpelliceum induit.

Quando Episcopus cappa indutus est, Caudatarius super brachia, utraque manu, caudae extremitates revolutas tenet et eam ita defert, ut neque pavimentum attingat, neque Episcopum procedentem impediatur; cum Episcopus genuflectit, caudam ad terram dimittit, et ipse, post eius extremitates, genuflectit; dum Episcopus surgit, et ipse surgit, ac super brachio suo sinistro caudam colligit; cum in Cathedra, vel in Faldistorio, sedet, Caudatarius prius caudam expandit, vel meliori modo, quo potest, disponit. Quando Episcopus in Functione aliquam actionem peragit, Caudatarius caudam modo dimittit, modo colligit, ut et Assistentes et ceteri Ministri libere transire valeant (D. 2425 ad 13).

Quando Episcopus sacra paramenta accipere debet, tunc Caudatarius ei cappam aufert et Cubiculario tradit, dein caudam vestis talaris expedit. Cum vero Episcopus paramenta dimittit, Caudatarius a Cubiculario cappa accepta, eidem Episcopo illam imponit. In Functione, cum opus sit, Caudatarius, utraque manu, sustinet caudam vestis talaris.

Caudatarius sedere potest in infimo Throni gradu ad sinistram Cathedrae.

ARTICULUS VII.

De Crucifero in Functionibus pontificalibus.

559. — Crucifer, iuxta hodiernam praxim, induit superpelliceo super vestem talarem, quae violacea esse potest (D. 1145 ad 2) etiamsi Praelatus tantum cappa indutus assistat. In Processionibus, quando Praelatus celebrat et Clerus paratus sit, Crucifer assumit amictum, albam, cingulum et tunicellam. Si Clerus paratus non sit, quamvis Praelatus sit paratus, Crucifer induit tantum superpelliceum super vestem talarem.

Crucifer defert Crucem cum Imagine Crucifixi ad Praelatum conversa, sive immediate accedat, sive ante Canonicos, vel paratos, vel tantum habitu canonicali indutos (Caer. Episc., L. I, cap. II, n. 4; cap. XV, n. 2 et 8; L. II, cap. VIII, n. 27; L. III, cap. X, n. 2).

Cum Praelatus ad ianuam Ecclesiae pervenerit, Crucifer in Ecclesiam ingreditur et subsistit, facie ad Altare maius versa, donec a Praelato aspersione populi compleatur, dein procedit ad Altare SS. Sacramenti et dum Praelatus in genuflexorio vel in Faldistorio Eucharistiam adorat, ipse stat congruo in loco, prout circumstantiis. Cum ad Altare maius, vel ad Secretarium pervenerit, Crucem in basi, in infimo gradu Solii, ad sinistram Cathedrae, ponit.

Quoties Praelatus benedictionem solemnem impertit, Crucifer accipit Crucem et ante eum sistit, cum Crucifixi Imagine ad eundem conversa; cum vero Praelatus canit: *Benedictio Dei* etc., vel: *Benedicat vos* etc., Crucifer utrumque flectit genu; benedictione impertita, statim surgit.

Cum omnes sedent, Crucifer sedere potest in infimo Solii gradu ad sinistram Cathedrae.

ARTICULUS VIII.

De Thuriferario in Functionibus pontificalibus.

560. — Unus tantum etiam in Functionibus pontificalibus adhibetur Thuriferarius, exceptis Processionibus SS. Sacramenti, in quibus duo praescribuntur, nec non in illis, in quibus Reliquia Dominicae Passionis Instrumentorum, vel Insignes Sanctorum Reliquiae transferantur.

Thuriferarius dextera thuribulum portat, tenens digitum minimum in annulo manubri, ut thuribulum sustineat, pollicem vero in altero

mediae catenulae annulo, ut operculum elevatum stet; thuribulum ipsum lente agitat ne ignis extinguatur. Sinistra autem manu naviculam clausam gestat stringens eam ad nodum et cum apertura versus seipsum.

Quando ad Altare processionaliter deferens thuribulum accedit, Ceroferarios praecedat alias, post eosdem incedit; si ad Presbyterium ex cancellis pervenerit, circa medium Presbyterium subsistit et recedit versus sinistram suam ut alii transire possint, dein retro post Celebrantem genuflexionem peragit. Si vero ad Presbyterium pervenerit ex parte Evangelii, tunc sistit ad sinistram Ceroferarii secundi in eodem cornu; si ex parte Epistolae, Thuriferarius, absque genuflexione, procedit usque ad Evangelii cornu et sistit pariter ad sinistram Ceroferarii secundi, ibique genuflexionem peragit. In omnibus allatis casibus, genuflexione peracta, Thuriferarius ad abacum pergat et stat, vel genuflectit, pro re.

Quando cum thuribulo genuflexus manere debet, tunc sinistra illud simul cum navicula, descripto modo, tenet et, dextera constringente catenulas, prope operculum, a prunarum vase aliquantulum elevatum, thuribulum, ad oram usque superpellicei inferiorem, sustineat, ac lente agitet, uti supra dictum est.

Cum thuribulum ad impositionem thuris ministrandum est, Thuriferarius sinistra affert thuribulum, dextera vero naviculam tradit Presbytero Assistenti, vel Diacono Missae, prout circumstantiis, dein genuflexus, si Episcopus sit Ordinarius, aut S. R. E. Cardinalis, dummodo SS. Sacramentum non sit expositum, catenulas circa medium accipit et, sinistra pectori applicata, thuribulum claudit, si immediate ministrandum est pro incensatione, et dextera porrigit vel Presbytero Assistenti, vel Diacono Missae, absque osculis. Sed animadvertendum est, quod cum Thuriferarius naviculam non gerit, si cui incensaturo thuribulum praebere debeat, hoc ambabus praestet manibus, dextera nempe catenularum summitatem tenente, quam recipientis laeva constringat, sinistra vero earundem inferiorem iuxta operculum partem, quam recipientis dextera prehendat. Sin autem thuribulum Presbytero Assistenti, vel Diacono Missae porrigere debeat, qui statim Episcopo manibus sit illi daturus, contrario modo tunc porrigat; videlicet sinistra catenulas in summitate tenens, quas recipiens cum dextera colligat, ac dextera easdem in inferiori parte, quas ipse recipiens cum laeva constringat.

Animadvertendum quoque est, quod cum Thuriferarius personas incensare debet, thuribulum claudat, et sinistra catenulas prope manubrium stringens, vel minimum eiusdem manus digitum in ipsius

manubrii annulum immittens, dextera catenulas in inferiori parte iuxta operculum comprehendat. Tunc sinistra pectori admota, cum dextera thuribulum fere ad altitudinem cinturae sustinet, ita ut illud commode versus personas ducere et ad se retrahere valeat; quod semel, aut bis, pro re, faciendum est. Sed Clerici et populus non sic incensantur: Thuriferarius, sublevato ante pectus thuribulo, lente ac linea recta dexteram cum thuribulo versus personam incensandam protendat, moxque thuribulum contra seipsum retrahat, quin manum dimittat.

Thuriferarius accedens et recedens genuflectit.

ARTICULUS IX.

De duobus Ceroferariis in Functionibus pontificalibus.

561. — **Duo Ceroferarii** pro sacris Functionibus designentur in statura pares, quantum fieri potest, ut lumina aequaliter teneant et deferant. Quum candelabra sumpturi sunt, accipiunt dextera manu, ac ita deferunt, ut **prior**, qui a dextris **secundi** incedere debet, manum sinistram ponat ad pedem candelabri, dexteram vero ad medium candelabri globum; **alter**, e converso, collocat dexteram ad pedem, et sinistram ad globum; cumque reverentias et genuflexiones **Ceroferarii** facturi erunt, illas aequaliter et eodem tempore faciant, caventes ne simul candelabra inclinent.

Cum ad Altare processionaliter accedunt et ex cancellis ad Presbyterium pervenerint, **Ceroferarii** hinc illinc discedunt, ante infimum Altaris gradum genuflectunt in linea recta cum aliis, exinde candelabra vel super gradu infimo, vel super abaco deponunt pro re. Si ex parte Evangelii ad Presbyterium pervenerint, **Ceroferarius prior**, absque genuflexione in medio, procedit usque ad cornu Epistolae et sistit ante infimum Altaris gradum; **alter** subsistit ante infimum Altaris gradum, in cornu Evangelii, et aliquantulum recedit, ut alii transire possint, dein **uterque** ut supra se gerit. Si autem ex parte Epistolae ad Presbyterium pervenerint, tunc **Ceroferarius prior** subsistit ante infimum Altaris gradum, in cornu Epistolae, et aliquantulum recedit, ut alii transire possint; **alter** procedit usque ad cornu Evangelii et sistit ante infimum Altaris gradum, in eodem cornu; **uterque** se ut supra gerit.

CAPUT VII.

DE VESPERIS PONTIFICALIBUS AD THRONUM
EPISCOPO ORDINARIO CELEBRANTE IN CRASTINUM

Hic tradimus Ritus qui, iuxta Caeremoniale Episcoporum (L. II, cap. I), servandus est quando Episcopus, vel in crastinum solemniter Missam celebraturus erit, vel quando ab eodem Episcopo mane iam Missa pontificalis celebrata fuit. Quamvis in pluribus Ecclesiis cathedralibus idem servetur Ritus, sive Episcopus in crastinum Missam solemniter celebraturus erit, sive non, tamen sequenti Capite describemus Ritus Vesperarum quando Episcopus in crastinum Missam pontificalem celebraturus non erit.

ARTICULUS I.

De iis quae praeparanda sunt pro Vesperis pontificalibus ad Thronum.

562. — Circa Ecclesiae et Altarium ornatum, iam diximus in Capite XXXIV Partis primae; hic sermo erit de necessariis pro sacra Functione de qua agimus.

I. - IN SACRISTIA CAPITULARI. — Super mensas disponuntur paramenta, scilicet: pluvialia pro Dignitatibus, planetae pro Canonicis Presbyteris, dalmaticae pro Canonicis Diaconis et tunicellae pro Canonicis Subdiaconis.

Si vero praebendae non sunt distinctae tunc disponuntur super mensas pluvialia pro Dignitatibus, planetae pro Canonicis et una tunicella pro Canonico Praeintonatore.

Super unoquoque paramento amictus imponitur.

Paramenta pretiosiora ac nobiliora non conveniunt Dignitatibus respectu Canonicorum (DD. 2316 ad 9; 2332 ad 9; 2742).

Dignitates et Canonici, iuxta Caeremoniale Episcoporum (L. I, cap. XV, n. 7), paramenta assumere debent altero loco quam Episcopi, sed, in non paucis cathedralibus Ecclesiis, Canonici ea induunt suis in locis in Choro, quod minime est conveniens immo et damnosum ipsis paramentis, quae facile obsolescunt, praesertim, Functione absoluta, confuse ea in Sacristiam deferendo, et etiam indecorum est in despoliabolium convertere Chorum.

II. - IN SACRISTIA MAIORI. — Super aliquam mensam disponuntur sex pluvialia, quorum duo (si adsit consuetudo) pro Cappellanis Cantoribus, quatuor pro Ministris libri, candelae, baculi et mitrae; vimpae coloris paramentorum, vel albae. Haec pluvialia erunt simpliciora ac diversa a paramentis Canonicorum.

Super aliam mensam disponuntur superpellicea et bireta pro Clero et Ministris inferioribus; thuribulum cum navicula, vas aquae benedictae cum aspersorio.

III. - IN SACRISTIA ALTARI MAIORI CONTIGUA. — Super mensam disponuntur pluviale pro Presbytero Assistente, dalmaticae pro Diaconis Assistantibus, tres amictus. Haec paramenta, si possibile, collocari possunt super parvo abaco, a tergo maioris Altaris, ut expedite a Canonicis assumantur.

IV. - AD ALTARE MAIUS. — Altare maius pallio coloris Officio convenientis instruitur, et illius mensa tribus mappis cooperta (v. n. 387); praeter eas, adsit et altera explicata, seu velum explicatum super mensa (Caer. Episc., L. II, cap. I, n. 13). Super gradus sternitur nobile tapetum. Sex candelabra, solitis spectabiliora, Altari superimponuntur cum cereis albis, in quorum medio, Crux praealta cum Crucifixi Imagine collocatur (v. n. 389 et 390). Insuper sacrae Reliquiae et Sanctorum Imagines statui possunt alterne inter candelabra, et, sicubi hae deficient, vascula cum floribus, frondibusque odoriferis, aut serico contextis studiose ornata, sed a floribus abstinendum est tempore Adventus et Quadragesimae (Dominica tertia illius et quarta istius exceptis) quando fit Officium de tempore, atque ab Imaginibus tempore Passionis (l. c. L. I, cap. XII, n. 12; L. II, cap. XIII, n. 2; cap. XX, n. 1 et 3).

Super Altaris mensa disponuntur Episcopi paramenta, quae velo eiusdem paramentorum coloris cooperiuntur, scilicet: pluviale, stola, cingulum, alba, amictus, formale in lance; IN LATERE EVANGELII: mitra pretiosa; IN LATERE EPISTOLAE: mitra auriphrygiata.

V. - APUD ALTARE IN CORNU EVANGELII, in basi collocatur baculus pastoralis.

VI. - IN CORNU EVANGELII. — Thronus (v. n. 398) exornatur serico panno, vel alia materia coloris convenientis Officio diei, non tamen aureo, nisi Episcopus sit Cardinalis (Caer. Episc., L. I, cap. XIII, n. 3).

In plano Throni collocantur tria scabella nuda pro Presbytero Assistente et Diaconis Assistantibus; super infimum eius gradum, ad sinistram Cathedrae, basis pro Cruce, si Celebrans uti ea potest;

congruo in loco, apud Thronum, pulvinus, si Episcopus genuflectere debet ad intonationem Hymni.

Apud infimum gradum eiusdem Throni, statuuntur scabella pro Ministris baculi et mitrae, nec non pro Caeremoniario primo.

VII. - IN CORNU EPISTOLAE. — In plano Presbyterii, e regione Throni, si loci dispositio patiatur, atque a pariete parumper disiunctus praeparatur Abacus talis ut omnia necessaria ad Functionem super eum disponenda possint. Plerumque pro Functionibus pontificalibus Abaci longitudo est metrum unum et septuaginta quinque centimetra, latitudo centimetra septuaginta, altitudo metrum unum et vix aliquot centimetra. Abacus ex toto contegitur panno usque ad terram circumcirca pendenti; super panno extenditur mappa linea alba ad instar tobaleae Altaris. In abaco neque Crux neque Sanctorum Imagines ponendae sunt (Caer. Episc., L. I, cap. XII, n. 19 et 20).

Super abacum collocatur: Canon pontificalis, Breviarium, palmatoria cum candela; duo candelabra cum cereis.


Hinc inde abaci ponuntur duo scabella pro Ministris libri et candelae.

VIII. - IN MEDIO PRESBYTERIO. — Collocatur Faldistorium cum pulvinis eiusdem coloris Officii (v. n. 399).

IX. - AD ALTARE SS. SACRAMENTI. — Paratur genuflexorium cum strato et pulvinis viridis coloris, vel violacei, pro diversitate temporum; si Episcopus sit Cardinalis, loco viridis coloris, utendum est colore rubro (Caer. Episc., L. I, cap. XII, n. 8).

Sex cerei super Altare accenduntur.

563. — Dispositio ad Altare pro Vesperis pontificalibus ad Thronum.



P. E. = Paramenta Episcopi. — mp = Mitra pretiosa. — ma = Mitra auriphrygiata. —
 b = Baculus pastoralis. — + = Crux archiepiscopalis. — F = Faldistorium. — A = Abacus.
 — a = Abacus pro paramentis Presbyteri et Diaconorum Assistentium.
 Scabella pro: Presbytero Assistente, 1; primo Diacono Assistente, 2; secundo Diacono
 Assistente, 3; Ministro mitrae, 4; Ministro baculi, 5; Ministro libri, 6; Ministro candelae, 7;
 duobus Cantoribus, 8-9; Caeremoniario primo, 10.

ARTICULUS II.

De Episcopo Ordinario in Vesperis pontificalibus ad Thronum.

564. — Episcopus in accessu ad Ecclesiam, se gerit ut diximus sub n. 519 et seqq.

Ubi in Throno sederit, ad nutum Caeremoniarii, caput detegit, biretum primo Diacono Assistenti tradit, Crucem pectoralem dimittit, surgit et, Caudatario adiuvante, cappa exuit; stans accipit paramenta, scilicet: amictum (prius in parva Cruce eum osculatur), albam, cingulum, Crucem pectoralem, cum osculo, stolam, eius Crucem deosculans, pluviale et formale; dein sedet ac mitram pretiosam accipit.

565. — Ad Caeremoniarii nutum, Episcopus mitram deponit, surgit et, ad Altare conversus, dicit secreto: *Pater noster* etc., *Ave, Maria* etc.; quibus absolutis, sive ex libro, sive memoriter, prout ei magis placuerit, cantat: *Deus, in adiutorium meum intende*, sinistra infra pectus posita, se signans Cruce maiori, et in fine manus ante pectus iungens; ad *Gloria Patri* etc., caput inclinatur versus Altaris Crucem. Stans intonat, sive ex libro, sive memoriter, primam Antiphonam, sibi praeintonatam; qua intonata, Praeintonatori benedicit. Incepto primo Psalmi Versu, sedet, mitram auriphrygiatam accipit et sic manet usque ad Capitulum.

Quando Episcopus in paramentis sacris pontificaliter assistit ad Vesperas, incongruum est ut sive legat, Breviario prae manibus, sive recitet privatim ex libro choralis, quem Minister libri sustineat.

Ad: *Gloria Patri* etc., in fine cuiusque Psalmi, et ad verba quae reverentiam exposcunt, Episcopus cum mitra se inclinatur.

Absolute Psalmorum cantu, ac postrema Antiphona repetita, surgit cum mitra et, iunctis manibus, consistit ad cantum Capituli.

566. — Hymno praeintonato, Episcopus sedet, mitram deponit, surgit, dein Hymnum intonat.

Si initium Hymni exprimat invocationem Iesu, Episcopus caput ad Altaris Crucem inclinatur.

Si vero ad principium Hymni sit genuflectendum ut evenit ad: *Veni, Creator Spiritus*, et ad: *Ave, maris stella*, stans intonat, dehinc ibi, super pulvino, genuflectit, dimisso pileolo, usque ad finem primae strophae.

Sub integra stropha: *O Crux, ave*, etc., Hymni: *Vexilla Regis* etc., pariter genuflectit (DD. 1322 ad 13; 1583 ad 7), et sub stropha:

Tantum ergo Hymni: *Pange, lingua*, etc.; si SS. Sacramentum non est expositum, servanda est cuiusque Ecclesiae consuetudo (D. 1280 ad 2).

567. — Episcopus, sibi praeintonata Antiphona ad: *Magnificat*, repetit praeintonationem, benedicit Praeintonatori, sedet et mitram pretiosam accipit; sinistra infra pectus posita, dextera e navicula, accipit cochlear, ter sumit, ac in tribus distinctis locis, thus in thuribulum iniicit, dicens: *Ab illo benedicaris, in cuius honore cremaberis. Amen*; quae verba ita distribuere potest ut ad primam impositionem dicat: *Ab illo benedicaris*; ad secundam: *in cuius honore*; ad tertiam: *cremaberis. Amen*. Tunc cochlear Presbytero Assistenti reddit, et, sinistra infra pectus posita, format dextera signum Crucis super thus in thuribulo (Rit. in celebr. Miss., Tit. IV, n. 4; Caer. Episc., L. I, cap. XXIII, n. 1 et 2; D. 2515 ad 10).

Ad initium Cantici: *Magnificat* Episcopus surgit cum mitra; facto signo Crucis super se, manu sinistra accipit baculum, ad Altare inter Diaconos Assistentes procedit, nihil dicens, et, facta reverentia Choro, illum benedicit (D. 2682 ad 19). Ante infimum Altaris gradum baculum et mitram deponit, reverentiam Cruci peragit, ascendit ad medium Altaris quod osculatur. Accepto thuribulo a Presbytero Assistente, adolet Altare sicut in initio Missae (v. n. 859) dicendo interim, si adsit consuetudo, Canticum: *Magnificat* etc., alternatim cum Diaconis Assistentibus, singulos Versus congruenter distribuendo, atque *Gloria Patri* etc., tunc profert, incensatione completa, postquam thuribulum tradiderit Presbytero Assistenti in cornu Epistolae.

Si Episcopus non recitat Canticum, dum thurificat Altare, sane satisfacit obligationi Officii divini (S. C. Conc. Lincien. Divini Officii 17 Apr. et 10 Iul. 1921).

Episcopus, tradito thuribulo Presbytero Assistenti, vel absoluto: *Gloria Patri* etc., in cornu Epistolae, mitram et baculum recipit, in medio Altaris Cruci reverentiam iterat et per brevioram viam ad Thronum redit, Chorum salutans et benedicens.

Quum ad Sedem pervenerit, stans cum mitra et baculum tenens inter manus iunctas, thurificatur a Presbytero Assistente cui nullam reverentiam facit, sed illum postea benedicit; tunc sedet, mitram deponit, iterum surgit, eodem modo baculo retento, stat usque ad finem Cantici, caput ad: *Gloria Patri* etc., inclinans; ad: *Sicut erat* etc., Ministro baculum tradit, sedet et mitram pretiosam accipit.

568. — Repetita Antiphona, Episcopus mitram deponit, surgit; stans versus populum cantat: *Dominus vobiscum*, deinde versus

Altare: *Oremus* et Orationem competentem cum sua conclusione, nec non alias Orationes, iuxta Rubricas Breviarii, ac postea repetit: *Dominus vobiscum*.

Decantato a duobus Cantoribus: *Benedicamus Domino*, et responso a Choro: *Deo gratias*, Episcopus non dicit: *Fidelium animae* etc., sed sedet, accipit mitram, deinde surgit et benedictionem solemnem dat « stans in sua sede, si inde a populo commode videri potest, sin minus, accepto baculo pastorali, accedit ad Altare » (Caer. Episc., L. II, cap. I, n. 18).

569. — Episcopus stans in sua Sede, sinistra infra pectus posita, cantat: *Sit nomen Domini benedictum*, interim formans dextero pollice sibi in pectore Crucis signum; eoque formato, manus ante pectus iungit. Responso a Choro: *Ex hoc nunc et usque in saeculum*, cantat: *Adiutorium nostrum in nomine Domini*. Dum haec profert verba, dextera manu, signat se signo Crucis a fronte ad pectus, et a sinistro humero ad dexterum, tangens se in unoquoque verbo, videlicet dum dicit: *Adiutorium*, in fronte; *nostrum*, infra pectus; *in nomine*, in sinistro humero; *Domini*, in dextero; deinde ante pectus iungit manus, donec a Choro respondeatur: *Qui fecit coelum et terram*. Cum dicit: *Benedicat vos omnipotens Deus*, elevat oculos, manus expandit, sublevat ac ante faciem iungit, et accipiens, sinistra manu, baculum, dicit: *Pater*, signat populum versus latus suum sinistrum; dicens: *et Filius*, signat ante faciem suam, et demum dicens: *et Spiritus Sanctus*, versus latus suum dexterum signat. Responso a Choro: *Amen*, baculum deponit et sedet. Si Episcopus uti Cruce potest, tunc responso a Choro: *Deo gratias*, post: *Benedicamus Domino*, perstat, absque mitra, et benedictionem impertit modo supra descripto.

570. — Si vero Episcopus in medio Altaris benedictionem impertiat, tunc sequenti modo se gerit:

Responso a Choro: *Deo gratias*, post: *Benedicamus Domino*, Episcopus sedet, mitram accipit; ad nutum Caeremoniarii surgit et, accepto baculo, medius inter Diaconos Assistentes ad Altare procedit, se ut supra gerens; cum ante infimum eius gradum pervenerit, baculum dimittit et ascendit, reverentia Crucis facta, ad medium. Stans ponit super Altare sinistram manum et cantat: *Sit nomen Domini benedictum*, et se ut supra gerit, sed, formato signo Crucis in pectore, etiam dexteram manum super Altare ponit. Dicens: *Benedicat vos* etc., pariter ut supra se gerit, sed, accepto baculo « dum dicit: *Pater*, vertit se ad latus Epistolae et ibi signat populum; dicens: *et Filius*, vertit se directe ad populum, in medio Ecclesiae existentem, signans iterum; dicens vero: *et Spi-*

ritus Sanctus, vertit se ad latus Evangelii, et ibi tertio signat populum, perficiendo circulum » (Caer. Episc., L. I, cap. XXV, n. 5); Crucis reverentia peracta, de Altari descendit et ad Thronum revertit.

Si Episcopus uti Cruce potest, tunc cum ante infimum Altaris gradum pervenerit dimittit baculum ac mitram, ascendit Altare, in medio se ad populum vertit et se ut sub n. praecedenti notavimus gerit ad benedictionem impertiendam ex Throno. Benedictione impertita, mitram accipit, de Altari descendit, Crucis reverentia facta, Chorum salutatur et benedicit, ad Thronum se confert, ubi baculum deponit, sedet, mitram et paramenta dimittit.

Cappa et Cruce pectorali reassumptis, biretum accipit et se gerit ut sub n. 527 diximus.

ARTICULUS III.

De Presbytero Assistente in Vesperis pontificalibus ad Thronum.

571. — Presbyter Assistens, de cuius officio generatim diximus sub n. 538 et 539, cum ceteris Canonicis, more solito, ad associandum Episcopum procedit et in accessu ad Ecclesiam, si dignior e Capitulo, se gerit ut supra tradidimus (v. n. 522 et 524).

Cum ad Altare maius pervenerit, se confert cum Diaconis Assistentibus, vel ad mensam a tergo Altaris, vel in Sacristiam eidem Altari contiguam et assumit, deposita cappa, si ea utatur, amictum et pluviale super rocchetto, vel super superpelliceum.

Si vero numerus Canonicorum magnus sit, tunc Presbyter Assistens non procedit ad associandum Episcopum, sed pergit vel ad Sacristiam maiori Altari contiguam, vel ad mensam a tergo ipsius Altaris, ubi amictum et pluviale accipit (D. 2471 ad 1).

572. — Ad nutum Caeremoniarii secundi, una cum Diaconis Assistentibus, sed ultimo loco, ad Altare maius procedit ubi, medius inter eosdem Diaconos, Crucis reverentiam peragit et ad Thronum accedit; reverentia Episcopo facta, sistit ante scabellum suum super quod biretum deponit.

Recitato *Pater* et *Ave*, Presbyter Assistens Breviarium accipit a Ministro de libro, se ante Episcopum confert, reverentiam peragit et librum super caput suum sustinet apertum. Postquam Episcopus intonaverit: *Deus, in adiutorium* etc., Ministro Breviarium reddit, reverentiam Episcopo iterat et ante scabellum suum sistit.

Si vero Episcopus memoriter canit: *Deus, in adiutorium* etc., tunc Presbyter Assistens, suo in loco, ad haec verba se signat. Ad: *Gloria*

Patri etc., caput inclinat. Quum Episcopo prima Antiphona praeintonatur, Presbyter Assistens accipit a Ministro libri Breviarium; praeintonata Antiphona, se ut supra gerit, et ita Antiphona ab Episcopo intonata.

573. — Incepto primo Psalmo, sedet et caput cooperit. Ad: *Gloria Patri* etc., in fine cuiusque Psalmi, et ad verba quae reverentiam exposcunt, caput aperit, et se inclinat.

Ad praeintonationem secundae, tertiae et quintae Antiphonae, simul cum Diaconis Assistentibus surgit, detecto capite; intonata Antiphona, statim sedet et caput cooperit. Ipse tertiam Antiphonam intonat.

574. — Post repetitionem quintae Antiphonae, ad nutum Caeremoniarum, detecto capite, surgit; ad Capitulum sistit, iunctis manibus, ante scabellum suum et cum Episcopo Hymnum intonaturus est, a Ministro de libro Breviarium accipit et se gerit ut ad primam Antiphonam.

Si vero ad principium Hymni genuflectendum est, ut evenit ad: *Veni, Creator Spiritus*, et ad: *Ave, maris stella*, tradito Breviario Ministro de libro, cum Episcopo genuflectit usque ad finem primae strophae, dein surgit et ante scabellum suum consistit.

Sub integra strophae: *O Crux, ave*, etc., Hymni: *Vexilla Regis* etc., pariter genuflectit (DD. 1322 ad 13; 1583 ad 7), et sub strophae: *Tantum ergo* etc., Hymni: *Pange, lingua*, etc.; si SS. Sacramentum non est expositum, servanda est cuiusque Ecclesiae consuetudo (D. 1280 ad 2). Decantato Versiculo post Hymnum, iterum a Ministro libri accipit Breviarium et se gerit ut supra.

575. — Intonata ab Episcopo Antiphona ante Canticum: *Magnificat*, Presbyter Assistens Ministro Breviarium tradit et accipit a Thuriferario naviculam incensi, cochlear osculatur, deinde manum Episcopi sedentis, cochlear ei porrigit et ministrat, more solito, naviculam dicens: *Benedicite, Pater Reverendissime*; si Episcopus sit Cardinalis: *Benedicite, Eminentissime et Reverendissime Pater*. Thure imposito, cochlear, cum consuetis osculis, recipit et naviculam Thuriferario tradit; reverentia Episcopo peracta, sedet cum Diaconis Assistentibus.

576. — Post Cantici intonationem, ad nutum Caeremoniarum primi, surgit, Chorum salutatur cum Episcopo, ante illum praeit ad Altare, sistit ante infimum gradum ad cornu Epistolae, cum Episcopo Cruci reverentiam facit et ab eadem parte, dum Episcopus per medium, ipse ad Altare ascendit.

A Thuriferario accipit thuribulum quod, postquam Episcopus Altare osculatus fuerit, ei, cum consuetis osculis, offert, dein in planum descendit et in cornu Epistolae versus ad Altare, iunctis manibus, consistit.

Thurificatione Altaris completa, ascendit ad Altare et cum solitis osculis recipit ab Episcopo thuribulum, quod statim Thuriferario tradit; tum, reverentia Cruci facta, ante Episcopum praeit ad Thronum, ante cuius infimum gradum consistit et se versus sinistram partem retrahit ut Episcopus medius inter Diaconos Assistentes transire possit.

Presbyter Assistens cum Episcopo ad Sedem suam pervenerit, thuribulum accipit; ante eum stans, cum consuetis reverentiis, prius ac post, illum thurificat. Tradito thuribulo Praeintonatori, accedit ad scabellum suum, ubi, stans, duplici ductu, thurificatur.

577. — Cantico absoluto, sedet, caput cooperit; repetita Antiphona post: *Magnificat*, surgit, Breviarium a Ministro accipit et ad Orationem, vel ad Orationes, Breviarium, ut supra, sustinet.

Absoluta Oratione Officii, vel ultima Commemoratione, Breviarium claudit et se ad locum suum confert, ubi consistit.

578. — Responso a Choro: *Deo gratias*, post: *Benedicamus Domino*, Presbyter Assistens, si adsit consuetudo, accipit librum a Ministro et, more solito, ante Episcopum sustinet, sed in benedictionis actu, recedit ex una parte, retinens adhuc librum apertum, ne populi conspectum Episcopo impediatur.

Ad: *Benedicat vos* etc., si librum non sustineat se profunde inclinatur.

579. — Si benedictio danda est ad Altare, tunc Presbyter Assistens praeit ante Episcopum ad Altare et ante infimum gradum se retrahit versus cornu Epistolae, ut Episcopus cum Diaconis Assistentibus transire possit.

Ad benedictionem se ut supra gerit, dein ante Episcopum procedit ad Thronum; ad scabellum suum consistit, donec Episcopus paramenta deposuerit, ac postea de Throno descendit; medius inter Diaconos Assistentes reverentiam Episcopo peragit, et accedit ad mensam a tergo Altaris, vel ad Sacristiam eidem Altari contiguam, ubi pluviale atque amictum deponit; cappam, si ea utitur, reassumit ac tandem se aliis Canonicis conformat (v. n. 527 et 528).

ARTICULUS IV.

De Diaconis Assistantibus in Vesperis pontificalibus ad Thronum.

580. — **Diaconi Assistantes**, de quorum officio generatim diximus sub n. 540 et seqq. cum ceteris Canonicis, more solito, procedunt ad associandum Episcopum (v. n. 519 et seqq.). Cum ad Altare maius pervenerint, se conferunt cum Presbytero Assistente, vel ad mensam a tergo Altaris, vel ad Sacristiam eidem Altari contiguam, et assumunt, cappis depositis, si eis utantur, amictum et dalmaticam.

Si vero Canonicorum numerus magnus sit, tunc **Diaconi Assistantes** non procedunt ad associandum Episcopum, sed pergunt cum Presbytero Assistente ad Sacristiam maiori Altari contiguam, vel ad mensam a tergo ipsius Altaris, ubi amictum et dalmaticam assumunt.

581. — Ad nutum Caeremoniarum secundi unus post alium ad Altare procedunt.

Si ad Presbyterium pervenerint ex parte Evangelii, **Diaconus primus**, absque reverentia in medio, procedit usque ad cornu Epistolae et subsistit ante infimum Altaris gradum ad sinistram Caeremoniarum secundi; **Diaconus secundus** sistit ante infimum Altaris gradum, in cornu Evangelii, et aliquantulum recedit ut Diaconus primus et Presbyter Assistens transire possint; deinde una cum Presbytero Assistente **uterque** Cruci reverentiam facit, super sinistram suam se convertit et iterum unus post alium **ambo** ad Thronum accedunt. Cum ante Thronum pervenerint, **Diaconus primus** ad sinistram sistit, **secundus** ad dexteram; facta Episcopo reverentia, **Diaconus primus** ascendit ad dexteram Episcopi, **alter** ad sinistram, ibi **ambo** sistunt et bireta super scabella deponunt.

Si ad Presbyterium ex parte Epistolae pervenerint, tunc **Diaconus primus** subsistit ante infimum Altaris gradum, in cornu Epistolae, et aliquantulum recedit ad sinistram Caeremoniarum secundi ut Presbyter Assistens possit transire cum **secundo Diacono qui**, absque reverentia in medio, procedit usque ad cornu Evangelii et subsistit ante infimum Altaris gradum; **uterque**, facta cum Presbytero Assistente reverentia Cruci, se ut supra gerit.

582. — **Diaconus primus** accipit singula paramenta a Caeremoniarum primo et illis, adiuvante **secundo Diacono**, Episcopum induit sequenti modo:

Amictum accipit circa extremitates et chordulas, eum, iuxta parvam Crucem, osculatur, illumque Episcopo in medio osculandum, ubi Crux adest, offert; albam super Episcopi caput immittit, deinde circa collum et brachia aptat; cingulo albam constringit eamque ita aptat ut circumcirca aequaliter defluat; deosculata in parte Cruce pectorali, Episcopo osculandam offert et eius collo imponit ita ut ante pectus pendeat; accepta stola, etiam illam, iuxta Crucem, osculatur, tum Episcopo offert deosculandam in Cruce, eamque super humeros eius ita applicat ut nec collum tegat, nec transversa sit in modum Crucis, sed aequaliter ante pectus pendeat; accepto pluviali, illud Episcopo imponit, tandem mitram ei imponit (v. n. 542).

583. — **Diaconus secundus** ad nutum Caeremoniarum secundi, mitram aufert (v. n. 543).

Diaconus primus cum Episcopus cantat: *Deus, in adiutorium etc.*, fimbriam pluvialis, manu sinistra, elevat, **uterque** se signat; ad: *Gloria Patri etc.*, inclinationem facit.

Cum Episcopus primam Antiphonam intonat, **alteruter**, pro re, digito textum indicat, et, si opus est, folium volvit. Et ita se gerit ad intonationem Hymni, Antiphonae ante: *Magnificat* et ad cantum Orationis, vel Orationum.

Primus Diaconus, incepto primo Psalmo, Episcopo sedenti, mitram auriphrygiatam imponit, dein **ambo**, nutu capitis se invicem ad sedendum invitante, prout in his casibus semper faciunt, sedent et caput tegunt.

Ad: *Gloria Patri etc.*, in fine cuiusque Psalmi, et ad verba quae reverentiam exposcunt, caput detegunt et se inclinant.

Ad praeintonationem secundae, tertiae, et quintae Antiphonae, simul cum Presbytero Assistente surgunt, detecto capite; Antiphona intonata, statim sedent et caput cooperiunt; **Diaconus primus** intonat secundam Antiphonam, **alter** quintam.

584. — Repetita quinta Antiphona, **ambo** surgunt ad nutum Caeremoniarum primi; ad Capitulum sistunt, iunctis manibus. **Secundus Diaconus**, praeintonato Hymno, Episcopo mitram aufert. Si ad principium Hymni genuflectendum est, ut evenit ad: *Veni, Creator Spiritus*, et ad: *Ave, maris stella*, **Diaconus primus** aufert Episcopo pileolum (D. 2097 ad 2), dein **ambo** cum Episcopo genuflectunt, pluviale elevantes et decenter aptantes, usque ad finem primae strophae; qua absoluta, **Diaconus primus** pileolum Episcopo reponit, dein **ambo** surgunt.

Sub integra stropha: *O Crux, ave*, etc., Hymni: *Vexilla Regis* etc., pariter genuflectunt (DD. 1322 ad 13; 1583 ad 7) et sub stropha: *Tantum ergo* etc., Hymni: *Pange, lingua*, etc.; si SS. Sacramentum non est expositum, servanda est cuiusque Ecclesiae consuetudo (D. 1280 ad 2).

585. — Cum Episcopus, intonata Antiphona ad: *Magnificat*, sedet, **primus Diaconus** mitram pretiosam imponit; **ambo** stantes ad impositionem incensi sustinent fimbrias pluvialis Episcopi; thure imposito, sedent cum Presbytero Assistente. Cantico incepto, surgunt, bireta super scabella deponunt; elevantes fimbrias pluvialis Episcopi ad Altare procedunt, et cum eodem Episcopo Chorum salutant. **Diaconus secundus** ante infimum Altaris gradum mitram Episcopo aufert; **ambo** cum Episcopo reverentiam Cruci faciunt, Altare ascendunt, sustinentes fimbrias pluvialis, et, si opus sit, albam elevantes.

Ad Altaris incensationem reverentiam faciunt quoties Episcopus reverentiam faciat, et cum eo alternatim dicentes, si adsit consuetudo, Canticum: *Magnificat* etc.

Diaconus primus, postquam Episcopus thuribulum Presbytero Assistenti tradiderit, in cornu Epistolae, mitram imponit; **ambo**, una cum Episcopo, reverentia Cruci facta, ad Thronum, pluvialis fimbrias sustinentes, pergunt.

Episcopo incensato, **Diaconus primus** pluviale elevat dum Episcopus benedicit Presbyterum Assistentem, **secundus** mox mitram aufert.

Primus Diaconus, duplici ductu, thurificatur post Presbyterum Assistentem; **alter**, post Diaconum primum.

Cantico absoluto, **primus Diaconus** mitram Episcopo imponit, dein **ambo** sedent. Repetita Antiphona post: *Magnificat*, iterum surgunt, dein **secundus Diaconus** mitram aufert. Ad Orationem, vel Orationes, **ambo** se gerunt ut ad intonationem primae Antiphonae.

586. — Responso a Choro: *Deo gratias*, post: *Benedicamus Domino*, si benedictio pontificalis danda est ad Thronum et Episcopus uti Cruce nequit, **Diaconus primus** mitram ei imponit. **Ambo** ad: *Benedicat vos*, elevant fimbrias pluvialis et stantes profunde se inclinant.

Si vero benedictio pontificalis impertienda est ad Altare, **primus Diaconus**, responso a Choro: *Deo gratias*, post: *Benedicamus Domino*, mitram Episcopo imponit, deinde **ambo** elevantes fimbrias pluvialis Episcopi ad Altare procedunt et, cum eodem Episcopo, Chorum salutant; dum Episcopus benedictionem impertit, consistunt in

superiori gradu et se profunde inclinant, ut supra; benedictione impertita, Cruci reverentiam peragunt, loca permutant et elevantes fimbrias pluvialis cum Episcopo ad Thronum revertuntur.

Si Episcopus uti Cruce potest, se ut supra gerunt, sed cum ille in suppedaneo Altaris consistit, **Diaconus secundus** mitram aufert, quam, benedictione impertita, **Diaconus primus** imponit.

587. — Cum Episcopus in Cathedra sederit, **Diaconus secundus** mitram aufert; **Diaconus primus**, altero adjuvante, Episcopum exiit, tum primum aufert pluviale, stolam, Crucem pectoralem, cingulum, albam, amictum; stolam, Crucem pectoralem, amictum ipsi osculanda praebet et omnia Caeremoniario primo tradit.

588. — Tradito amictu Caeremoniario, **Diaconi Assistentes** cum Presbytero Assistente de Throno descendunt, reverentiam Episcopo faciunt et, ordine quo venerant, procedunt vel ad mensam a tergo Altaris, vel ad Sacristiam eidem Altari contiguam, ubi amictus ac dalmaticas deponunt, cappam, si ea utuntur, reassumunt, dein cum ceteris Canonicis Episcopum associant.

ARTICULUS V.

De Praeintonatore in Vesperis pontificalibus ad Thronum.

589. — Praeintonator, si Canonicus, procedit cum aliis, habitu choralis indutus, ad associandum Episcopum. Cum ad Altare maius pervenerit, facta brevi oratione, procedit cum aliis Canonicis ad Sacristiam capitularem ubi, deposita cappa, si ea utitur, amictum et tunicellam assumit. Cum ceteris ad Chorum revertitur, et, si ex ordine subdiaconali sit, suo loco sedet; si vero praebendae distinctae non sunt, in ultimo stallo sedet (D. 544 ad 1); in omnibus se aliis Canonicis conformat, sed animadvertat sequentia:

Ad Versum: *Sicut erat* etc., post: *Deus, in adiutorium* etc., respondet cum capitis inclinatione ad invitationem secundi Caeremoniarii et cum eo ad Thronum procedit, facta Cruci Altaris reverentia, si ante eam transeat, non vero Choro. Consistens ante Episcopum reverentiam ei facit; accepto libro a Caeremoniario secundo, primam Antiphonam Episcopo praeintonat, scilicet tonum praecinit Antiphonam inchoando, seu prima illius verba, submissa voce cantando; quo facto, Caeremoniario secundo tradit librum et perstat donec per Episcopum non fuerit praetintonatio repetita, ac postea, factis debitis reverentiis Episcopo et Altari, ad locum suum, cum

Caeremoniario redit, ubi salutationi ipsius Caeremoniarii respondet cum capitis inclinatione.

Simili modo se gerit ad praeintonationem aliarum Antiphonarum, sequentem servando ordinem: secundam Antiphonam praeintonat primo Diacono Assistenti; tertiam Presbytero Assistenti; quartam digniori Canonico in Choro praesenti; quintam secundo Diacono Assistenti (Caer. Episc., L. II, cap. I, n. 9; DD. 724; 867; 2049 ad 18).

Cum sistit ante illum cui praeintonatio facienda est, caput ei inclinatur, tunc erectus Antiphonam praecinit; qua intonata, iterum ei caput inclinatur, dein, debitis cum reverentiis, ad locum suum pergit.

590. — Dum a Choro repetitur quinta Antiphona, Praeintonator, Caeremoniario secundo invitante, surgit, ad cornu Epistolae accedit, ubi in conspectu Episcopi consistit; ab eodem Caeremoniario librum accipit, cantat Capitulum, alta et aequali voce; quo absoluto, tradit Caeremoniario secundo librum, ad Thronum, ut alias, accedit et Episcopo Hymnum praecinit.

Si ad initium Hymni genuflectendum est, ut evenit ad: *Veni, Creator etc.*, et ad: *Ave, maris stella, etc.*, tunc, Hymno ab Episcopo intonato, ibidem genuflectit, facie ad Altare versa, usque ad finem primae strophae; ea completa, surgit.

Hymno ab Episcopo intonato, vel prima strophæ decantata, si ad eius initium genuflectendum est, se ad sinistram Throni retrahit, ubi perstat donec a duobus Cantoribus Versiculus post Hymnum decantatur.

Sub integra strophæ: *O Crux, ave, etc.*, Hymni: *Vexilla Regis etc.*, pariter genuflectit (DD. 1322 ad 13; 1583 ad 7), et sub strophæ: *Tantum ergo etc.*, Hymni: *Pange, lingua, etc.*; si SS. Sacramentum non est expositum, servanda est cuiusque Ecclesiae consuetudo (D. 1280 ad 2).

Dum a Choro Responsum Versiculi canitur, Praeintonator iterum ante Episcopum, ut supra, se confert eique Antiphonam ad: *Magnificat*, more solito, praeintonat; qua intonata, debitis cum reverentiis, ad locum suum revertitur.

591. — Dum Episcopus incensatur, accedit ad Thronum, comite Caeremoniario secundo; consistit prope Presbyteri Assistantis dexteram, sed aliquantulum retro. Thurificato Episcopo, accipit thuribulum a Presbytero Assistente, absque osculis, et, reverentia Episcopo peracta, se super sinistram suam aliquantulum convertit; duplici ductu, reverentiis prius ac postea factis, Presbyterum Assistantem

incensat, deinde, eodem modo, thurificat primum Diaconum Assistentem; quo incensato, in medium ante Thronum revertitur, Episcopo reverentiam peragit; conversus aliquantulum super suam dexteram adolet, ut supra, secundum Diaconum Assistentem, iterum se in medium ante Thronum confert, Episcopo reverentiam facit et ad Chorum incensandum procedit.

Chori thurificatio incipienda est a parte in qua dignior ex praesentibus in stallis superioribus sedet; qua ordine successivo thurificata, prosequitur in altera parte, facto initio a digniore illius partis (DD. 851; 1339; 1481). Praeintonator singulos Canonicos, duplici ductu, cum reverentia ante et post incensat (DD. 216; 805 ad 2; 1571; 1773 ad 4), deinde thuribulum tradit Thuriferario.

Si adsint Canonici Episcopi, tunc Praeintonator, thurificato secundo Diacono Assistente, incensat, duplici ductu, digniorem ex Episcopis praesentibus, et Episcopum, vel Episcopos, qui in eadem parte extant; deinde incensat Episcopum, vel Episcopos, qui in altera parte consistunt, ac postea Canonicos in eadem parte, tandem Canonicos qui in parte dignioris Episcopi adsunt.

Si vero adsint Episcopi in sedibus extra Canonicorum sedilia, tunc incensandi sunt ante Chorum, quamvis inter Canonicos adsit Canonicus Episcopus, qui, sive ob gradum, sive ob electionem, praecedentia gaudeat super alios Episcopos praesentes.

Canonicis thurificatis, Praeintonator thuribulum tradit Thuriferario et pergit ad locum suum, in quo ab eodem Thuriferario incensatur.

592. — Si Praeintonatoris officium fungatur ab alio « ad quem de Ecclesiae consuetudine spectat » (Caer. Episc., L. II, cap. I, n. 7), et Canonicus non sit, tunc ipse, « in habitu in quo reperitur », se gerit ut supra exposuimus de Praeintonatore Canonico, sed loco reverentiae Altari et Episcopo, genuflexionem et ante Altare et ante Episcopum peragit.

ARTICULUS VI.

De Canonicis deque ceteris Choralibus in Vesperis pontificalibus ad Thronum.

593. — **Canonici**, habitu choralis induti, more solito, associant Episcopum (v. n. 519 et seqq.).

Quum ad Altare maius pervenerint, **duo Canonici** ex ordine diaconali, si praebendae sint distinctae, alias duo ex dignioribus

genuflectunt ad latera Faldistorii et super illud cappam Episcopi extendunt; **dignior** accipit a Caeremoniario ipsius Episcopi biretum. Surgente Episcopo, et **ipsi** surgunt eumque ad Thronum comitantur; **primus Assistens** Episcopo sedenti biretum porrigit; **ambo** sedent donec **Diaconi Assistentes** veniant; tunc **duo Canonici** surgunt, de Throno descendunt et, Episcopo reverentia facta, ad Sacristiam capitularem pergunt, ubi cum aliis Canonicis assumunt paramenta.

Ceteri vero **Canonici**, facta brevi oratione suis locis, ad nutum Acolythi, de Choro discedunt, debitis cum reverentiis Altari et Episcopo, atque ordinatim, scilicet bini et bini, **digniores** prius deinde **iuniores**, Acolytho praecedente, ad Sacristiam capitularem pergunt, ubi choralia insignia dimittunt, et assumunt amictum ac paramentum suo ordini conveniens nempe: **Canonici Subdiaconi** assumunt tunicellam, **Diaconi** dalmaticam, **Presbyteri** planetam, **Dignitates** pluviale, si praebendae sint distinctae; alias, **dignitates** assumunt pluviale, **ceteri omnes** planetam.

Canonici, iuxta ordinem praecedentiae, Acolytho invitante, ad Altare maius accedunt, et cum ad sua loca pervenerint, facta brevi oratione, consistunt, quia et Episcopus stat dum paramenta accipit.

Si adsint **Canonici Episcopi**, suis in locis, Clericis adiuvantibus, deponere possunt Crucem pectoralem et mantelletum ac assumere amictum, Crucem atque pluviale (DD. 2283 ad 3; 2706 ad 6) et sistunt absque mitra.

594. — **Omnes** secreto recitant *Pater* et *Ave*, deinde se signant ad: *Deus, in adiutorium* etc.; ad: *Gloria Patri* etc., profunde se inclinant ad Altaris Crucem. Incepto primo Versu Psalmi, sedent et caput cooperiunt.

Canonici Episcopi sedent, dein per seipsos (D. 2283 ad 6) imponunt mitram ex tela linea (l. c. ad 5), vel e serico damasceno, si huiusmodi materiae Canonici gaudent privilegio mitrae.

In sedendo autem et surgendo attendendum est, ne sedeant antequam Episcopus sedeat, ne surgant postquam surrexerit.

In fine cuiuslibet Psalmi ad: *Gloria Patri* etc., caput detegunt et profunde illud inclinant, sicut etiam ad verba quae reverentiam exposcunt.

Canonici Episcopi tantum caput inclinant.

595. — **Dignior Canonicus** in Choro praesens ad intonationem quartae Antiphonae, detecto capite, surgit eamque intonat; qua intonata, statim sedet et caput cooperit.

Cum a digniori Canonico intonatur quarta Antiphona, ab **omnibus** est surgendum in Choro praesentibus, vel ab una illius qui intonat parte, vel ab utraque, iuxta Ecclesiarum consuetudinem (D. 3781 ad 2). Antiphona intonata, statim **omnes** sedent et caput cooperiunt. Repetita quinta Antiphona, **omnes** simul surgunt.

596. — Si ad principium Hymni genuflectendum est, ut evenit ad: *Veni, Creator* etc., et ad: *Ave, maris stella*, etc., id praestant in propriis locis ac genuflexi manent ad totam primam stropham; pariter genuflectunt sub integra stropha: *O Crux, ave*, etc., Hymni: *Vexilla Regis* etc. (DD. 1322 ad 13; 1583 ad 7) et sub stropha *Tantum ergo* etc., Hymni: *Pange, lingua*, etc.; si SS. Sacramentum non est expositum, servanda est cuiusque Ecclesiae consuetudo (D. 1280 ad 2).

Intonata Antiphona ad: *Magnificat*, sedent **omnes** et caput cooperiunt.

Dum intonatur Canticum surgunt, se signant et Episcopo, Chorum salutanti, profunde se inclinant, quod servandum est, etiam cum Episcopus ad sedem revertitur.

597. — **Canonici** dum thurificantur, stare debent, iunctis manibus et absque pileolo, si eo utantur, nisi episcopali dignitate insigniti (DD. 1258 ad 1; 1324; 1650 ad 6), ac alter alterum immediate subsequentem capitis inclinatione invitatur ad thurificationem excipiendam. « Si is, qui thurificat, sit aequalis dignitatis cum eo qui thurificandus est, aut etiam maioris, invicem, capite inclinato, sibi reverentias faciunt ante et post thurificationem; si vero, qui thurificat, minor est, ipse quidem versus maiores caput profunde inclinat ante et post, illi autem parum, vel nihil versus thurificantem correspondent pro qualitate ipsius thurificantis » (Caer. Episc., L. I, cap. XXIII, n. 20). Dum repetitur Antiphona post: *Magnificat*, sedente Episcopo, **Chorales** et ipsi sedent, seque **omnes** erigunt cum Episcopus surgit.

598. — Impertita benedictione, vel cum Episcopus ad Thronum pervenerit, si benedictio ad Altare data fuerit, **duo Canonici** ex ordine diaconali, si praebendae distinctae sint, alias duo ex dignioribus procedunt ad Sacristiam capitularem ubi, paramentis depositis, cappam, si ea utantur, reassumunt, dein ad Altare revertuntur et ad Thronum pergunt.

Quum Diaconi Assistentes de Throno descendunt et pergunt ad paramenta deponenda, debitis cum reverentiis ad latera Episcopi accedunt et cum eo procedunt ad Faldistorium super quod, ut supra,

cappam extendunt. Surgente Episcopo, et ipsi surgunt; **primus Assistens** biretum Episcopo porrigit, deinde **ambo** recedunt et, suis in locis, Episcopum sequuntur.

Ceteri Canonici, debitis cum reverentiis Altari et Episcopo, eodem ordine quo venerunt, pergunt ad Sacristiam capitularem, ubi, Clericis adiuvantibus, paramenta deponunt, insignia choralia reassumunt; Clerico invitante, ad Chorum redeunt ordinatim scilicet bini et bini digniores prius, deinde iuniores.

Canonici Episcopi dimittere possunt paramenta et reassumere mantelletum ac Crucem pectoralem suis in locis.

Cappa et Cruce pectorali ab Episcopo reassumptis, **omnes** se gerunt ut sub n. 527 et 528 notavimus.

ARTICULUS VII.

De Caeremoniario primo in Vesperis pontificalibus ad Thronum.

599. — Perlegat Caeremoniarius primus quod circa eius honorabile officium tradidimus sub n. 548 et sequentibus.

Omnibus ad Vesperas rite dispositis et dato signo cum campana, iuxta locorum consuetudinem, Canonicos et alios de more invitat ad associandum Episcopum (v. n. 519 et seqq.) illosque praecedit.

In accessu ad Ecclesiam sequens servetur ordo:

1. Familiares Episcopi;
2. Crucifer (si adsit);
3. Episcopus;
4. Caudatarius;
5. Canonici;
6. Beneficiati;
7. Clerus Ecclesiae cathedralis;
8. Canonici Ecclesiarum collegialium;
9. Parochi civitatis;
10. Clerus dioecesanus;
11. Clerici Seminarii.

600. — Ad Ecclesiae ianuam, Caeremoniarius, ante aspersionem, cum osculis biretum Episcopi accipit quod, aspersione absoluta, pariter cum osculis ei reddit. Ad Altare SS. Sacramenti, iterum Episcopi biretum accipit, genuflectit in plano et, brevi oratione facta, surgit, SS. Sacramento genuflexionem peragit, reddit Episcopo biretum,

quod rursus accipit cum Episcopus ad Faldistorium pervenerit ante Altare maius, et illud tradit Canonico, qui assistit ad Episcopi dexteram. Brevi oratione ab Episcopo facta, cum eo ad Thronum procedit.

Cum Diaconi Assistentes ad Thronum accedunt, innuit ut Episcopus caput detegat et aufert Crucem pectoralem, quam ei deosculandam praebet, ac postea deponit in lance a Clerico sustentata. Cappa ab Episcopo dimissa, singula paramenta a Clericis accipit et, absque osculis, primo Diacono Assistenti tradit.

601. — Episcopo parato, surgendi signum ei dat; incepto primo Versu Psalmi signum sedendi dat, itemque Episcopo caput inclinandi, et Presbytero Assistenti nec non Diaconis Assistentibus detegendi atque inclinandi caput ad: *Gloria Patri* etc., in fine cuiusque Psalmi et ad verba quae reverentiam exposcunt.

Cum Praeintonator ad Thronum accedit ut Antiphonas praeintonet, Presbytero et Diaconis Assistentibus signum surgendi dat. Antiphona intonata, innuit ut sedant; pariter, repetita Antiphona quinta, innuit ut omnes surgant.

602. — Si initium Hymni exprimit invocationem Iesu, praemoneat Episcopum ut caput ad Altaris Crucem inclinet.

Si autem ad principium Hymni genuflectendum sit, ut evenit ad: *Veni, Creator* etc., et ad: *Ave, maris stella*, etc., praemoneat Episcopum, ut, intonato Hymno, genuflectat super pulvino in gradu sedis Throni collocato, aliosque ut genuflectant in plano Solii, facie ad Altare versa. Pariter omnes genuflectere debent sub integra strophā: *O Crux, ave*, etc., Hymni: *Vexilla regis* etc. (DD. 1322 ad 13; 1583 ad 7), et sub strophā: *Tantum ergo* etc., Hymni: *Pange, lingua*, etc.; si SS. Sacramentum non est expositum, servanda est cuiusque Ecclesiae consuetudo (D. 1280 ad 2).

603. — Caeremoniarius, praeintonata Antiphona ad: *Magnificat*, praemoneat Episcopum ut, accepta mitra pretiosa, incensum in thuribulo sedens imponat.

Cantico intonato, signum surgendi dat et innuit ut Episcopus cum aliis ad Altare thurificandum procedat.

Si Episcopus uti Cruce potest, Caeremoniarius, decantato: *Benedicamus Domino*, innuit ut Crucifer eam accipiat et ante Episcopum, sive in Throno stantem, sive ad Altare, consistat.

Dum Episcopus paramenta deponit ea a primo Diacono accipit et Clericis tradit. Cappa ab Episcopo reassumpta, Crucem pectoralem ei imponit (v. n. 527).

ARTICULUS VIII.

De Caeremoniario secundo in Vesperis pontificalibus ad Thronum.

604. — Caeremoniarius secundus, de cuius officio generatim tradidimus sub n. 549, etiam animadvertere debet quae sub n. 551 exposuimus.

Cum Canonici ad associandum Episcopum procedunt, Caeremoniarius moneat Acolythum ut cum vasculo aquae benedictae ad ianuam Ecclesiae pergat, ibique ad sinistram subsistat et, aspersione absoluta, ac vasculo in suo loco reposito, ad Chorum se conferat, invitet Canonicos ad paramenta assumenda in Sacristia capitulari, et inde ad Chorum eos reducat. Curet etiam Caeremoniarius ut tempestive et campanae et organa pulsantur in accessu Episcopi ad Ecclesiam (v. n. 523).

605. — Presbytero Assistente et Diaconis Assistantibus paratis, eos, debitis cum reverentiis Cruci Altaris et Episcopo, ad Thronum ducit, innuit Clerico ut ex abaco lancem accipiat pro Cruce pectorali, et Ceroferariis ut Faldistorium de medio Presbyterii tollant; deinde suppedaneum Altaris conscendit, prope medium consistit, sed aliquanto versus cornu Epistolae; sublato velo, quo paramenta tegebantur, ipse Clericis paramenta distribuit, tandem baculum et mitram suo cuique Ministro porrigit.

606. — Ad: *Sicut erat* etc., post: *Gloria Patri* etc., accepto libro ex abaco, Praeintonatorem invitat, cum capitis inclinatione, et paullum a sinistris, praecedens eum, debitis cum reverentiis, ad Thronum ducit eique librum tradit, quem recipit, praeintonata Antiphona. Postquam Episcopus Antiphonam intonaverit, Praeintonatorem ad eius locum ducit. Si Praeintonator Canonicus non sit, tunc, loco inclinationum, cum eo genuflexionem facit.

Simili modo se gerit ad praeintonationem aliarum Antiphonarum, sequentem servando ordinem: Antiphona secunda praeintonanda est primo Diacono Assistenti; tertia Presbytero Assistenti; quarta digniori Canonico in Choro praesenti; quinta secundo Diacono Assistenti (Caer. Episc., L. II, cap. I, n. 9; DD. 724; 867; 2049 ad 18).

607. — Caeremoniarius, dum a Choro repetitur quinta Antiphona, Praeintonatorem, more solito, invitat eumque comitatur ad cornu Epistolae, in conspectu Episcopi, cui reverentiam peragit et Praein-

tonatori librum pro cantu Capituli tradit; quem recipit, decantato Capitulo, ac postea illum ad Thronum ducit, ubi iterum librum ei porrigit pro Hymni praeintonatione. Si ad initium Hymni genuflectendum est, ut evenit ad: *Veni, Creator Spiritus*, et ad: *Ave, maris stella*, praemoneat Praeintonatorem ut, Hymno ab Episcopo intonato, ibidem genuflectat, facie ad Altare versa, usque ad finem primae strophae.

Hymno ab Episcopo intonato, vel prima strophae decantata, si ad initium Hymni genuflectendum est, se cum Praeintonatore ad sinistram Throni retrahit, ubi perstat donec a duobus Cantoribus Versiculus post Hymnum decantetur.

Sub integra strophae: *O Crux, ave*, etc., Hymni: *Vexilla Regis* etc., pariter cum Praeintonatore genuflectit (DD. 1322 ad 13; 1583 ad 7), et sub strophae: *Tantum ergo* etc., Hymni: *Pange, lingua*, etc.; si SS. Sacramentum non est expositum, servanda est cuiusque Ecclesiae consuetudo (D. 1280 ad 2).

Dum a Choro Responsum Versiculi canitur, iterum Praeintonatorem ante Episcopum ducit et, Antiphona ab Episcopo intonata, ad eius locum reducit.

608. — Dum Presbyter Assistens Episcopum incensat, more solito, Praeintonatorem ad Thronum ducit ut ab eodem Presbytero Assistente thuribulum accipiat et ad incensationem procedat, ille vero revertit ad locum suum, monet Ceroferarios ut, Cantico absoluto, ad Thronum cum Ministris de libro et de candela se conferant.

609. — Ad: *Benedicamus Domino*, nisi formula benedictionis pontificalis in Breviario adsit, innuit Acolytho utumat ex abaco Canonem pontificalem, illumque, accepto Breviario, Ministro de libro porrigat.

610. — Vesperis completis et benedictione ab Episcopo data, Caeremoniarius innuit duobus Clericis ut Faldistorium in medio Presbyterio statuunt, accedit ad Altare et, acceptis a Clericis Episcopi paramentis, super illud deponit, dein ad Thronum se confert, Presbyterum ac Diaconos Assistentes in Sacristiam, vel ad mensam retro Altaris, ducit.

Dum Episcopus ab Ecclesia discedit, curet ut Episcopi paramenta, et omnia, quae super abaco sunt, in Sacristiam a Clericis deferantur.

ARTICULUS IX.

De Ministris libri et candelae in Vesperis pontificalibus ad Thronum.

611. — **Ministri libri et candelae**, circa quorum officium iam generatim diximus respective sub n. 554 et 555, cum aliis procedunt ad Episcopum associandum.

Cum Episcopus ad Altare maius pervenerit, hi **Ministri**, facta brevi oratione, cum Ministris de baculo et de mitra procedunt ad Sacristiam maiorem, ubi pluvialia assumunt ac statim bini et bini ad Altare revertuntur. Facta genuflexione Cruci Altaris et Episcopo, ad scamna apud abacum accedunt, ubi perstant donec Episcopus paramenta sumpserit, dein, accepto libro et candela, ad Thronum accedunt, debitis cum genuflexionibus.

Recitatis: *Pater* et: *Ave*, **Ministri** ascendunt planum solii; **Minister libri** tradit Breviarium Presbytero Assistenti; decantatis ab Episcopo: *Deus, in adiutorium* etc., illud recipit et cum **Ministro candelae** de Throno descendit; **ambo** recedunt in parte sinistra Throni donec Praeintonator praecinat Antiphonam, deinde accedunt ad Episcopum; **Minister libri** Breviarium Presbytero Assistenti tradit a quo recipit, Antiphona intonata; **ambo** de Throno descendunt et, Episcopo genuflexione peracta, ad abacum accedunt, ubi deponunt librum et candelam, ac postea ad sua scamna se conferunt.

Incepto primo Versu Psalmi, sedent, et se aliis Choralibus conformant, sed tantum surgunt ad intonationem secundae, tertiae et quintae Antiphonae.

612. — **Ministri**, absoluto cantu Capituli, accedunt ad Thronum et, Hymno praeintonato, **Minister libri** Presbytero Assistenti tradit Breviarium, quod recipit cum Episcopus Hymnum intonaverit, deinde **ambo** de Throno descendunt, se ad sinistram eiusdem Throni conferunt, aliis se conformant, et perstant donec Antiphona ad: *Magnificat* praeintonata fuerit; tunc iterum ad Episcopum accedunt et se ut supra gerunt. Antiphona intonata, ad abacum recedunt.

613. — Cantico absoluto, **Ministri** rursus ad Thronum accedunt, inter Ceroferarios cum cereis accensis, pro cantu Orationis, vel Orationum. Si benedictionem Episcopus ad Altare impertiat, tunc ad: *Dominus vobiscum*, post Orationem, vel ultimam Commemora-

tionem, descendunt de Throno et cum Ceroferariis ad abacum redeunt, ubi **Minister de libro**, deposito Breviario, accipit Canonem pontificalem, nisi formula benedictionis adsit in Breviario; **ambo** ad Altare accedunt, **Minister libri** eum collocat ad basim Crucis, **Minister candelae** palmatoriam collocat apud librum, versus latus Epistolae, nisi Episcopus uti Cruce possit; quo in casu, **Minister libri** sustinet librum ante Episcopum, **Minister candelae** apud Ministrum libri sistit, sed in actu benedictionis **ambo** recedunt ex utraque parte, ne populi conspectum Episcopo impediunt, et pariter perstant ad benedictionem; **Minister libri** adhuc librum apertum retinet.

Si Episcopus benedictionem in Sede dat, ad Thronum consistunt, etiam Oratione, vel ultima Commemoratione, decantata; **Minister libri** Breviarium Acolytha tradit a quo Canonem pontificalem accipit, nisi benedictionis formula in Breviario adsit. Decantato: *Deo gratias*, post *Benedicamus Domino*, ad Episcopum **ambo** accedunt; si adsit consuetudo, **Minister libri** tradit Presbytero Assistenti librum, alias ipse sustinet librum; in actu benedictionis **ambo** se ut supra gerunt. Benedictione impertita, ad abacum recedunt, ubi librum et candelam deponunt, deinde cum Ministris de baculo et de mitra procedunt, debitis cum genuflexionibus, ad Sacristiam ubi pluviale dimittunt.

ARTICULUS X.

De Ministris mitrae et baculi in Vesperis pontificalibus ad Thronum.

614. — **Ministri baculi et mitrae**, de quorum officio generatim diximus respective sub n. 556 et 557, cum aliis procedunt ad Episcopum associandum.

Cum Episcopus ad Altare maius pervenerit, hi **Ministri**, facta brevi oratione, cum Ministris de libro et de candela procedunt ad Sacristiam maiorem, ubi vimpam et pluviale assumunt ac statim bini et bini ad Altare revertuntur. Facta genuflexione Cruci Altaris et Episcopo, sistunt ante infimum Altaris gradum, **Minister mitrae** in cornu Epistolae, **Minister baculi** in cornu Evangelii. Cum Caeremoniarius secundus Ministro mitrae tradiderit mitram pretiosam, **ambo**, genuflexione iterata, ad Thronum pergunt, ubi Episcopo genuflectunt et ante scamna sua sistunt.

615. — **Minister de mitra**, Episcopo pluviali induto, primo Diacono Assistenti mitram pretiosam porrigit, mox discedit, se sistit ad

sinistram secundi Diaconi Assistantis, a quo mitram recipit eamque super Altaris mensam, vel super abacum, pro opportunitate, deponit et accipit auriphrygiatam.

Incepto primo Versu Psalmi, mitram auriphrygiatam Diacono primo porrigit, deinde **ambo**, suis in locis, sedent et se Assistantibus Episcopo conformant.

616. — Praeintonato Hymno, **Minister mitrae** a secundo Diacono mitram accipit.

Ambo, circa finem Hymni, debitis cum genuflexionibus, ad Altare vel ad abacum accedunt; **Minister mitrae** super mensam deponit mitram auriphrygiatam et accipit pretiosam, **alter** baculum accipit et **ambo** ad Thronum redeunt.

Intonata ab Episcopo Antiphona ad: *Magnificat*, **Minister mitrae** primo Diacono Assistenti mitram pretiosam porrigit.

617. — Facto ab Episcopo super se signo Crucis ad initium Cantici, **Minister baculi** ei tradit baculum; **ambo** sequuntur Episcopum ad Altare, cuius ante infimum gradum, **Minister** recipit baculum et in cornu Evangelii sistit; **Minister mitrae**, accepta a secundo Diacono mitra, sistit in cornu Epistolae.

Ambo, thurificato Altari, suppedaneum ascendunt; **Minister mitrae** primo Diacono Assistenti mitram pretiosam tradit, **alter** Episcopo baculum porrigit, dein **ambo** sequuntur Episcopum ad Thronum.

Cum Episcopus thurificationem acceperit, **Minister mitrae** a secundo Diacono mitram accipit; absoluto Cantico, **Minister baculi** illum ab Episcopo recipit et **Minister mitrae** primo Diacono mitram pretiosam porrigit, quam a secundo iterum accipit, repetita Antiphona.

618. — Si Episcopus benedictionem pontificalem in Sede impertiat et Cruce uti nequeat, tunc **Minister mitrae**, decantato a Choro: *Benedicamus Domino*, primo Diacono mitram pretiosam tradit; **Minister baculi** vero, dum Episcopus dicit: *Benedicat vos*, ei baculum porrigit; ad benedictionem **uterque** genuflectit; qua donata, **ambo** surgunt et **Minister baculi** eum ab Episcopo recipit; **Minister mitrae** pariter illam a secundo Diacono accipit, dein **ambo** genuflexionem Episcopo peragunt et ad Altare accedunt ubi, genuflexione facta, **Minister mitrae** super mensam eam deponit et **Minister baculi** in basi illum collocat.

Tandem **ambo**, una simul cum Ministris de libro et de candela, genuflexionem Altari et Episcopo faciunt; in Sacristiam maiorem redeunt, ibique pluvialia deponunt.

619. — Si benedictionem pontificalem Episcopus ad Altare impertiat, tunc, decantato: *Benedicamus Domino*, **Minister mitrae** eam primo Diacono tradit, **Minister baculi** Episcopo illum porrigit; **uterque** Episcopum sequitur ad Altare, ante cuius infimum gradum, **Minister baculi** eum ab Episcopo recipit et pariter **Minister mitrae** a secundo Diacono illam accipit, si Episcopus Cruce uti potest. **Minister baculi**, dum Episcopus canit: *Benedicat vos*, ascendit suppedaneum eique baculum porrigit ac in eodem suppedaneo genuflectit, versus cornu Epistolae; benedictione data, in planum descendit.

Minister mitrae, si Episcopus uti Cruce potest, benedictione impertita, porrigit primo Diacono mitram, dein cum **Ministro baculi** sequitur Episcopum ad Thronum, et **ambo** ut supra se gerunt.

ARTICULUS XI.

*De ceteris Ministris inferioribus
in Vesperis pontificalibus ad Thronum.*

620. — DE CAUDATARIO. — Caudatarius perlegat quae circa eius officium diximus sub n. 558, pervideat etiam quae tradidimus sub n. 520 et seqq., necnon 527 de accessu et recessu Episcopi ad Ecclesiam cathedralem.

Antequam Canonici ad associandum Episcopum procedant, Caudatarius accedere potest ad domum episcopalem.

621. — Cum Episcopus ad Thronum pervenerit et Crucem pectoralem dimiserit, Caudatarius eum adiuvat in deponenda cappa, quam Episcopi Cubiculario tradit; deinde caudam vestis talaris expedit, ac postea ad sinistram Throni in planum se confert; incepto primo Versu Psalmi, una cum Crucifero, si adsit, ante Thronum accedit, Episcopo genuflexionem peragit et sedet in infimo gradu Throni, ad dexteram Cathedrae. Ad: *Gloria Patri* etc., in fine cuiusque Psalmi et ad verba quae reverentiam exposcunt, caput profunde inclinat.

Antequam praeintonetur Antiphona singulis Canonicis Episcopo Assistantibus, surgit; debita genuflexione Episcopo peracta, recedit in parte sinistra Throni; Antiphona intonata, iterum sedet, non omitta Episcopo genuflexione.

Si ad initium Hymni genuflectendum sit, ut evenit ad: *Veni, Creator* etc., et ad: *Ave, maris stella*, etc., apponit pulvinum super gradum Cathedrae; eodem modo se gerit antequam canatur stropa:

O Crux, ave, etc., Hymni: *Vexilla Regis* etc., nec non ante stropham: *Tantum ergo* etc., Hymni: *Pange, lingua*, etc.; sed, si SS. Sacramentum non est expositum, servanda est cuiusque Ecclesiae consuetudo.

Cum a Choro Canticum inchoatur, surgente Episcopo, Caudatarius Thronum ascendit, caudam accipit et sequitur Episcopum ad Altare pro incensatione; qua absoluta, ad Thronum revertitur et in plano, ad eius sinistram latus, sistit.

622. — Si benedictio pontificalis ad Altare impertiatur, tunc, decantato: *Benedicamus Domino*, Caudatarius Thronum ascendit et, ut supra, ad Altare sequitur Episcopum.

Ab Episcopo paramentis depositis, firmat extremitatem posteriorem vestis talaris Episcopi, dein, cappam ei imponit.

623. — DE CRUCIFERO. — Crucifer, de cuius officio diximus sub n. 559, cum aliis ad associandum Episcopum procedit. In aula, in qua Episcopus excipit Canonicos, Crucem accipit et se gerit ut in accessu Episcopi ad Ecclesiam cathedralem (v. n. 520 et seq.).

624. — Cruce in basi reposita, sistit ad sinistram Throni; incepto primo Versu Psalmi, cum Caudatario ante Thronum accedit, Episcopo genuflexionem peragit, et sedet in infimo gradu Throni, ad sinistram Cathedrae. Ad: *Gloria Patri* etc., in fine cuiusque Psalmi, et ad verba quae reverentiam exposcunt, caput profunde inclinat.

Antequam praeintonetur Antiphona singulis Canonicis Episcopo Assistentibus, surgit et, debita genuflexione Episcopo peracta, recedit in parte sinistra Throni. Antiphona intonata, iterum sedet, praemissa Episcopo genuflexione.

Quinta Antiphona repetita, surgit, Episcopo genuflectit et recedit in parte sinistra Throni, ubi in plano sistit, vel genuflectit, se conformans aliis Clericis.

625. — Decantato: *Benedicamus Domino*, Crucifer accipit Crucem et se ante Thronum confert, si benedictionem pontificalem Episcopus in Sede impertiat; si vero ad Altare benedictio impertiatur, tunc ante illud consistit. Benedictione impertita, Crucem in basi reponit, et se gerit ut in recessu Episcopi ad Ecclesia (v. n. 527).

626. — DE THURIFERARIO. — Thuriferarius, de cuius officio generatim diximus sub n. 560, quinto Psalmo absoluto, accedit ad Sacristiam ac revertitur ad Altare, cum thuribulo et navicula, circa finem Hymni.

Cum Episcopus, intonata Antiphona ad: *Magnificat*, sedet, tunc ipse ad Thronum accedit, genuflexione ad Altare peracta, Episcopo

genuflectit, ascendit, Presbytero Assistenti naviculam porrigit, deinde genuflexus thuribulum ministrat. Thure benedicto, surgit; accepta navicula, descendit in planum, ubi rursus Episcopo genuflexionem peragit, et se retrahit ad dexteram Throni.

627. — Incepto Cantico, Thuriferarius praeit ante Presbyterum Assistentem ad Altare, versus cornu Epistolae; ibidem genuflexionem Altari facit, deinde thuribulum Presbytero Assistenti, in suppedaneo ad cornu Epistolae stanti, porrigit. Altari thurificato, ascendit suppedaneum in cornu Epistolae et thuribulum ab eodem Presbytero Assistente recipit, in planum descendit, genuflectit Cruci Altaris et praecedens, ut prius, accedit ad Thronum, ibique, ad sinistram eiusdem Throni, se retrahit ut Episcopus cum Diaconis Assistentibus transire possit, dein accedit ad dexteram Presbyteri Assistentis, cui thuribulum porrigit, statimque elevat pluvialis fimbriam.

628. — Thuriferarius, Episcopo thurificato, pluvialis fimbriam dimittit et se collocat ad sinistram Praeintonatoris, qui Presbyterum et Diaconos Assistentes incensat; dein eundem Praeintonatorem in Chori incensatione comitatur. Ultimo Canonico incensato, thuribulum a Praeintonatore recipit, eum et ceteros de Choro incensat « unico ductu, primo tantum in ordine, capite inclinato » (Caer. Episc., L. II, cap. III, n. 12), ac postea populum; denique, debitis cum genuflexionibus, se ad Sacristiam confert.

629. — DE CEROFERARIIS. — Ceroferarii, de quorum officio generatim diximus sub n. 561, cum Episcopus accedit ad Thronum, facta brevi oratione in Faldistorio, se ad medium Presbyterium conferunt; facta Altari et Episcopo genuflexione, de plano pulvinum, ante Faldistorium collocatum, accipiunt illumque deponunt super idem Faldistorium, quod, utraque manu, hinc inde, accipiunt et congruo in loco collocant.

630. — Intonata ab Episcopo Antiphona ante Canticum, Ceroferarii genuflexionem peragunt Episcopo et Altari, illud conscendunt, hinc inde usque ad medium Altaris, partem superioris tobaleae complicant, versus candelabra; tunc de Altari descendunt et, iterata Altari et Episcopo genuflexione, ad suum revertuntur locum (Caer. Episc., L. II, cap. I, n. 13).

Thurificato autem Altari, Ceroferarii, modo supra notato, Altare conscendunt, « tobaleam, paulo ante plicatam reducunt, prout erat super Altari » (l. c. n. 15), ac postea ad suum locum revertuntur.

631. — Dum a Choro repetitur Antiphona post: *Magnificat*, Ceroferarii, una cum Ministris de libro et candela, debitis cum genuflexionibus, ad Thronum accedunt et in plano sistunt, versis invicem faciebus (l. c. n. 17). Oratione, vel ultima Commemoratione absoluta, genuflexionem peragunt cum iisdem Ministris, nisi hi ad Thronum remaneant pro benedictione pontificali, revertuntur ad abacum, ubi candelabra deponunt.

632. — Vesperis absolutis, Faldistorium modo supra notato accipiunt quod in medio Presbyterio statuunt, deinde accipiunt pulvinum, supra illud collocatum, et in plano ante idem Faldistorium deponunt; quo facto genuflexionem Altari et Episcopo peragunt et ad sua loca procedunt.

633. — DE CLERICO PRO CRUCE PECTORALI. — Cum Episcopus, facta in Faldistorio brevi oratione, surgit, Clericus accipit ex abaco lancem, quam, utraque manu, tenet et ad Thronum accedit, debitis cum genuflexionibus; accipit in lance a Caeremoniario primo Crucem pectoralem, dein se confert ad dexteram Throni et quando Clerici cum paramentis Episcopi accedunt ad Thronum, ipse se collocat inter Clericum cingulum ferentem et alterum, qui stolam defert, scilicet inter quartum et quintum et se ut ceteri Clerici gerit (v. n. 635).

Vesperis absolutis, cum aliis Clericis, accepta ex abaco lance, ad Thronum accedit, sed, postquam Crucem in lance acceperit se confert ad dexteram Throni et expectat donec Episcopus cappam assumpserit; tunc Caeremoniario lancem porrigit; Cruce ab illo accepta, genuflexionem Episcopo peragit et ad Sacristiam pergit, ubi lancem deponit.

634. — DE ACOLYTHO. — Cum Canonici et alii de more ad associandum Episcopum procedunt, Acolythus accipit vasculum aquae benedictae cum aspersione et se ad ianuam Ecclesiae confert, ubi ad eius sinistram consistit. Ad aspersionem genuflectit; qua absoluta, pergit ad Sacristiam, vasculum, congruo in loco, reponit et ad Chorum accedit; Canonicos cum bona gratia invitat ad paramenta sumenda, illosque ad Sacristiam capitularem praecedit (v. n. 593). Curet humaniter, ut expedite Canonici insignia choralia dimittant et paramenta assumant. Omnibus paratis, eos ad Chorum invitat.

Ad: *Benedicamus Domino*, nisi formula benedictionis pontificalis in Breviario adsit, sumit ex abaco Canonem pontificalem, ad Thronum pergit, illumque, accepto Breviario, Ministro de libro porrigit.

Vesperis absolutis, pariter Canonicos ad Sacristiam ducit ad

paramenta deponenda et, reassumptis ab omnibus choralibus insignibus, ad Chorum invitat illosque praecedit.

635. — DE CLERICIS SEX PRO EPISCOPI PARAMENTIS. — Dum Caeremoniarius secundus, postquam ad Thronum duxerit Presbyterum et Diaconos Assistentes, suppedaneum ascendit, **Clerici sex**, iam designati, accedunt ante infimum Altaris gradum et simul genuflexionem faciunt.

Ad nutum eiusdem Caeremoniarii **primus Clericus**, qui in cornu Epistolae consistit, genuflectit, suppedaneum ascendit, genuflectit iterum et, utraque manu, amictum accipit, revertitur ad locum suum, in quo denuo genuflectit. **Clericus secundus** pariter in eodem cornu, cum primus in suppedaneo genuflectit, et ipse in plano genuflectit, atque suppedaneum ascendit, iterum ibique genuflectit, dum primus ac tertius in plano genuflectunt, et sic deinceps, sed cum **Clericus ultimus**, qui defert formale in lance, in plano genuflectit, **omnes** simul genuflexionem peragunt et unus post alium ad Thronum accedunt, ita tamen ut qui amictum defert, proximus Episcopo sit. Clericus deferens Crucem pectoralem in lance, se collocat inter quartum et quintum Clericum; **omnes** simul genuflexionem Episcopo peragunt.

Cum **primus Clericus** amictum Caeremoniario primo tradiderit, genuflexionem facit, recedit, et se confert post ultimum Clericum deferentem formale; **Clericus secundus**, tradita alba, similiter genuflectit, recedit, et se confert post Clericum qui amictum deferebat; et sic alii se gerunt, sed quando **ultimus Clericus** porrexerit Caeremoniario formale in lance, **omnes** simul genuflectunt et ad sua loca pergunt; Clerici vero qui tenent lancem eam supra abacum deponunt.

636. — Vesperis absolutis, **duo Clerici** ad abacum pergunt, lancem sumunt ex eo et cum aliis quinque Clericis, facta Altari genuflexione, unus post alium ad Thronum accedunt, ibique genuflexionem iterant. **Primus Clericus**, accepto pluviali, genuflectit ac se confert post ultimum Clericum, et sic deinceps **alii**, ut supra, sed Clericus qui in lance Crucem pectoralem acceperit, se collocat ad dexteram Throni. Cum **ultimus Clericus** amictum acceperit, **omnes** simul genuflexionem faciunt; unus post alium ad Altare accedunt, ubi, eodem modo et ordine, paramenta Caeremoniario secundo tradent.

In Ecclesiis cathedralibus ubi exiguus est Clericorum numerus, pauciores Ministri inferiores sufficere possunt, modo in eo sint numero ut decenti Officii celebrationi sufficiant et unus alterius offi-

cium supplere valeat. Thuriferarius supplere potest officium Clerici pro vasculo aquae benedictae; Crucifer, si adsit, officium Clerici pro Cruce pectorali; Ceroferarii, officium Clericorum pro paramentis, nam priori Ceroferario tradi possunt pluviale, stola, cingulum, alba, amictus; alteri, formale in lance.

ARTICULUS XII.

De duobus Cantoribus
in Vesperis pontificalibus ad Thronum.

637. — Duo Cantores a Caeremoniali Episcoporum requisiti in Vesperis pontificalibus (L. II, cap. I, n. 18), opportuno tempore, diligenter pervideant quae canenda sunt.

638. — Cum Episcopus accedit ad Thronum ad paramenta assumenda, duo Cantores in Sacristiam maiorem adeunt, ubi, si consuetudo adsit, pluviale accipiunt, dein ad Altare, debitum cum genuflexionibus Cruci et Episcopo, redeunt, et ante scabella, e regione eiusdem Altaris, consistunt.

639. — Si observetur praescriptum Caeremonialis Episcoporum: « Psalmi decantari debent a Choro, et ab ipsismet Canonicis, et Beneficiatis, aliisque de Capitulo in tono, et cantu Gregoriano cum gravitate, et decore; ita ut eorum verba ab omnibus intelligantur » (L. II, cap. I, n. 8), tunc duo Cantores ad: *Sicut erat* etc., post: *Deus, in adiutorium* etc., accedunt ad medium Chori, cum consuetis genuflexionibus; stantes, intonata ab Episcopo Antiphona, eam in cantu gregoriano prosequuntur, deinde Psalmum intonant ac postea, genuflexione Cruci et Episcopo peracta, accedunt ad loca sua.

Expleto primo Psalmo cum: *Gloria Patri* etc., ad: *Sicut erat* etc., denuo in medium Chori, ut supra, adeunt, ibique, vel repetunt in cantu, vel clara voce Antiphonam recitant, dum interim organa pulsantur. Intonata a primo Diacono Assistente Antiphona, eam in cantu gregoriano prosequuntur ac se ut supra gerunt; et sic deinceps pro aliis Antiphonis et Psalmis.

640. — Ad Capitulum duo Cantores surgunt, ante sua scabella consistunt, ibique genuflectunt, si ad initium Hymni genuflectendum est, vel sub alia strophā. Circa finem Hymni, ad medium Chori iterum accedunt, more solito; Hymno absoluto, Versiculum canunt. Intonata

ab Episcopo Antiphona ad: *Magnificat*, eam, ut supra, prosequuntur, dein Canticum intonant, ac postea ad sua loca recedunt.

« Advertant interim Cantores, et organista, ut cantum, et sonum invicem alternatim ita dimetiantur, ut ante repetitionem Antiphonae incensatio sit expleta » (Caer. Episc., L. II, cap. III, n. 13).

641. — Expleto Cantico, duo Cantores, cum solitis genuflexionibus, in medium Chori redeunt, et, vel in cantu Antiphonam repetunt, vel, clara voce, recitant dum interim organa pulsantur, ibique consistunt.

Decantata ab Episcopo Oratione, si Commemoratio aliqua facienda est, tunc, pariter in cantu gregoriano, congruentem Antiphonam canunt cui Versiculum addunt.

Responso a Choro: *Et cum spiritu tuo*, duo Cantores *Benedicamus Domino* statim canunt, deinde, debitum cum genuflexionibus, ad Sacristiam maiorem pergunt, ubi pluviale deponunt.

642. — Si vero Psalmi, Hymnus et Canticum, ex integro musice, nec non Antiphonae, gregorianis modis, a Capella musicorum canuntur, ut praesertim aetate nostra diebus solemnioribus evenit, tunc duo Cantores pariter, si consuetudo est, pluviale induunt, ut supra, sed tantum decantant Versiculum post Hymnum, Versiculos ad Commemorationes et: *Benedicamus Domino*.

CAPUT VIII.

DE VESPERIS PONTIFICALIBUS AD THRONUM
EPISCOPO ORDINARIO NON CELEBRANTE IN CRASTINUM

643. — In his Vesperis omnia quae in praecedenti Capite notavimus servantur, sed animadvertendum est sequentes variationes.

I. — Circa praeparanda.

I. - IN SACRISTIA CAPITULARI (v. n. 562, I). — Loco paramentorum pro omnibus Canonicis praeparantur quatuor aut sex pluvialia pro dignioribus Canonicis.

II. - IN SACRISTIA MAIORI (v. n. 562, II). — Non praeparantur pluvialia pro Ministris de libro, etc., nec pro duobus Cappellanis Cantoribus, sed tantum vimpae pro Ministris de mitra et de baculo.

III. - IN SACRISTIA ALTARI MAIORI CONTIGUA (v. n. 562, III). — Non praeparantur paramenta pro Canonicis Episcopo assistentibus.

2. — Circa Functionem.

I. - DE EPISCOPO. — In omnibus, Episcopus se gerit ut in Articulo II praecedentis Capitis.

II. - DE PRESBYTERO ASSISTENTE. — Cum Presbyter Assistens ad Altare maius pervenerit, se confert ad locum suum, in Choro, scilicet, si est prima Dignitas, in primo stallo post Canonicos paratos, si primus Canonicus Presbyter, in primo stallo post Dignitates, in quo manet, conformans se aliis Canonicis, usque ad intonationem Antiphonae ante Canticum.

Inchoata ab Episcopo Antiphona ad: *Magnificat*, Presbyter Assistens, debitis cum reverentiis, pergunt ad Thronum, accipit a Thuriferario naviculam incensi, et se gerit ut sub n. 575 et 576 notavimus.

Ad: *Sicut erat* etc., post Canticum, de Throno descendit et ad locum suum, in Choro, se confert.

III. — DE DIACONIS ASSISTENTIBUS. — Cum ad Altare maius Diaconi Assistentes pervenerint, ad latera Faldistorii, dein ad Thronum, cum Episcopo pergunt et se, in omnibus, gerunt ut in Articulo IV Capitis praecedentis, sed non intonant Antiphonam.

IV. - DE PRAEINTONATORE. — In his Vesperis Praeintonatoris officium pertinet ad Canonicum, aut alium « ad quem de consuetudine Ecclesiae spectat » (Caer. Episc., L. II, cap. II, n. 3), non vero ad Subdiaconum (*l. c.*).

Praeintonator explet munus suum non paratus; primam Antiphonam Episcopo praecinit, reliquas Canonicis paratis.

Capitulum non cantat, sed Hymnum et Antiphonam ad: *Magnificat* praeintonat, atque Assistentes Episcopo et Chorum incensat.

V. - DE CANONICIS. — In omnibus, Canonici se gerunt ut in Articulo VI praecedentis Capitis, sed tantum quatuor, aut sex, procedunt ad Sacristiam capitularem et pluviale induunt. Digniores parati Antiphonam intonant iuxta ordinem praecedentiae.

VI. - DE CANTORIBUS. — Duo Cantores se ut in Articulo XII Capitis praecedentis gerunt, sed pluviale non induunt; unus ex eis, repetita quinta Antiphona, vel suo in loco, vel ubi cantari Epistola solet, alta et aequali voce, Capitulum cantat.

VII. - DE CAEREMONIARIIS. — Etiam Caeremoniarii se respective ut in Articulis VII et VIII Capitis praecedentis gerunt, sed Caeremo-

Caput IX. - De Vesperis solemn. cum assistentia Episcopi Ord. cappa induti 59

niarius secundus non comitatur Praeintonatorem, nec ducit et reducit Assistentes Episcopo ad Sacristiam Altari maiori contiguam.

VIII. - DE ALIIS MINISTRIS. — Omnes se gerunt respective ut in Articulis IX, X et XI praecedentis Capitis, sed Minister libri, etiam quando Episcopus cantat, librum sustinet.

CAPUT IX.

DE VESPERIS SOLEMNIBUS

CUM ASSISTENTIA EPISCOPI ORDINARIII CAPPA INDUTI

ARTICULUS I.

De iis quae praeparanda sunt pro Vesperis solemnibus cum assistentia Episcopi Ordinarii cappa induti.

644. — I. - IN SACRISTIA CAPITULARI. — Super praecipuam mensam pro Celebrante praeparatur pluviale coloris Officio congruentis, superpelliceum et rocchetto; pro Ministris Assistentibus, quatuor vel sex pluvialia (v. n. 753), iuxta maiorem vel minorem solemnitate[m] et Ecclesiae consuetudinem; superpellicea et bireta.

Super aliam mensam: duo candelabra cum candelis pro Ceroferariis.

II. - IN SACRISTIA MAIORI. — Superpellicea et bireta pro Clero; super aliquam mensam praeparantur: thuribulum cum navicula, vasculum aquae benedictae cum aspersorio.

III. - AD ALTARE MAIUS. — Omnia quae notavimus sub n. 562, IV, sed super tres consuetas tobaleas, altera explicata, seu velum explicatum non collocatur, nec super mensam ponuntur paramenta pro Episcopo.

IV. - IN CORNU EPISTOLAE. — Congruo in loco praeparatur abacus, lineo mantili mundo contactus, et super illum ponitur Canon pontificalis, palmatoria cum candela, Breviarium.

In eodem cornu, e regione Throni, aptatur super tapetum scamnum oblongum (v. n. 400) pro Celebrante et Assistentibus.

Ad dexteram, vel in alio congruenti loco, ponitur scabellum pro Caeremoniario secundo (DD. 279; 350).

V. - IN CORNU EVANGELII. — Thronus exornatur, ut dictum est sub n. 562, VI, et ante eius infimum gradum, ad dexteram Cathedrae ponitur scabellum pro Caeremoniario primo.

Assistentes profunde se inclinat, detecto capite, praecipuae Imagini Sacristiae; resalutatis Assistentibus, illinc egreditur, iunctis manibus et tecto capite, medius inter duos digniores Assistentes; quod si angustior occurrat aditus ad Ecclesiam, hoc casu Celebrans post omnes incedit.

Si transierit ante SS. Sacramentum expositum, detecto capite utrumque flectet genu, addita mediocri inclinatione, idest capitis et modica humerorum inclinatione, quae in casu habetur ut profunda (D. 4179 ad 1); si vero ante SS. Sacramentum inclusum in Tabernaculo, unicum flectet; quod et praestabit ante Reliquiam Sanctae Crucis vel alterius Dominicae Passionis Instrumenti expositam.

Transiens autem ante Reliquias Sanctorum solemniter expositas, aperto capite, profunde sese illis inclinabit.

650. — Cum Celebrans ad Altare pervenerit, caput detegit; facta profunda reverentia Cruci, pergat ad scamnum, sedet et caput tegit. Episcopo adveniente, detegit caput, surgit et se ei profunde inclinat, deinde suo in loco genuflectit et secreto recitare potest Orationem: *Aperi, Domine, etc.*; qua absoluta, surgit et ad Episcopi nutum, stans, manibus iunctis, dicit pariter secreto: *Pater et Ave*, deinde cantat: *Deus, in adiutorium meum intende*, sinistra infra pectus posita, se signans Cruce maiore ac simul verba complet et signum Crucis; postmodum iungit manus ante pectus, et ad: *Gloria Patri etc.* caput versus Altaris Crucem profunde inclinat. Stans intonat primam Antiphonam sibi praeintonatam a digniore ex Assistentibus. Primo Psalmo incepto, reverentiam Episcopo facit, sedet, caput cooperit et sic manet usque ad Capitulum; caput tamen detegit et inclinat ad: *Gloria Patri etc.*, in fine cuiusque Psalmi, et ad verba quae reverentiam exposcunt.

651. — Repetita a Choro quinta Antiphona, Celebrans, ad nutum Caeremoniarum secundi, caput detegit, surgit, iunctis manibus, sed Capitulum non cantat; responso per Chorum: *Deo gratias*, Hymnum sibi praeintonatum a primo Assistente, intonat. Si initium Hymni exprimat invocationem Iesu, Celebrans caput ad Altaris Crucem inclinat.

Si vero ad principium Hymni sit genuflectendum, ut evenit ad: *Veni, Creator etc.*, et ad: *Ave maris stella, etc.*, stans Hymnum intonat dein ibi genuflectit usque ad finem primae strophae. Pariter ibi genuflectit sub integra strophae: *O Crux, ave, etc.*, Hymni: *Vexilla Regis etc.* (DD. 1322 ad 13; 1583 ad 7), et sub strophae:

Tantum ergo etc., Hymni: *Pange, lingua, etc.*; si SS. Sacramentum non est expositum, servanda est cuiusque Ecclesiae consuetudo (D. 1280 ad 2).

652. — Cantato Versiculo Hymni, Celebrans intonat Antiphonam ad: *Magnificat*, sibi praeintonatam; ea intonata, reverentiam Episcopo peragit et sedet, tecto capite.

Incepto Cantico, Celebrans cum suis Assistentibus surgit; facta Episcopo reverentia, ad Altare procedit, manibus iunctis et detecto capite. Cum ante infimum Altaris gradum pervenerit, profunde se inclinat Cruci, ascendit cum duobus dignioribus Assistentibus ad Altare illudque in medio deosculatur, thuribulum accipit atque ipsum Altare sicut ad Missae initium incensat (v. n. 859) dicens interim Canticum: *Magnificat etc.*, si adsit consuetudo, alternatim cum Assistentibus singulos Versus congruenter distribuendo; *Gloria Patri etc.*, profert, reddito thuribulo primo Assistenti in cornu Epistolae, ubi ipse stans, eodem modo quo Celebrans post Introitum in Missa solemnem, ab eodem primo Assistente thurificatur (Caer. Episc., L. II, cap. II, n. 9). Tum Celebrans revertit ad medium Altaris inter Assistentes, in planum descendit ubi, iterata profunda inclinatione Cruci, ad scamnum accedit et Episcopo reverentiam peragit.

653. — Absoluto Cantico, Celebrans sedet, capite tecto, dum Antiphona repetitur; qua absoluta, caput detegit, surgit, iunctis manibus, et paullum ad Altare conversus cantat: *Dominus vobiscum*, deinde Orationem, vel Orationes, et iterum: *Dominus vobiscum*.

Ad benedictionem Episcopi, Celebrans non genuflectit, sed profunde se inclinat et se signat.

Dum Episcopus in Faldistorio breviter orat, Celebrans pariter stat et se inclinat versus eum quando ante discessum benedictionem donat.

Profecto de Altari Episcopo, Celebrans inclinationem Cruci Altaris peragit et modo quo venit, ad Sacristiam capitularem revertitur, ubi, capite detecto, se inclinat Imagini praecipuae, medius inter Assistentes, quibus salutationem restituit ac pluviale amictum et rocchetto deponit.

ARTICULUS IV.

De Assistentibus Celebranti ad Vesperas solemnes cum assistentia Episcopi Ordinarii cappa induti.

654. — **Assistentes**, dum Canonici procedunt ad associandum Episcopum, induunt in Sacristia capitulari supra superpelliceum pluviale et ad nutum Caeremoniarum secundi, hinc inde a latere Canonici Celebrantis profunde se inclinant, capite detecto, praecipuae Imagini Sacristiae; salutato Celebrante, pergunt bini et bini ad Altare, ac parumper elevat **duo digniores Assistentes** hinc et illinc Celebranti fimbriam anteriorem pluvialis una manu, altera super pectus posita (Caer. Episc., L. II, cap. III, n. 1), ac ita porro **omnes** incedunt, cooperto capite, **primi** vero etiam iunctis manibus. Si ingressus angustior sit, procedunt singuli unus post alium ita ut **inferior digniorem** praecedat.

Si transierint ante SS. Sacramentum expositum, in recta linea, detecto capite, genuflectent utroque genu, addita mediocri inclinatione (D. 4179 ad 1); si vero ante SS. Sacramentum in Tabernaculo inclusum, simplex fiet genuflectio; quod et praestabunt ante Reliquiam Sanctae Crucis, vel alterius Dominicae Passionis Instrumenti, patenter expositam.

655. — Cum **Assistentes** ad Presbyterii cancellos pervenerint, si quatuor aut sex, **ultimi duo** vel **ultimi quatuor** hinc illincque discedunt, sistunt ante infimum Altaris gradum, ita ut **digniores** propius adstant duobus Assistentibus Celebrantis, caput defegunt; genuflectione Cruci peracta, pergunt ad scamnum a latere Epistolae et sistunt ab utroque latere Celebrantis sedentis.

Si ad Presbyterium pervenerint ex parte Evangelii, **Assistens ultimus**, si quatuor Assistentes sunt, ante infimum Altaris gradum in cornu Evangelii subsistit et recedit aliquantulum ut Celebrans cum aliis Assistentibus transire possit; **Assistens tertius**, absque genuflectione, procedit usque ad cornu Epistolae et sistit ante infimum Altaris gradum, in eodem cornu, et **ambo** se ut supra gerunt. Si Assistentes sex sunt, **ultimus Assistens** se gerit ut supra, **quartus** subsistit ad dexteram ultimi, **tertius Assistens** procedit, absque genuflectione, usque ad cornu Epistolae et sistit ante infimum Altaris gradum ad sinistram quinti Assistentis; **omnes** ut supra se gerunt.

Si ad Presbyterium pervenerint ex parte Epistolae et quatuor Assistentes sunt, **ultimus** procedit, absque genuflectione usque ad

cornu Evangelii et subsistit ante infimum Altaris gradum in eodem cornu; **tertius** subsistit ante infimum gradum in cornu Epistolae et aliquantulum recedit ut Celebrans cum aliis Assistentibus transire possit, et **omnes** se ut supra gerunt.

Si Assistentes sex sunt, **ultimus** ex eis procedit usque ad cornu Evangelii, ut supra; **quintus** subsistit ante infimum Altaris gradum, in cornu Epistolae, et aliquantulum recedit ut transire possit Celebrans cum aliis Assistentibus; **quartus**, absque genuflectione, procedit usque ad cornu Evangelii et se collocat ad dexteram ultimi Assistentis; **tertius** vero subsistit ad sinistram quinti Assistentis, dein **omnes** se gerunt ut supra.

656. — Episcopo adveniente, **omnes** genuflectionem ei faciunt, dein, suis in locis, genuflectunt, secreto recitare possunt Orationem: *Aperi, Domine*, etc.; qua absoluta, surgunt, perstant, iunctis manibus, et secreto dicunt: *Pater et Ave*.

Dum Celebrans dicit: *Deus, in adiutorium meum intende*, **primus Assistens** Celebranti aliquantulum elevat dexteram pluvialis fimbriam.

Dum a Choro cantatur: *Sicut erat* etc., praefatus **dignior Assistens** genuflectionem, suo loco, Episcopo peragit, ducente Caeremoniario secundo, transit ad sinistram Celebrantis prius ei reverentia facta, sistit, facie ad Altare versa, ne Episcopo terga vertat, et, submissa voce, primam Antiphonam eidem Celebranti praeintonat; qua intonata, recedit ad pristinum locum, facta prius Episcopo genuflectione, postea Celebranti reverentia.

657. — Incepto primo Versu Psalmi, **duo digniores Assistentes** sedent ad latera Celebrantis; **ceteri**, genuflectionibus Altari et Episcopo peractis, sedent suis in locis. Ad: *Gloria Patri* etc., in fine cuiusque Psalmi, et ad verba quae reverentiam exposcunt, caput defegunt et inclinant.

658. — Dum a Choro repetitur Antiphona, ad nutum Caeremoniarum secundi, **omnes** surgunt, **ultimus Assistens**, comite eodem Caeremoniario, Altari et Episcopo genuflectionem peragit, atque accedit ad digniorem ex Canonicis in Choro praesentibus (Caer. Episc., L. II, cap. III, n. 8; D. 1091). Stans ante eum, se inclinatur et, repetita prima Antiphona, submissa, sed intelligibili voce, ipsi praecinit priora verba secundae Antiphonae; quibus ab illo cantatis, eidem ac prius reverentiam peragit, et, completa Altari genuflectione, revertitur ad suum locum, ubi, simul cum **ceteris Assistentibus**,

sedet et caput cooperit. Ita se gerit ad alias Antiphonas Canonicis praeintonandas, iuxta ordinem praecedentiae.

659. — Dum quinta Antiphona repetitur, **Assistentes**, qui in scamnis ex adverso Altaris sederint, caput detegunt, surgunt; facta Altari et Episcopo debita genuflexione, accedunt ad Celebrantem et, hinc inde, ad eius latus adstant. Interim etiam **digniores Assistentes** surgunt cum Celebrante.

Cantato Capitulo, **dignior Assistens** se gerit ut supra ad praeintonationem primae Antiphonae et Celebranti Hymnum praecinit.

Si ad initium Hymni, vel ad aliam stropham, infra eundem Hymnum genuflectendum sit, genua, suis in locis, ad Celebrantis latera submitunt.

660. — Dum a Cantoribus Versiculus, post Hymnum, canitur, **dignior Assistens**, ut supra, ad Celebrantem accedit eique praeintonat Antiphonam ad: *Magnificat*; qua intonata, secedit ad locum suum, ubi cum **aliis Assistentibus** stat dum Chorus prosequitur Antiphonam.

Cum Canticum inchoatur, **Assistentes** signo Crucis se muniunt, genuflexionem Episcopo peragunt et ad Altare accedunt, **duo digniores** anteriorem pluvialis fimbriam Celebrantis elevantes, capite detecto, **ceteri** vero, etiam manibus iunctis.

Cum ad infimum Altaris gradum pervenerint, **duo digniores**, a suo quisque latere, paululum elevantes anteriorem vestis fimbriam Celebrantis, ascendunt cum eo ad Altare; **ceteri** vero **Assistentes** in plano permanent usque ad finem incensationis Altaris, iunctis iugiter manibus et facie ad Altare versa (Caer. Episc., loc. cit.). Postquam Celebrans Altare in medio deosculatus fuerit, **primus Assistens** eidem thuribulum porrigit, **ambo** utrinque pluvialis fimbriam sublevant et genuflexionem faciunt, quoties Celebrans Cruci reverentiam peragat atque cum eo Canticum alternatim recitant, si consuetudo adsit.

Thurificato Altari, **dignior Assistens** accipit, in cornu Epistolae, thuribulum, in planum cum **altero Assistente** descendit, ibique, duplici ductu, Celebrantem incensat; tradito Thuriferario thuribulo, **ambo** ascendunt rursus ad Celebrantem et cum eo de Altari descendunt; facta in plano cum **aliis Assistentibus** reverentia, ad scamnum pergunt, ubi genuflexionem Episcopo peragunt. Illi thurificationem post Canonicos accipiunt.

661. — Dum Celebrans Orationem, vel Orationes, cantat, **digniores Assistentes** pluvialis fimbrias sustinent. Ad benedictionem **omnes**

genua flectunt et etiam genua submitunt quando Episcopus, facta brevi oratione in Faldistorio, ante discessum benedictionem dat.

Profecto de Altari Episcopo, **Assistentes** ante Altare procedunt cum Celebrante, reverentiam Cruci peragunt et ad Sacristiam capitularem redeunt, quo venerunt ordine (Caer. Episc., L. II, cap. III, n. 15; D. 1666); ibique, exhibita, capite detecto, profunda inclinatione Imagini praecipuae atque salutato Celebrante, pluvialia deponunt.

ARTICULUS V.

De Canonicis deque ceteris Choralibus ad Vesperas solennes cum assistentia Episcopi Ordinarii cappa induti.

662. — **Canonici**, habitu choralis induti, more solito, associant Episcopum (v. n. 519). Quum ad Altare maius pervenerint, se inclinant Altari et Celebranti, dein pergunt ad sua loca, in Choro, ubi parumper orant et dicere possunt secreto: *Aperi, Domine*, etc.

Surgente Episcopo, **omnes** detecto capite surgunt et secreto recitant: *Pater et Ave*. Ad: *Deus, in adiutorium etc.*, **omnes** se signant et ad: *Gloria Patri etc.*, caput inclinant ad Crucem Altaris.

Incepto primo Versu Psalmi, **omnes** sedent, tecto capite. In fine cuiusque Psalmi ad: *Gloria Patri etc.*, tantum caput detegunt et profunde illud inclinant, sicut etiam ad verba quae reverentiam exposcunt.

663. — Antiphonae praeintonandae sunt Canonicis incipiendo a dignioribus praesentibus in Choro, sive sint Dignitates, sive non, servato ordine praecedentiae (Caer. Episc., L. II, cap. II, n. 5) non attenta maiori habilitate et experientia modulandi (D. 1091).

Canonicus, cui Antiphona praeintonatur, respondet, ante et post, reverentiae a Praeintonatore peractae; caput detegit et, expleta praeintonatione, surgit, Antiphonam intonat, deinde sedet et caput cooperit.

Ad Antiphonae intonationem **omnes** surgere debent, vel ab una illius qui intonat parte, vel ab utraque, iuxta Ecclesiarum consuetudinem (D. 3781 ad 2).

664. — Deficientibus Canonicis, Antiphonae praeintonandae sunt a **Beneficiatis** aut **Mansionariis**, qui se gerunt ut Canonici et ad intonationem **omnes**, **Canonicis** exceptis, surgere debent, vel ab una tantum parte, ut supra, vel ab utraque, prouti Ecclesiarum fert consuetudo (D. 3781 ad 3).

665. — Repetita quinta Antiphona, omnes surgunt simul, et in reliquis se gerunt ut sub n. 596 et 597. Postquam vero Episcopus benedictionem donaverit, se gerunt ut sub n. 527 et 528 diximus.

ARTICULUS VI.

*De Caeremoniariis ad Vesperas solemnes
cum assistentia Episcopi Ordinarii cappa induti.*

666. — DE CAEREMONIARIO PRIMO. — Caeremoniarius primus in accessu Episcopi ad Ecclesiam se gerit ut sub n. 519 notavimus. Postquam Episcopus in Sede quieverit signum surgendi ei dat, dein accipit a primo Diacono biretum eiusdem Episcopi quod, incepto primo Versu Psalmi, eidem Diacono primo tradit et sedendi signum dat; signum item dabit detegendi, nec non inclinandi caput ad: *Gloria Patri* etc. in fine cuiusque Psalmi et ad verba quae reverentiam exposcunt.

Repetita quinta Antiphona, Caeremoniarius innuit ut omnes caput detegant et surgant et a primo Diacono Episcopi biretum accipit quod, intonata Antiphona ad: *Magnificat*, eidem Diacono tradit; imposito in thuribulum incenso, innuit ut Assistentes sedeant. Ad intonationem Cantici signum surgendi dat et ab eodem primo Diacono biretum Episcopi accipit, quod, absoluto Cantico, tradit eidem Diacono atque sedendi signum dat. Repetita Antiphona post: *Magnificat*, signum dat surgendi.

In fine Vesperarum Episcopus impertit benedictionem pontificalem, tecto capite, si Cruce uti nequeat; qua impertita, descendit de Throno, vel de Altari, et ad Faldistorium procedit.

In recessu Episcopi ab Ecclesia Caeremoniarius se gerit ut sub n. 527 notavimus.

667. — DE CAEREMONIARIO SECUNDO. — Dum Canonici ad associandum Episcopum procedunt, Caeremoniarius secundus se gerit ut sub n. 604 notavimus; dein invitat Celebrantem et Assistentes ad pluvialia sumenda, eosque ad Altare, iunctis manibus, praecedit.

Si transeundum sit ante Altare super quo SS. Sacramentum expositum est, simul ac in conspectu eius advenerit, signum dat caput detegendi et utrumque genu flectendi, addita mediocri inclinatione, idest capitis et modica humerorum inclinatio, quae, in casu, habetur ut profunda (D. 4179 ad 1); si vero ante SS. Sacramentum in Tabernaculo inclusum, advertat ut caput detegant et, facta genuflexione

Caput IX. — De Vesperis solemn. cum assistentia Episcopi Ord. cappa induti 69

unico genu, caput iterum cooperiant; ita se gerit in transitum ante Reliquiam S. Crucis, vel alterius Dominicae Passionis Instrumenti, publice expositam. Si transire contingat ante Reliquias Sanctorum solemniter expositas, coram ipsis caput detectum inclinare facit.

668. — Cum ad Altare pervenerit, sistit in cornu Epistolae a sinistris Ceroferarii et genuflexionem facit, deinde Celebrantem et Assistentes ad scamnum deducit, ubi, ad dexteram tertii, vel quinti, Assistentis, consistit. Adveniente Episcopo, monet Celebrantem ut se inclinet, Assistentes vero ut genuflexionem ei faciant omnesque genuflectant, dum Episcopus in Faldistorio orat ac proinde surgant.

669. — Caeremoniarius, innuente Episcopo, signum dat ut Celebrans recitet secreto: *Pater* et *Ave*. Ad: *Sicut erat* etc., post: *Deus, in adiutorium* etc., comitatur digniorem Assistentem ad Celebrantem, prius facta cum eo genuflexione Episcopo, dein reverentia Celebranti; advertat ut Assistens sistat apud Celebrantem ad sinistram, facie Altari versa, ne Episcopo terga vertat. Praeintonata Antiphona, ad pristinum locum redit.

Incepto primo Versu Psalmi, signum sedendi dat; itemque in fine cuiusque Psalmi caput detegendi atque inclinandi ad: *Gloria Patri* etc., nec non ad verba quae reverentiam exposcunt.

670. — Dum a Choro repetitur Antiphona, Caeremoniarius signum Assistentibus surgendi dat, et comitatur ultimum Assistentem, debitis cum genuflexionibus Altari et Episcopo, ad digniorem ex Canonicis in Choro praesentibus ut Antiphonam praeintonet; qua intonata, ducit Assistentem ad locum suum cum genuflexionibus, ut supra. Ita se gerit ad alias Antiphonas praeintonandas.

Repetita quinta Antiphona, innuit ut Celebrans et Assistentes surgant, ac ultimi Assistentes ad latera Celebrantis accedant, dein ducit Cantorem ad locum, in quo Epistola decantari solet, ut Capitulum decantet; quo absoluto, primum Assistentem ducit ad Celebrantem ad Hymnum praeintonandum.

671. — Si initium Hymni exprimit Iesu invocationem, vel ad eius principium genuflectendum sit, Caeremoniarius se gerit ut diximus de Caeremoniario primo sub n. 602.

Dum a Cantoribus Versiculus post Hymnum canitur, ducit, ut supra, primum Assistentem ad Celebrantem ut Antiphonam, ante *Magnificat*, praeintonet; intonato Cantico a Choro, Caeremoniarius, debitis cum genuflexionibus, ducit Celebrantem et Assistentes ad

Altare, quod incensatur ut Missae initio (v. n. 859). Praemoneat Celebrantem ut thurificationem accipiat in suppedaneo Altaris sicut Celebrans in Missa solemn.

Completo Cantico cum: *Gloria Patri* etc., Caeremoniarius Celebranti signum dat sedendi et caput cooperiendi.

Sub finem Antiphonae post: *Magnificat*, ducit Ceroferarios et Ministrum libri ad Celebrantem, debitis cum genuflexionibus; praemoneat Ceroferarios ut consistent, facie ad se conversa, et Acolythum ut sistat oblique versus Celebrantis dexteram ne Episcopo terga vertant.

672. — Post: *Benedicamus Domino*, Caeremoniarius Celebrantem praemoneat ut ad benedictionem Episcopi profunde se inclinet, et Assistentes genuflectant ac simili modo se gerant, quando Episcopus, facta brevi oratione in Faldistorio, benedictionem impertit ante discessum ab Ecclesia.

Cum Episcopus discesserit, Celebrantem, Assistentes, et Ceroferarios ad Sacristiam capitularem deducit, ordine quo venerunt, ubi, exhibita inclinatione Imagini praecipuae, paramenta exuunt.

ARTICULUS VII.

De Ministris inferioribus ad Vesperas solemnes cum assistentia Episcopi Ordinarii cappa induti.

673. — I. - DE MINISTRO LIBRI DEQUE MINISTRO CANDELAE. — Hi Ministri, decantato a Cantoribus: *Benedicamus Domino*, accedunt ad abacum et **Minister libri** Canonem pontificalem, **alter** palmatoriam accipit, dein ad Thronum accedunt, vel ad Altare, prout Episcopus, vel in Sede, vel ad Altare, benedictionem dat, et se, more solito, gerunt.

II. - DE CAUDATARIO, DEQUE CRUCIFERO. — **Caudatarius** se gerit ut sub n. 620-622, sed animadvertat: 1. Episcopus cappam non dimittit; 2. Diaconi Assistentes Antiphonas non intonant.

Crucifer pariter se gerit ut sub n. 623-625, sed animadvertat quod Diaconi Assistentes Antiphonas non intonant.

III. - DE THURIFERARIO. — Thuriferarius se gerit ut sub n. 626 notavimus, sed, incepto Cantico, porrigit thuribulum primo Assistenti Celebranti in suppedaneo ad cornu Epistolae; thurificato Altari, sistit in plano cornu Epistolae ad dexteram dignioris Assistentis et elevat pluvialis fimbriam dum ille Celebrantem thurificat;

quo incensato, thuribulum accipit, ad Thronum pergat, accedit ad dexteram Presbyteri Assistentis cui thuribulum porrigit, et aliquantulum retro recedit; Episcopo thurificato, recipit thuribulum et ipse incensat (Caer. Episc., L. I, cap. XXIII, n. 26) primum Presbyterum Assistentem, ad scabellum suum stantem, tum Diaconos Assistentes, dein Canonicos, ac postea Assistentes Celebranti, aliosque de more. Thurificatione peracta, debitis cum genuflexionibus ad Sacristiam se confert.

IV. - DE CEROFERARIIS. — Duo Ceroferarii, dum Canonici pergunt ad associandum Episcopum, accedunt ad Sacristiam capitularem et Assistentes, se induentes, adiuvant. Ad nutum Caeremoniarii secundi candelabra sua cum cereis, iam accensis, sumunt, et, facta profunda inclinatione Imagini praecipuae, ad Altare, more solito, procedunt (v. n. 561).

Candelabris super abacum depositis, prope eundem abacum sistunt, et cum Episcopus ad Altare advenerit, genuflexionem ei faciunt, dein cum ceteris in genua procumbunt; cum vero Episcopus accedit ad Thronum, se ad medium Presbyterium conferunt (v. n. 629) ut Faldistorium amoveant, dein in omnibus se Choralibus conformant.

Dum repetitur Antiphona post: *Magnificat*, accipiunt candelabra; debitis cum genuflexionibus Altari et Episcopo, una cum Ministro libri ad Celebrantem accedunt et consistent, facie ad se conversa, ne tergum Episcopo vertant. Completa Oratione, vel ultima Commemoratione, cum consuetis genuflexionibus ad abacum revertuntur, candelabra super eo deponunt, dein in medio Presbyterio Faldistorium statuunt (v. n. 632). Ad benedictionem pontificalem genuflectunt; iterum in genua procumbunt quando Episcopus ante discessum ab Ecclesia benedictionem dat; dein, sumptis denuo candelabris, et, genuflexione Altari peracta, ordine quo venerunt, ad Sacristiam capitularem redeunt; completa cum aliis inclinatione profunda Imagini praecipuae et salutato Celebrante, ibi candelabra deponunt et adiuvant Assistentes se pluvialibus exuentes.

V. - DE MINISTRO LIBRI DEQUE ACOLYTHO. — **Minister libri** dum Antiphona post: *Magnificat* repetitur, Breviarium ex abaco accipit, medius inter Ceroferarios, debitis cum genuflexionibus Altari et Episcopo, ad Celebrantem accedit et oblique, versus eius dexteram, sistit, ne Episcopo tergum vertat.

Acolythus vero se ut sub n. 634 gerit, sed, reposito congruo in loco vasculo aquae benedictae, ad Chorum pergat, aliisque Clericis se conformat.

VI. - DE DUOBUS CANTORIBUS. — **Duo Cantores** se ut ad Vesperas pontificales ad Thronum gerunt (v. n. 637 et seqq.), sed pluvialia non induunt et **unus ex eis**, repetita quinta Antiphona, vel suo in loco vel ubi Epistola cantari solet, alta et aequali voce Capitulum decantat.

CAPUT X.

DE VESPERIS PONTIFICALIBUS AD FALDISTORIUM
CUM ASSISTENTIA EPISCOPI ORDINARI

ARTICULUS I.

De iis quae praeparanda sunt in Vesperis pontificalibus ad Faldistorium cum assistentia Episcopi Ordinarii.

674. — I. - IN SACRISTIA CAPITULARI. — Super praecipua mensa, vel si Altare adsit super eiusdem mensam, praeparatur pro Episcopo celebrante: pluviale, stola, cingulum, alba, amictus; paramenta contegantur velo eiusdem coloris; in latere Evangelii: mitra pretiosa.

Ante mensam vel Altare collocatur super tapeto sedes cameralis, ita conversa ut Episcopus sedens terga mensae, vel Altari, vertat.

Super alia mensa praeparantur duo candelabra cum cereis; lanx pro Cruce pectorali.

II. - IN SACRISTIA MAIORI. — Super aliquam mensam disponuntur sex aut quatuor pluvialia, iuxta maiorem vel minorem solemnitate et Ecclesiae consuetudinem (v. n. 753); superpellicea et bireta.

Super aliam mensam praeparantur superpellicea et bireta pro Clero; vimpa pro Ministro mitrae; thuribulum cum navicula et vasculum aquae benedictae cum aspersorio.

III. - AD ALTARE MAIUS. — Omnia praeparantur quae notavimus sub n. 562, IV, sed super mensam non collocantur paramenta.

IV. - IN CORNU EVANGELII. — Thronus exornatur ut dictum est sub n. 562, V, sed ante eius infimum gradum ad Cathedrae dexteram collocatur tantum scamnum pro Caeremoniario primo.

V. - IN CORNU EPISTOLAE. — « Faldistorium... parum distans ab infimo gradu Altaris, a latere Epistolae collocandum est, ita ut Episcopus celebrans, in eo sedens, habeat ad dexteram suam Altare...; quod quidem Faldistorium coopertum sit undique ad terram serico eiusdem coloris, cuius erunt cetera paramenta, et sub dicto serico tegumento aptetur pulvinum. Regulariter autem Faldisto-

rium huiusmodi ponitur in plano, seu pavimento Presbyterii, quod totum usque ad infimum gradum Altaris convenienter deberet pannis viridibus contegi » (Caer. Episc., L. I, cap. XII, n. 10).

Non longe a Faldistorio, a sinistris, collocatur scabellum pro Caeremoniario secundo.


Congruo in loco praeparatur abacus, lineo mantili mundo connectus et super illum collocatur: Canon pontificalis, Breviarium, mitra auriphrygiata.

In eodem cornu Epistolae collocantur etiam duo scabella pro dignioribus Assistentibus.

VI. - IN MEDIO PRESBYTERIO. — Collocatur aliud Faldistorium in quo Episcopus Ordinarius orat, cum pulvinis eiusdem coloris Officii; hinc inde, sed aliquantulum retro, collocantur duo, vel quatuor, scabella pro reliquis Assistentibus.

VII. - AD ALTARE SS. SACRAMENTI. — Omnia ut in n. 562, IX notavimus.

675. — **Dispositio ad Altare maius pro Vesperibus pontificalibus ad Faldistorium cum assistentia Episcopi Ordinarii.**



F = Faldistorium. — A = Abacus. — + = Crux archiepiscopalis. — 1 = Faldistorium pro Episcopo celebrante.
Scabella pro: Presbytero Ass., 2; Diaconis Ass., 3-4; Dignioribus Ass., 5-6; ceteris Ass., 7-8-9-10; Caeremoniario primo, 11; Caeremoniario secundo, 12.

ARTICULUS II.

De Episcopo Ordinario assistente Vesperis pontificalibus ad Faldistorium et de eius Assistantibus.

676. — I. - DE EPISCOPO ORDINARIO. — Episcopus Ordinarius in omnibus se gerit ut in Articulo II Capitis praecedentis, sed cum ad Altare maius pervenerit, se inclinat Altari et Episcopo celebranti; non imponit incensum in thuribulo, nec, Vesperis absolutis, benedictionem pontificalem impertit; cum autem Celebrans ad benedictionem, ante verbum: *Pater*, se inclinat, ipse, quasi veniam concedens ut benedictionem impertiat, annuit.

II. - DE PRESBYTERO ASSISTENTE DEQUE DIACONIS ASSISTENTIBUS. — **Presbyter Assistens** et **Diaconi Assistentes** se ut in Articulo II Capitis praecedentis similiter gerunt, sed **Presbyter Assistens** ad Thronum pergat quando Celebrans thurificatur; in plano subsistit, ab ultimo Assistente Celebranti, vel ab alio, thuribulum accipit et Ordinarium incensat: reddito thuribulo, Thronum ascendit, et, stans ante scabellum suum, thurificatur; Cantico absoluto, redit ad locum suum in Choro.

Diaconi Assistentes ad benedictionem pontificalem, quam Celebrans impertit, stantes se profunde inclinant.

ARTICULUS III.

De Episcopo celebrante in Vesperis pontificalibus ad Faldistorium cum assistentia Episcopi Ordinarii.

677. — Episcopus celebrans, hora praestituta, indutus veste praelatitia, rocchetto et mantelletto, accedit ad Sacristiam capitularem; tradito bireto Caeremoniario secundo, deponit Crucem et mantelletum, adiuvante eodem Caeremoniario; dein assumit amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, stolam, pluviale, adiuvantibus duobus dignioribus Assistantibus, et, postquam sederit, mitram pretiosam accipit.

678. — Ad nutum Caeremoniarii, Episcopus, medius inter duos digniores Assistentes, praecipuae Imagini Sacristiae se inclinat cum mitra et, iunctis manibus, ad Altare procedit; quod si angustior occurrat aditus ad Ecclesiam, hoc casu, Episcopus post omnes incedit.

Cum ad Altare pervenerit, facta profunda Cruci reverentia, accedit ad Faldistorium et sedet. Ordinario adveniente, Episcopus celebrans surgit et, retinens mitram, respondet eius reverentiae et iterum in Faldistorio sedet; cum Ordinarius surgit de oratione, Celebrans, sedens, se ei inclinat.

679. — Ad nutum Caeremoniarii secundi, Episcopus celebrans mitram dimittit, surgit et, per latus suum sinistram conversus ad Altare, dicit secreto: *Pater* et *Ave*, deinde, more solito, cantat: *Deus, in adiutorium* etc., signans se signo Crucis. Ad: *Gloria Patri* etc., caput inclinat; intonat primam Antiphonam et, Psalmo incepto, se per suam dexteram ad populum vertit, sedet, mitram auriphrygiatam accipit et sic manet usque ad Capitulum.

Quando Episcopus in paramentis sacris assistit pontificaliter ad Vesperas, incongruum est ut sive legat, Breviario prae manibus, sive recitet privatim ex libro choralis, quem Minister libri sustineat.

Ad: *Gloria Patri* etc., in fine cuiusque Psalmi, et ad verba quae reverentiam exposcunt, cum mitra se inclinat.

Absolute Psalmorum cantu ac postrema Antiphona repetita, surgit cum mitra; iunctis manibus, consistit ad Capituli cantum; Hymno praeintonato, sedet, mitram dimittit, iterum surgit, se ad Altare vertit et Hymnum intonat.

680. — Si Hymni initium exprimat invocationem Iesu, Episcopus caput ad Altaris Crucem inclinat.

Si vero ad principium Hymni genuflectendum est, ut evenit ad: *Veni, Creator* etc., et ad: *Ave, maris stella*, etc., stans intonat, dein super pulvinum ante Faldistorium, dimisso pileolo, genuflectit usque ad finem primae strophae.

Sub integra stropha: *O Crux, ave*, etc., Hymni: *Vexilla Regis* etc., pariter genuflectit (DD. 1322 ad 13; 1583 ad 7), et sub stropha: *Tantum ergo* etc., Hymni: *Pange, lingua*, etc.; si SS. Sacramentum non est expositum, servanda est cuiusque Ecclesiae consuetudo (D. 1280 ad 2).

681. — Intonata Antiphona ad: *Magnificat*, Episcopus se convertit super dexteram suam, sedet, mitram pretiosam accipit et, more solito, incensum in thuribulum imponit.

Cantico incepto, surgit cum mitra, et, facto signo Crucis super se, iunctis manibus, medius inter duos digniores Assistentes procedit ad Altare, reverentia peracta Ordinario; ante infimum Altaris gra-

dum, reverentiam Cruci facit, mitram dimittit, ascendit ad Altare quod in medio deosculatur. Accepto thuribulo a primo Assistente, Altare, ritu consueto thurificat (v. n. 859) recitando interim Canticum, si adsit consuetudo, alternatim cum Assistantibus, singulos Versus congruenter distribuendo; *Gloria Patri* etc., tunc profert, incensatione completa, postquam thuribulum tradiderit primo Assistenti in cornu Epistolae.

Si Episcopus non recitat Canticum, dum thurificat Altare, sane satisfacit obligationi Officii divini (S. C. Concil. *Lincien.* Divini Officii 17 Apr. et 10 Iul. 1921).

Tradito thuribulo primo Assistenti, vel absoluto Versiculo: *Gloria Patri* etc., Episcopus in eodem cornu mitram accipit, se in medium Altaris confert, ubi Cruci reverentiam iterat, per brevioram viam ad Faldistorium revertitur, ubi, stans versus populum, duplici ductu incensatur, deinde sedet; deposita mitra, iterum surgit et ad Altare se convertit. Cantico absoluto, sedet et mitram accipit. Repetita Antiphona, iterum mitram deponit, surgit, ad Altare se convertit, et cantat: *Dominus vobiscum, Oremus* et Orationem competentem cum sua conclusione, nec non alias Commemorationes, iuxta Rubricas Breviarii, ac postea repetit: *Dominus vobiscum*.

682. — Decantato: *Benedicamus Domino*, Episcopus sedet, accipit mitram, dein, medius inter digniores Assistentes, ad Altare procedit, peracta Ordinario reverentia; ante infimum Altaris gradum Cruci se inclinatur et ascendit.

Stans, ponit super Altare sinistram et cantat: *Sit nomen Domini benedictum*, interim formans, dextero pollice, sibi in pectore Crucis signum; eoque formato, etiam dexteram manum super Altare ponit. Responso a Choro: *Ex hoc nunc et usque in saeculum*, cantat: *Adiutorium nostrum in nomine Domini*. Dum haec profert verba, dextera manu « signat se signo Crucis a fronte ad pectus, et a sinistro humero ad dexterum, tangens se in unoquoque verbo, videlicet, dum dicit: *Adiutorium*, in fronte; *nostrum*, infra pectus; *in nomine*, in sinistro humero; *Domini*, in dextero, et iterum ipsam manum dexteram super Altare reponit, donec a Choro respondeatur: *Qui fecit coelum, et terram*. Deinde dicens: *Benedicat vos omnipotens Deus*, elevat ad caelum simul oculos, et manus, quas ante faciem iungit » (Caer. Episc., L. I, cap. XXV, n. 5), ac postea retrocedit paululum ad latus Epistolae et convertens se ad Ordinarium, caput inclinatur quasi veniam petens et, ipso Ordinario nutu annuente, proseguitur: *Pater*,

signans populum versus Epistolae latus; dicens: *et Filius*, vertit se directe ad populum, in medio Ecclesiae existentem, signans iterum; dicens vero: *et Spiritus Sanctus*, vertit se totum ad latus Evangelii, et ibi tertio signat populum, perficiendo circulum.

683. — Benedictione impertita, de Altari descendit; Cruci Altaris atque Ordinario reverentia peracta, pergit ad Faldistorium et sedet. Cum Ordinarius ad Faldistorium accedit, Celebrans respondet ei cum inclinatione ad reverentiam; surgente Ordinario de Faldistorio et ipse surgit eique ad reverentiam, ut prius, respondet.

684. — Ordinario de Presbyterio profecto, Celebrans, medius inter digniores Assistentes, accedit ante infimum Altaris gradum; facta Cruci reverentia, pergit ad Sacristiam capitularem, modo quo venit, ubi se inclinatur Imagini praecipuae, sedet, paramenta dimittit, reassumit mantelletum et Crucem pectoralem.

ARTICULUS IV.

De Assistentibus Episcopo celebranti in Vesperis pontificalibus ad Faldistorium cum assistentia Episcopi Ordinarii.

685. — Conveniens est ut **Assistentes digniores** Canonici saltem honorarii sint, vel Sacerdotes in aliqua ecclesiastica dignitate constituti, et **ceteri Assistentes** sint Beneficarii, characterē sacerdotali insigniti. Si duo **digniores Assistentes** Canonici sint, non genuflectunt nec Episcopo Ordinario, nec Episcopo celebranti, nec Altari.

686. — **Assistentes**, dum Canonici procedunt ad Episcopum Ordinarium associandum, induunt in Sacristia capitulari, supra superpellicem, pluviale. Ad nutum Caeremoniarum secundi **duo digniores Assistentes** accedunt ad Celebrantem et ei reverentiam faciunt. Deposito a Celebrante mantelletto, **primus Assistens, altero adjuvante**, Celebrantem induit amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali. **Primus Assistens** mitram ei imponit; reverentia Celebranti peracta, **primus** sistit ad dexteram, **alter** ad sinistram eiusdem Celebrantis, biretum accipiens et manu sustinens.

Ad nutum Caeremoniarum, **duo digniores Assistentes**, surgente Celebrante, accipiunt fimbrias pluvialis eiusdem; **omnes Assistentes** profunde se inclinatur, detecto capite, praecipuae Imagini Sacristiae et se gerunt ut sub n. 655 notavimus, sed, genuflexione peracta,

duo digniores accedunt cum Celebrante ad Faldistorium et ad eius latera sistunt, detecto capite; **ceteri** pergunt ad scabella sua, e regione Altaris, et pariter sistunt.

Episcopo Ordinario adveniente, **Assistentes** ei genuflexionem faciunt et **duo digniores**, si Canonici, reverentiam. Ad nutum Caeremoniarii secundi, **primus Assistens** mitram Celebranti aufert; **uterque**, locis permutatis, se ad Altare convertit et hinc inde apud Faldistorium consistit.

687. — Dum Celebrans dicit: *Deus, in adiutorium meum intende, dignior Assistens* Celebranti elevat aliquantulum pluvialis fimbriam; ad: *Sicut erat* etc., comite Caeremoniario secundo, accedit ante Celebrantem eique Antiphonam praeintonat; qua a Celebrante intonata, redit ad pristinum locum. Psalmo incepto, **duo digniores Assistentes** se ad populum cum Celebrante convertunt et, permutatis locis, **primus** mitram auriphrygiatam ei imponit, deinde **ambo**, facta reverentia eidem Celebranti, ad loca sua pergunt, una cum **aliis Assistentibus** sedent et caput cooperiunt. Ad: *Gloria Patri* etc., in fine cuiusque Psalmi, et ad verba quae reverentiam exposcunt, caput detegunt atque inclinant. Dum a Choro repetitur Antiphona, **ultimus Assistens** se gerit ut sub n. 658 notavimus.

688. — Dum quinta Antiphona repetitur, **omnes** surgunt, **duo digniores** accedunt ad Celebrantis latera; Celebrante assurgente, loca permutant, et se ad Altare convertunt. Capitulo decantato, **dignior Assistens** se gerit ut ad praeintonationem primae Antiphonae et Celebranti Hymnum praeintonat, deinde **uterque** ad populum se convertit et, locis permutatis, **primus** Celebranti aufert mitram, iterumque **ambo** ad Altare se convertunt, pariter locis permutatis.

689. — Si ad initium Hymni, vel ad aliam stropham, infra eundem Hymnum, genuflectendum est, **duo digniores Assistentes** ad Celebrantis latera, **ceteri** suis in locis, genuflectunt.

Dum a Cantoribus Versiculus post Hymnum canitur, **dignior Assistens**, ut supra, ad Celebrantem accedit eique praecinit Antiphonam ad: *Magnificat*; qua intonata, **ambo** se ad populum convertunt et **prior** mitram pretiosam Celebranti imponit ac postea accipit a Thuriferario naviculam incensi, dein manum Episcopi sedentis deosculatur, cochlear ei porrigit et ministrat, more solito, naviculam dicens: *Benedicite, Reverendissime Pater*. Thure imposito, cum consuetis osculis, cochlear recipit et naviculam Thuriferario tradit; reverentia Celebranti facta, ad eius dexteram consistit.

690. — Cum Canticum inchoatur, **omnes Assistentes** signo Crucis se muniunt; **duo digniores**, elevantes fimbrias pluvialis Celebrantis ad Altare procedunt, facta reverentia, vel genuflexione, Episcopo et Altari; dein **Assistens primus** mitram aufert Episcopo et cum eo **ambo** Altare conscendunt.

Postquam Celebrans deosculatus fuerit Altare in medio, **primus Assistens** eidem thuribulum porrigit cum solitis osculis, **ambo** utrinque pluvialis fimbrias sustinent et genuflexionem, vel reverentiam, faciunt quoties Celebrans Cruci se inclinatur et cum eo Canticum alternatim recitant, si adsit consuetudo.

Assistens primus, accepto thuribulo a Celebrante et Thuriferario tradito, postquam ipse Celebrans recitaverit Versum: *Gloria Patri* etc., in cornu Epistolae mitram ei reponit; **ambo** una cum Celebrante, reverentia vel genuflexione Cruci facta, ad Faldistorium per viam brevioram pergunt.

Cum ad Faldistorium pervenerint, **primus Assistens** a Thuriferario thuribulum accipit et Celebrantem stantem versus populum thurificat duplici ductu; deinde, reddito thuribulo Thuriferario, mitram Celebranti aufert; **ambo**, locis permutatis, se ad Altare convertunt. **Assistentes** incensantur post Canonicos. Cum **primus Assistens** incensatur se vertit ad populum et ita se gerit **secundus**. **Ceteri Assistentes** incensantur ante scabella sua.

691. — Cantico absoluto, **primus Assistens** Celebranti mitram imponit, quam aufert post Antiphonae repetitionem, deinde **ambo Assistentes** se cum Celebrante ad Altare vertunt et ad Orationem, vel Orationes, fimbrias pluvialis sustinent. Decantato: *Benedicamus Domino*, **primus Assistens** mitram pretiosam Celebranti imponit; **ambo** cum eodem Celebrante ad Altare procedunt, genuflexione vel reverentia Ordinario et Altari peracta, uti ad initium Cantici, sed dum Celebrans benedictionem impertit, si Canonici, consistunt in superiori gradu ac profunde se inclinant, alias genuflectunt. Benedictione impertita, Cruci reverentiam vel genuflexionem faciunt, loca permutant et, elevantes fimbrias pluvialis, cum Celebrante ad Faldistorium pergunt. **Ceteri Assistentes** ad benedictionem suis in locis genuflectunt.

692. — Quando Ordinarius, facta brevi oratione in Faldistorio, surgit et se Celebranti inclinatur, **duo digniores Assistentes**, si Canonici, profundam reverentiam ei faciunt, alias cum **ceteris** genuflexionem peragunt.

Profecto de Presbyterio Ordinario, **duo digniores Assistentes** cum Celebrante pergunt ad Altare, et etiam **ceteri Assistentes** ad Altare pariter accedunt, ubi, reverentia vel genuflexione Cruci peracta, ad Sacristiam capitularem, quo venerunt ordine, redeunt; ibique exhibita, capite detecto, profunda inclinatione Imagini praecipuae, **primus** mitram Celebranti aufert, et, **adiuvante secundo Assistente**, exuit eundem paramentis, deinde, eo salutato, cum **ceteris** pluviale deponunt.

ARTICULUS V.

De Caeremoniariis in Vesperis pontificalibus ad Faldistorium cum assistentia Episcopi Ordinarii.

693. — I. - DE CAEREMONIARIO PRIMO. — Caeremoniarius primus se gerit ut notavimus sub n. **666**, sed Ordinarius incensum in thuribulum non imponit, nec benedictionem pontificalem impertit.

II. - DE CAEREMONIARIO SECUNDO. — Caeremoniarius secundus se gerit ut sub n. **667** notavimus, sed, acceptum biretum ab Episcopo celebrante, Clerico tradit et eidem Celebranti Crucem pectoralem aufert, quam reponit in lance a Thuriferario sustenta, dein singula paramenta Assistenti primo porrigit.

Celebrante parato, signum egrediendi dat (v. n. **667**) et cum Celebrans ad Faldistorium pervenerit, ipse sistit ad sinistram secundi Assistentis.

Adveniente Episcopo Ordinario, Caeremoniarius moneat Celebrantem ut ipse surgat et respondeat eius salutationi, Assistentes vero ut vel genuflectant vel se inclinent eidem Ordinario.

In reliquis se pariter gerit ut supra (v. n. **669-671**) et sedet in plano cornu Epistolae ad sinistram Celebrantis, sed non comitatur Assistentem qui Antiphonas praeintonat nec Cantorem Capituli.

Intonata a Celebrante Antiphona ad: *Magnificat*, innuit ut Thuriferarius accedat ad Celebrantem pro impositione incensi. Altari thurificato, Celebrans ad Faldistorium incensatur; benedictionem vero ad Altare impertit. Praemoneat Celebrantem ut ipse surgat quando, Vesperis absolutis, Ordinarius de Faldistorio surgit, et reverentiae eiusdem Ordinarii respondeat.

Cum Ordinarius discesserit, Caeremoniarius Celebrantem, Assistentes et Ceroferarios ad Sacristiam capitularem deducit, ordine quo venerunt, ubi, exhibita inclinatione principali Imagini, a primo Assistente singula Celebrantis paramenta accipit et super mensam

deponit, Crucem vero pectoralem in lance, deinde induit Celebrantem mantelletto, eique Crucem pectoralem imponit ac biretum porrigit.

ARTICULUS VI.

De Ministris inferioribus in Vesperis pontificalibus ad Faldistorium cum assistentia Episcopi Ordinarii.

694. — I. - DE MINISTRO MITRAE. — Minister, assumpta vimpa, mitram accipit a secundo Caeremoniario eamque primo Assistenti porrigit; in accessu ad Altare sequitur Celebrantem. Facta Cruci Altaris genuflexione, pergit apud Faldistorium et sistit ad sinistram Assistentis dignioris, a quo recipit mitram, quam semper eidem porrigit.

Accepta mitra pretiosa, Minister eam super abaco deponit ex quo sumit auriphrygiatam, quam Assistenti digniori, incepto primo Psalmo, tradit, deinde sedet cum Ministris libri et candelae, Thuriferario et Ceroferariis super infimum Altaris gradum, collocans se versus Faldistorium.

Ad: *Sicut erat* etc., in fine ultimi Psalmi, cum aliis surgit et suo in loco sistit. Accepta mitra auriphrygiata, super abacum eam reponit et pretiosam recipit, quam Assistenti tradit, intonata Antiphona ad: *Magnificat*.

Cum Celebrans, intonato Cantico, ad Altare pervenerit, Minister accipit a primo Assistente mitram et in cornu Epistolae consistit. Thurificato Altari, ascendit in suppedaneo et mitram Assistenti porrigit.

Cum Celebrans thurificationem ad Faldistorium acceperit, Minister ab Assistente mitram recipit, quam eidem iterum tradit, absoluto Cantico.

Repetita Antiphona post: *Magnificat*, ab Assistente mitram recipit et denuo eidem porrigit post: *Benedicamus Domino*.

Vesperis absolutis et Ordinario de Altari profecto, sequitur Celebrantem et in Sacristia capitulari mitram a primo Assistente accipit, eamque supra mensam deponit.

II. - DE MINISTRO LIBRI. — In his Vesperis Minister pluviale non induit et ad Altare post Ceroferarios accedit. Genuflexione peracta, ad abacum accedit et in omnibus se gerit ut ad Vesperas pontificales ad Thronum (v. n. **611-613**), sed semper librum ipse sustinet.

Incepto primo Versu Psalmi, Minister cum Thuriferario et Ceroferariis, facta Celebranti reverentia, accedit ante infimum Altaris gradum, genuflexionem peragit, Minister ad dexteram Ministri mitrae, per suam dexteram ad populum se convertit et sedet super ipsum gradum.

Ad: *Sicut erat* etc., in fine ultimi Psalmi, Minister surgit; debitis cum genuflexionibus Altari et reverentiis Celebranti, ad abacum accedit.

Si Celebrans intonat Hymnum et Antiphonam ad: *Magnificat* ex libro, tunc, absoluto cantu Capituli, Minister se confert apud Faldistorium; Hymno praeintonato, accedit ad Celebrantem. Dum Hymnus cantatur, sistit apud Faldistorium donec Antiphona ad: *Magnificat* praeintonata fuerit; tunc iterum ad Celebrantem accedit. Antiphona intonata ad abacum revertitur; Cantico absoluto, rursus ad Faldistorium accedit inter Ceroferarios, candelabra deferentes, pro cantu Orationis, vel Orationum.

Absoluta Oratione, vel ultima Commemoratione, cum Ceroferariis ad abacum revertitur, ubi, deposito Breviario, accipit Canonem pontificalem, nisi formula benedictionis in Breviario adsit, et illum collocat ad Crucis basim.

Benedictione impertita, Minister deponit librum super abacum et ad Sacristiam, modo quo venerat, pergit cum Celebrante.

III. - DE THURIFERARIO. — Adveniente Celebrante, Thuriferarius ex mensa sumit lancem et perstat apud Caeremoniarium, qui Crucem pectoralem in eandem lancem deponit; Cruce a Caeremoniario recepta, lancem super mensam iterum deponit. Ad Altare procedit, post Ceroferarios, ad sinistram Acolythi.

Cum ad Altare pervenerit, genuflexione peracta, ad abacum pergit. Incepto primo Versu Psalmi, cum Ministris libri, candelae, et cum Ceroferariis, facta Celebranti reverentia, accedit ante infimum Altaris gradum, Cruci genuflectit, deinde per dexteram suam se ad populum vertit et sedet super ipsum gradum. Ad: *Sicut erat* etc., ultimi Psalmi cum aliis surgit; facta genuflexione Altari ac reverentia Celebranti, ad abacum accedit, deinde ad Sacristiam pergit atque ad Altare cum thuribulo et navicula revertitur circa finem Hymni, deinde se gerit ut sub n. 626 notavimus, sed accedit ad Faldistorium, naviculam primo Assistenti tradit et, dum Celebrans incensum imponit, perstat. Ad Altare thuribulum porrigit pariter primo Assistenti et ab eodem recipit, ac postea ad Faldistorium procedit; eidem primo Assistenti iterum thuribulum tradit; Celebrante thurificato, thuribulum recipit, ad Thronum pergit et se gerit ut diximus sub n. 627.

IV. - DE CEROFERARIIS. — **Ceroferarii** se gerunt ut sub n. 673, IV notavimus. Incepto primo Versu Psalmi, cum Ministro libri ac Thuriferario, facta Celebranti reverentia, accedunt ante infimum Altaris gradum, genuflexionem peragunt, per dexteram suam ad populum se vertunt, et super eundem gradum sedent: **prior** ad dexteram Thuriferarii, **alter** ad dexteram prioris Ceroferarii. **Ambo** ad: *Sicut erat* etc., in fine ultimi Psalmi, surgunt, genuflexionem Altari peragunt, et, reverentia Celebranti completa, ad abacum accedunt.

Cantico absoluto, sumunt ex abaco candelabra et cum Ministro libri se retro post Faldistorium conferunt, ibique faciem ad invicem convertentes manent.

Absoluta Oratione, vel ultima Commemoratione, ad abacum revertuntur, deinde se, ut sub eodem numero allato, gerunt.

V. - DE ACOLYTHO. — Acolythus, deposito vasculo aquae benedictae congruo in loco, procedit ad Altare ad Thuriferarii dexteram; quo cum pervenerit, genuflexionem peragit et ad abacum se confert.

Ad: *Sicut erat* etc., in fine primi Psalmi, comitatur ultimum Assistentem, peractis genuflexionibus Altari et Ordinario, ad digniorem ex Canonicis in Choro praesentibus, ad Antiphonam praeintonandam; qua intonata, Assistentem ad suum locum ducit cum genuflexionibus, ut supra, et ita se gerit ad alias Antiphonas praeintonandas.

Repetita quinta Antiphona, Acolythus ducit Cantorem ad locum in quo decantari solet Epistola ut Capitulum decantet.

VI. - DE CAUDATARIO, DE CRUCIFERO, DEQUE CANTORIBUS. — **Caudatarius** et **Crucifer** se gerunt respective ut sub n. 620-622, et 623-625, sed animadvertant: 1. Episcopus cappam non dimittit, nec benedictionem in fine Vesperarum impertit; 2. Diaconi Assistentes non intonant Antiphonas.

Duo Cantores se gerunt ut sub n. 673, VI notavimus.

CAPUT XI.

DE VESPERIS PONTIFICALIBUS AD FALDISTORIUM,
EPISCOPO ORDINARIO CELEBRANTE, PRAESENTE CARDINALI,
LEGATO AUT METROPOLITA

ARTICULUS I.

De iis quae praeparanda sunt pro Vesperis pontificalibus ad Faldistorium, Episcopo Ordinario celebrante, praesente Cardinali, Legato aut Metropolita.

695. — I. - IN SACRISTIA CAPITULARI. — Super mensam principalem disponuntur sex aut quatuor pluvialia iuxta maiorem vel minorem solemnitatem et Ecclesiae consuetudinem, pro Canonicis Assistentibus (v. n. 753).

II. - IN SACRISTIA MAIORI. — Super consuetam mensam disponuntur superpellicea et bireta pro Clero; thuribulum cum navicula, vasculum aquae benedictae cum aspersorio.

III. - AD ALTARE MAIUS. — Omnia quae sub n. 562, IV notavimus.

IV. - IN CORNU EVANGELII. — Thronus ut dictum est sub n. 562, VI, sed ante infimum gradum ad dexteram Cathedrae collocatur tantum scamnum pro Caeremoniario.

V. - IN CORNU EPISTOLAE. — Si Legatus, aut Metropolita, non sit Cardinalis, erigitur alius Thronus similiter ornatus ut Sedes episcopalis (Caer. Episc., L. I, cap. XIII, n. 9).

In eodem cornu collocatur Faldistorium pro Celebrante (v. n. 674, V). Si Altare haberet plures gradus, ita ut Faldistorium in pavimento positum remaneret nimis depressum, posset ei supponi aliquod suggestum seu tabulatum aequalis altitudinis a terra cum infimo gradu Altaris, si super eo sessurus sit proprius Episcopus (Caer. Episc., l. c., cap. XII, n. 11; D. 2231 ad 9).

Non longe a Faldistorio, a sinistris, collocatur scabellum pro Caeremoniario et, nisi in eodem cornu adsit alius Thronus, duo scabella pro dignioribus Assistentibus.

Si vero Thronus episcopalis adhaereat parieti e regione Altaris tunc, si possibile, formari potest Presbyterium ante Altare, ex parte praecipuae navis; alias Sedes pro Metropolita statui potest in cornu Evangelii et in casu basis pro Cruce collocatur super infimum gradum ad dexteram Cathedrae.

Abacus collocatur, nisi adsit alius Thronus, e regione Sedis episcopalis, more solito; alias, congruo in loco, in eodem cornu.

Super abacum collocanda sunt duo candelabra cum cereis pro Ceroferariis, Breviarium, Canon Pontificalis, lanx pro Cruce pectorali.

VI. - IN MEDIO PRESBYTERIO. — Collocatur Faldistorium cum pulvinis eiusdem coloris Officii; ad sinistram Faldistorii ponitur aliud pulvinar in eadem linea, si Legatus, aut Metropolita, non sit Cardinalis; si vero Cardinalis sit, collocatur pulvinar, pariter ad sinistram Faldistorii, sed aliquantulum retro.

VII. - AD ALTARE SS. SACRAMENTI. — Si Legatus, aut Metropolita, non sit Cardinalis, genuflexorium debet esse tam amplum ut in eo genuflectat et Legatus, aut Metropolita, et Episcopus Ordinarius. Si vero Legatus, aut Metropolita, sit Cardinalis, tunc paratur genuflexorium cum strato et pulvinis rubri vel violacei coloris, pro diversitate temporum; aliud genuflexorium ad sinistram, sed non in eadem linea, paratur cum strato et pulvinis viridis, vel violacei coloris pro temporum diversitate.

Sex cerei super Altare accenduntur.

ARTICULUS II.

In Functione.

696. — In accessu ad Ecclesiam omnes se gerunt ut sub n. 537 notavimus.

Cum ad Altare maius pervenerint, oratione facta in Faldistorio, Cardinalis, aut Legatus, aut Metropolita accedit ad Thronum cum duobus Canonicis; Ordinarius vero accedit ad Faldistorium et, adiuvante Caeremoniario, Crucem pectoralem dimittit, ac exiit se cappa. Interim accedunt duo digniores Assistentes et Clerici, qui ex Altari, more solito, (v. n. 635) accipiunt a secundo Caeremoniario paramenta.

Ministri non genuflectunt ante Ordinarium, sed tantum se inclinant, sicut etiam se Legato, aut Metropolitae inclinant; Cardinali autem genuflectunt.

Conveniens est ut duo digniores Assistentes Ordinario sint Canonici residentiales, ceteri saltem honorarii.

Functio persolvitur eodem ritu in Capite praecedenti descripto, sed Celebrans utitur baculo pastorali. Si Cardinalis sit Legatus, convenit ut in fine Vesperarum ipse benedictionem impertiat.

CAPUT XII.

DE VESPERIS PONTIFICALIBUS, CELEBRANTE METROPOLITA
IN DIOECESIBUS SUFFRAGANEORUM SUORUM

697. — Omnia parantur ut in Art. I Capitis VII huius Partis, sed:

I. - In Sacristia capitulari non disponuntur paramenta pro Canonicis.

II. - In Sacristia maiori non collocantur pluvialia pro Ministris libri, candelae, mitrae et baculi, sed tantum vimpa pro Ministro mitrae.

III. - Apud Altare maius non collocatur baculus pastoralis.

IV. - Thronus erigitur in cornu Epistolae, similiter ornatus ut Sedes episcopalis (Caer. Episc., L. I, cap. XIII, n. 9); si vero Thronus episcopalis adhaereat parieti e regione Altaris, confer quae diximus sub n. 695, V. In plano Throni episcopalis non collocantur scabella; in plano vero Throni pro Metropolita statuuntur tria scabella.

Ante infimum gradum huius Throni collocantur scabella pro Caeremoniario et pro Ministro mitrae.

Basis pro Cruce ponitur super infimum gradum ad dexteram Cathedrae.

Si Functio peragitur extra Ecclesiam Cathedralem, etiam si adsit Ordinarius non erigitur Thronus in cornu Evangelii, sed in subsellio primi stalli Chori collocatur pulvinus et alter pulvinus in genuflexorio si adsit.

V. - In medio Presbyterio si adsit Episcopus Ordinarius, ad sinistram Faldistorii, collocatur in eadem linea aliud pulvinar.

VI. - Ad Altare SS. Sacramenti, pariter si Ordinarius adsit, genuflexorium debet esse tam amplum ut in eo genuflectat et Metropolita et Ordinarius.

698. — Functio peragitur ut in Capite VII huius Partis, sed Metropolita non utitur baculo pastorali. Si adsit Ordinarius omnes se gerunt ut sub n. 537; brevi oratione facta ante Altare maius, Ordinarius procedit ad primum stallum Chori (D. 4355, III, 5).

CAPUT XIII.

DE VESPERIS PONTIFICALIBUS AD THRONUM
EPISCOPO EXTRANEEO CELEBRANTE

699. — Episcopus extraneus, ex Ordinarii concessione, celebrans Vesperas pontificales ad Thronum, se gerit ut diximus de Episcopo Ordinario, ideoque uti potest cappa, sedere in Throno ab Evangelii parte erecto, habere Presbyterum et Diaconos Assistentes (D. 4355, III, 2, 4, 6, b).

Omnia parantur et Functio peragitur ut in Capite VII huius Partis, sed:

I. - **Canonici** non pergunt ad associandum Episcopum, nec paramenta assumunt.

II. - **Canonici Episcopi** thurificantur triplici vel duplici ductu iuxta consuetudinem (DD. 2447 ad 2; 2883 ad 5).

III. - **Ministri inferiores**, sicut et **ceteri de Clero**, Episcopo non genuflectunt, sed tantum ei se inclinant.

CAPUT XIV.

DE VESPERIS PONTIFICALIBUS AD FALDISTORIUM
EPISCOPO EXTRANEEO CELEBRANTE

ARTICULUS I.

*De Vesperis pontificalibus ad Faldistorium
Episcopo extraneo celebrante in Ecclesiis ubi Capitulum adest.*

1. — De iis quae praeparanda sunt.

700. — I. - IN SACRISTIA CAPITULARI, IN SACRISTIA MAIORI, AD ALTARE MAIUS et IN CORNU EPISTOLAE, omnia parantur ut respective notavimus sub n. 674, I, II, III, V, sed super abacum collocatur etiam palmatoria.

II. - IN MEDIO PRESBYTERIO, e regione Altaris, statuuntur duo vel quatuor scabella pro reliquis Assistentibus Episcopo.

III. - AD ALTARE SS. SACRAMENTI. — Paratur genuflexorium cum pulvinis viridis vel violacei coloris, pro temporum diversitate.

2. — In Functione.

701. — **Omnes** se gerunt ut in respectivis Articulis Capitis X huius Partis, omissis quae Ordinarii praesentiam respiciunt, sed:

I. - **Episcopus**, incepto Canticum, surgit cum mitra et, facto Crucis signo super se, iunctis manibus, medius inter digniores Assistentes se confert ante Altare, Cruci reverentiam peragit, Chorum salutatur, et procedit ad Altare SS. Sacramenti; quo cum pervenerit, mitram et pileolum dimittit, genuflexionem peragit, ascendit Altare, quod in medio deosculatur, ac illud, more solito, thurificat, recitando interim cum Assistentibus alternatim Canticum, iuxta laudabilem consuetudinem, singulos Versus distribuendo; tradito thuribulo primo Assistenti profert: *Gloria Patri* etc., dein ad medium Altare revertitur, in planum descendit, genuflexionem peragit, pileolum ac mitram recipit, ac postea ad Altare maius revertitur; quo cum ad infimum gradum pervenerit, Chorum salutatur, Cruci reverentiam peragit, mitram dimittit, Altare conscendit ac illud in medio deosculatur et thurificat.

Tradito thuribulo in cornu Epistolae primo Assistenti, in eodem cornu mitram accipit, se in medium Altare confert, Cruci reverentiam iterat et per brevioram viam ad Falditorium revertitur.

II. - **Duo digniores Assistentes**, incepto Canticum, signo Crucis se muniunt; elevantes fimbrias pluvialis Episcopi, ante Altare cum eo se conferunt, Cruci reverentiam peragunt, Chorum salutatur et procedunt ad Altare SS. Sacramenti; quo cum pervenerint, **Assistens primus** Episcopo mitram et pileolum aufert, dein **ambo** genuflexionem faciunt et Altare conscendunt.

Deosculato ab Episcopo Altari, **Assistens dignior** porrigit ei thuribulum cum osculis consuetis; **ambo** Episcopum in thurificatione comitantur, sustinentes pluvialis fimbrias, recitantes cum eodem Celebrante alternatim, iuxta laudabilem consuetudinem, Canticum.

Altari thurificato, **Assistens primus** recipit thuribulum quod Thuriferario tradit, ac postea **ambo** in planum descendunt, genuflexionem peragunt; **Assistens primus** pileolum et mitram Episcopo imponit, dein **ambo** ad Altare maius revertuntur cum Celebrante, sustinentes eius pluvialis fimbrias.

Quum ante infimum Altaris gradum pervenerint, Cruci reverentiam faciunt, Chorum salutatur, **primus Assistens** mitram Episcopo aufert, **ambo** ascendunt et se gerunt, more solito, ut in Altaris thurificatione.

III. - **Ceteri Assistentes**, incepto Canticum, signo Crucis se muniunt, et quando Episcopus cum duobus dignioribus Assistentibus ante Altare pervenerit, Cruci reverentiam peragunt, Chorum salutatur et ad Altare SS. Sacramenti procedunt; quo cum pervenerint, cum ceteris genuflexionem peragunt ac in plano consistunt usque ad finem thurificationis, ac postea cum ceteri genuflexionem peragunt et ipsi genuflexionem faciunt atque ad Altare maius revertuntur.

IV. - **Minister mitrae** sequitur Episcopum ad Altare SS. Sacramenti; quo cum pervenerit, accipit a primo Assistente mitram, quam eidem porrigit postquam, thurificatione completa, Episcopus in plano genuflexionem fecerit.

V. - **Minister candelae** se conformatur Ministro libri. Incepto primo Versu Psalmi, accedit ante infimum Altaris gradum et genuflexionem peragit ad dexteram Ministri libri, per suam dexteram ad populum se convertit et sedet super ipsum gradum.

VI. - **Thuriferarius**, imposito ac benedicto incenso, se confert ad Presbyterii cancellos; ad nutum Caeremoniarum, procedit ad Altare SS. Sacramenti.

VII. - **Ceroferarii**, dum Episcopus imponit et benedicit incensum, candelabra sumunt et se conferunt ad Presbyterii cancellos; innuente Caeremoniarum, procedunt post Thuriferarium ad Altare SS. Sacramenti.

ARTICULUS II.

De Vesperis pontificalibus ad Falditorium, celebrante Episcopo extraneo in Ecclesiis ubi Capitulum absit.

1. — De iis quae praeparanda sunt.

702. — I. - IN SACRISTIA. — Omnia parantur quae sub n. 674, II notavimus.

II. - AD ALTARE MAIUS. — Crux et sex tantum ponuntur candelabra inter quae alterne statui possunt vel Sanctorum Reliquiae vel vascula cum floribus.

Super infimum Altaris gradum, in medio, collocatur pulvinus.

III. - IN CORNU EPISTOLAE. — Falditorium ut sub n. 674, V notavimus.

IV. - SUPER ABACUM. — Canon pontificalis; Breviarium; palmatoria cum candela.

V. - IN MEDIO PRESBYTERIO, et AD ALTARE SS. SACRAMENTI omnia ut sub n. 700, II et III diximus.

2. — In Functione.

703. — **Episcopus** ad Ecclesiae ianuam excipitur a **Caeremoniario** et a **duobus Clericis** quorum **dignior** aspersionem offert. Oratione facta ad Altare SS. Sacramenti, procedunt ad Altare maius, ubi **Episcopus** breviter orat in pulvino super infimum gradum collocato, ac postea ad Faldistorium procedit.

Interim **Assistentes** et **Ministri inferiores** accedunt, more solito, ad Altare.

Episcopus, adiuvente **Caeremoniario**, Crucem pectoralem et mantelletum dimittit, ac postea **duo digniores Assistentes** eum paramentis induunt. **Clerici** (v. n. 635) a secundo Caeremoniario paramenta accipiunt.

Functio persolvitur eodem ritu in praecedenti Articulo descripto.

CAPUT XV.

DE COMPLETORIO, EPISCOPO ORDINARIO PRAESENTE

704. — « Si **Episcopus** Completorio interesse, et Officium facere voluerit, assistet cum sua cappa in Choro in suo loco, seu stallo, panno aliquo, vel tapete cum pulvinaribus ornato.

« Officium vero ipsius erit circa haec: videlicet, ut dicente cantore: *Iube, domne, benedicere*, ipse stans, respondeat: *Noctem quietam etc.*, et post lectionem brevem: *Adiutorium nostrum etc.*, deinde: *Pater noster etc.*, tum confessionem, et absolutionem, et alia usque ad: *Deus, in adiutorium etc.*, inclusive, et incepto Psalmo sedebit.

« Cetera omnia dicentur per **Chorum**, et **Hebdomadarium** usque ad Orationem, quam ipse **Episcopus** cantabit, et demum benedictionem dabit, dicens: *Benedicat, et custodiat nos omnipotens, et misericors Dominus etc.* Nulla autem fiet Altaris thurificatio ad Canticum: *Nunc dimittis etc.*, nec organum pulsabitur, nisi forte in aliquibus Ecclesiis huiusmodi Hora solemniter celebrari aliquando consueverit; quo

casu organum adhiberi poterit, iuxta normam superius traditam » (Caer. Episc., L. II, cap. IV, n. 1-3).

Cum vero **Episcopus** praesens erit et Officium non faciet, omnia praedicta **Hebdomadarius** in suo habitu canonicali peraget; ad Confessionem loco: *Vobis fratres*, et: *Vos fratres*, dicet: *Tibi Pater*, et: *Te Pater*, se convertendo ad Episcopum atque se profunde inclinando (Rit. cel. Miss. III, 8); more autem solito, dicet: *Misereatur etc.*, et: *Indulgentiam etc.*; ad Versiculum: *Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus*, etc., in fine, inclinabit se profunde versus Episcopum (Caer. Episc., L. II, cap. IV, n. 4).

Chorales omnes in Confessione dicent: *Tibi Pater*, et: *Te Pater*, aliquantulum conversi ad Hebdomadarium (Rit. cel. Miss. III, 9).

CAPUT XVI.

DE MATUTINO PONTIFICALI CUM LAUDIBUS

ARTICULUS I.

De iis quae praeparanda sunt pro Matutino pontificali cum Laudibus.

705. — Omnia parantur ut in Vesperis pontificalibus ad Thronum, ut sub n. 562, sed:

I. - IN SACRISTIA CAPITULARI. — Non praeparantur paramenta pro Canonicis.

II. - IN SACRISTIA MAIORI. — Super aliquam mensam disponuntur superpellicea et bireta pro Clero; vimpae coloris paramentorum, vel albae, pro Ministris mitrae et baculi; thuribulum cum navicula et vasculum aquae benedictae cum aspersione.

III. - IN SACRISTIA ALTARI MAIORI CONTIGUA. — Super mensam praeparantur quatuor pluvialia et amictus pro Canonicis dignioribus. Pluvialia et amictus, si possibile, collocari possunt super parvo abaco a tergo maioris Altaris ut expedite a Canonicis assumantur.

IV. - AD ALTARE MAIUS. — Altera tobalea explicata, seu velum explicatum, super mensa non collocatur.

In promptu quoque erit legile « nudum, idest sine panno vel coopertorio » (Caer. Episc., L. II, cap. V, n. 5) cum Breviario. Legile hoc collocandum in medio Presbyterio quando tollitur Faldistorium

vel etiam statuendum e latere. Prope legile apponi potest candelabrum cum cereo accenso (D. 2079 ad 3); iuxta consuetudinem plurimum Ecclesiarum hinc et inde legilis candelabrum collocari potest.

ARTICULUS II.

De Episcopo Ordinario ad Matutinum pontificale cum Laudibus.

706. — In accessu ad Ecclesiam Episcopus se gerit ut diximus sub n. 519 et seqq. Cum ad Altare maius pervenerit, facta brevi oratione in Faldistorio, statim recitat Orationem: *Aperi, Domine*, etc., dein surgit, facit Cruci reverentiam, procedit ad Thronum ibique sedet.

707. — Facta modica mora, Episcopus biretum Caeremoniario tradit, surgit et versus Altare dicit: *Pater, Ave et Credo*, integre secreto; quibus completis, signans sibi cum pollice dexteræ manus labia, parvo signo Crucis, cantat vel ex libro, vel memoriter, prout ei magis placuerit: *Domine, labia mea aperies*, deinde responso a Choro: *Et os meum* etc., subiungit, pariter in cantu: *Deus, in adiutorium meum intende*, quod cum dicit facit sibi signum Crucis prout in Vesperis (v. n. 565) et sic permanet, stans, donec decantatum sit Invitatorium cum Psalmo 94: *Venite, exultemus* etc., sed cum cantatur: *Venite, adoremus, et procidamus ante Deum*, ipse genuflectit super pulvinar.

708. — Si Episcopus Missam celebraturus erit, tunc Hymnum, sibi praeintonatum, competenti voce intonat. Si initium Hymni exprimat invocationem Christi aut Dei, tunc caput ad Altaris Crucem inclinat.

709. — Incepto primo Versu Psalmi, sedet, accipit biretum a Caeremoniario, caput cooperit, quod tamen sedens detegit et inclinat ad: *Gloria Patri* etc., in fine cuiuslibet Psalmi.

Repetita tertia Antiphona primi Nocturni, cum cantatur Versiculus Episcopus caput detegit et surgit; Responsorio a Choro decantato, elata voce iunctisque manibus, intonat: *Pater noster*, et reliquum secreto perficit; tum, eodem tono vocis, sive ex libro, sibi allato, sive memoriter subdit: *Et ne nos inducas in tentationem*; responso a Choro: *Sed libera* etc., cantat: *Exaudi, Domine*, etc. Petita benedictione a Canonico Lectionem cantaturo per verba: *Iube, domne,*

benedicere, Episcopus iterum cantat: *Benedictione perpetua* etc., non tamen manu signans; responso per Chorum: *Amen*, sedet et caput tegit. Lectione absoluta, signum Crucis facit versus Canonicum qui, cantata Lectione, reverentiam ei peragit.

Episcopus benedictionem secundam et tertiam sedens, capite detecto, impertit.

Ad secundum Nocturnum Episcopus se gerit ut in primo et sic ad tertium, sed postquam cantaverit: *Evangelica lectio* etc., perstat donec per Canonicum Lectionem cantantem dicatur: *Et reliqua*.

710. — Octavo Responsorio absoluto, Episcopus caput detegit, biretum primo Diacono porrigit, surgit et inclinatus versus Altare cantat: *Iube, Domine, benedicere*; responso per Chorum: *Amen*, Lectionem cantat; qua absoluta, profunde caput inclinans versus Altare dicit: *Tu autem, Domine*, etc.

Si Episcopus Missam celebraturus sit, tunc Hymnum: *Te Deum* etc., sibi praeintonatum, intonat. Ad Versiculum: *Te ergo* etc., in pulvinari genuflectit.

711. — Expleto Hymno, Episcopus sedet, Crucem pectoralem dimittit, iterum surgit, adiuvante Caudatario, cappa exuit; stans paramenta accipit et se ut ad Vesperas pontificales gerit (v. n. 564 et seqq.). Intonata Antiphona ad: *Benedictus*, incensum in thuribulum imponit, Altare thurificat etc., Orationem, vel Orationes, cantat, sicut ad Vesperas, et, Laudibus absolutis, benedictionem pontificalem impertit (v. n. 569 et 570).

ARTICULUS III.

De Presbytero Assistente deque Diaconis Assistentibus ad Matutinum pontificale cum Laudibus.

712. — I. - DE PRESBYTERO ASSISTENTE. — **Presbyter Assistens** cum ad Altare maius pervenerit, se confert ad locum suum in Choro et se aliis Canonicis conformat. Hymno: *Te Deum* etc., absoluto, si prima Dignitas sit, transit ad primum stallum post Canonicos paratos, si primus Canonicus Presbyter, ad primum stallum se confert post Dignitates.

Intonata ab Episcopo Antiphona ad: *Benedictus*, debitis cum reverentiis ad Thronum pergat, et se gerit ut ad Vesperas pontificales (v. n. 575).

Ad: *Sicut erat* etc., post Canticum de Throno descendit et pergat ad locum suum in Choro.

II. — DE DIACONIS ASSISTENTIBUS. — **Diaconi Assistentes** se in omnibus conformant aliis Canonicis, sed, absoluta octava Lectione, ad Thronum pergunt. Absoluto octavo Responsorio, **Diaconus primus** Episcopi biretum accipit et illud Caeremoniario tradit. Ad Versiculum: *Te ergo, quaesumus*, etc., Hymni: *Te Deum* etc., genuflectunt **ambo** suis in locis. Completo Hymno, Episcopum paramentis induunt ut explicavimus sub n. 581 et se gerunt ut ad Vesperas pontificales, sed Antiphonas non intonant.

ARTICULUS IV.

De Praeintonatore ad Matutinum pontificale cum Laudibus.

713. — Si Episcopus celebraturus erit, tunc Canonicus ministraturus in Officio Subdiaconi in Missa, ad: *Sicut erat* etc. Psalmi 94: *Venite, exultemus* etc., respondet cum capitis inclinatione ad invitationem secundi Caeremoniarii et, in habitu canonicali, cum eo ad Thronum procedit, facta Altari, si ante illud transeat, reverentia, non vero Choro, et se gerit ut ad Vesperas (v. n. 589), sed Hymnum Episcopo praeintonat, et ita se gerit ad Hymnum: *Te Deum* etc., post nonam Lectionem.

Dum repetitur a Choro quinta Antiphona Laudum pariter se gerit ut ad Vesperas (v. n. 590) pro cantu Capituli, ad praeintonationem Hymni et Antiphonae ad: *Benedictus*, necnon in thurificatione.

714. — Si Episcopus celebraturus non sit, Praeintonatoris Officium pertinet ad Beneficiatum, vel Cantorem, iuxta Ecclesiae consuetudinem, sed ad Matutinum nec Hymnum post Invitatorium, nec Hymnum: *Te Deum* etc., Episcopo praeintonat; Capitulum non cantat et in reliquis se ut supra gerit.

ARTICULUS V.

De Canonicis deque ceteris Choralibus ad Matutinum pontificale cum Laudibus.

715. — **Canonici**, habitu choralis induti, more solito Episcopum associant (v. n. 519 et seqq.). Cum ad Altare maius pervenerint, suis in locis genuflectunt; facta brevi oratione, recitant Orationem: *Aperi, Domine*, etc.; cum Episcopus surgit et ipsi surgunt ac recitant: *Pater, Ave et Credo*, integre secreto.

Ad: *Domine, labia mea aperies*, pollice dextero signant sibi labia et ad: *Deus, in adiutorium* etc., more consueto, se iterum signant, atque ad: *Gloria Patri* etc., profunde se inclinant ad Altaris Crucem. Dum canuntur verba Psalmi 94: *Venite, adoremus, et procidamus ante Deum*, in suis locis, genuflectunt.

716. — **Dignior ex praesentibus** primam Antiphonam, sibi praeintonatam, intonat; aliae Antiphonae intonandae sunt a **ceteris Canonicis**, servato ordine praecedentiae, et ipsi se gerunt ut sub n. 594 notavimus.

Deficientibus Canonicis, Antiphonae praeintonandae sunt a **Beneficiatis** aut a **Mansionariis** (v. n. 664).

Incepto primo Versu Psalmi, **omnes** sedent et caput cooperiunt, quod tantum, sedentes, detegunt et inclinant ad: *Gloria Patri* etc., in fine cuiuslibet Psalmi.

Repetita tertia Antiphona primi Nocturni, cum canitur Versiculum, caput detegunt et surgunt.

717. — « Lectiones leguntur, festis praesertim diebus, a **Canonicis**, incipiendo a iunioribus ad seniores; et quando non adsunt tot Canonici, primas legunt **alii Clerici** in Choro existentes » (Caer. Episc., L. II, cap. VI, n. 13).

Duae primae Lectiones tertii Nocturni cantandae sunt a **duobus Canonicis** qui futuri sunt Assistentes a lateribus Episcopi in Missa, nec ab aliis sub quodam praetextu consuetudinis (l. c., cap. V, n. 4; DD. 349; 3108 ad 8).

Canonicus primam Lectionem cantaturus reverentiae Caeremoniarii secundi invitantis respondet, surgit, detecto capite, tenens biretum infra manus, se eidem Caeremoniario addit, cum eo, Altari et Episcopo reverentia facta, ad legile accedit, ibique Caeremoniario biretum tradit. Responso a Choro: *Amen* ad Absolutionem, **Canonicus**, iunctis manibus, ante pectus, se ad Episcopum convertit, et ab illo, inclinatus, benedictionem petit dicens: *Iube, domne, benedicere*, et sic inclinatus manet donec a Choro respondeatur: *Amen*. Tunc se convertit ad legile et, illi manus imponens, vel, manibus iunctis, Lectionem cantat (D. 2735 ad 3); qua completa, inclinatur se profunde versus Altare et dicit pariter in cantu: *Tu autem* etc.; facta consueta reverentia Episcopo, ad suum locum pergit. Et ita se gerunt **alii Canonici** ceteras Lectiones cantaturi.

718. — Si primas Lectiones **Beneficiati**, aut **Mansionarii**, legant, tunc se ut Canonici gerunt, sed Altari et Episcopo genuflectunt

et etiam genuflectunt versus Episcopum, dum benedictionem petunt; versus Altare, dum dicunt: *Tu autem*, etc. Lectione absoluta, genuflexionem Episcopo faciunt, sed ipsius manum non osculantur.

719. — **Canonici** ad primam, quartam et septimam benedictionem consistunt, ad alias, si adsit consuetudo (D. 3780 ad 11); in tertio Nocturno, dum canitur textus Evangelii, pariter consistunt donec dicatur: *Et reliqua*. Ad nonam Lectionem stant **omnes**. Ad Hymnum: *Te Deum* etc., similiter **omnes** stant, sed ad Versiculum: *Te ergo, quaesumus*, etc., suis in locis, genuflectunt.

720. — **Quatuor digniores Canonici**, absoluto Hymno: *Te Deum* etc., invitante Acolytho, debitis cum reverentiis Altari et Episcopo, procedunt vel ad Sacristiam Altari maiori contiguam, vel ad abacum a tergo eiusdem Altaris; ibi choralia insignia dimittunt, assumunt amictum et pluviale; statimque ad loca sua in Choro revertuntur, modo quo venerunt.

Omnes Chorales se gerunt ut sub n. 594, 596 et 597; pro intonatione vero Antiphonarum ut sub n. 663.

721. — Impertita benedictione, vel cum Episcopus ad Thronum pervenerit, si benedictio ad Altare data fuerit, **quatuor digniores Canonici** se conferunt ad pluviale et amictum deponendum; reasumptis choralibus insignibus, ad Chorum revertuntur.

Postquam Episcopus Crucem pectoralem assumpserit, **omnes** se gerunt ut sub n. 527 notavimus.

ARTICULUS VI.

De Caeremoniariis ad Matutinum pontificale cum Laudibus.

722. — I. - DE CAEREMONIARIO PRIMO. — In accessu ad Ecclesiam Caeremoniarius se gerit ut supra diximus sub n. 519 et sequentibus. Cum ad Altare maius pervenerit, genuflectit in plano ad sinistram Episcopi, sed aliquantulum retro; brevi oratione completa, praemoneat eum ut Orationem: *Aperi, Domine*, etc., secreto recitet.

Quum Episcopus ad Thronum accedit, tunc et ipse Caeremoniarius cum eo ascendit, ad eius sinistram consistit, biretum ab eo accipit et cum opus sit ei porrigit.

Praemoneat Episcopum ut:

1. super pulvinar genuflectat ad verba Psalmi 94: *Venite, adoremus, et procidamus ante Deum*;

2. caput ad Altaris Crucem inclinet, si initium Hymni exprimat invocationem Christi aut Dei.

Incepto primo Versu Psalmi, Caeremoniarius porrigit Episcopo biretum et sedet ad eius sinistram in scabello secundi Diaconi Assistantis. Ad: *Gloria Patri* etc., in fine cuiuslibet Psalmi, Episcopo caput detegendi et inclinandi signum dat. Repetita tertia Antiphona primi Nocturni, cum canitur Versiculus, pariter surgendi signum Episcopo dat, eumque praemoneat ut secundam et tertiam benedictionem sedens impertiat. In secundo Nocturno se ut in primo gerit et sic in tertio, sed Episcopum advertat ut, septima benedictione decantata, perstet donec per Canonicum Lectionem canentem dicatur: *Et reliqua*.

Completa octava Lectione, Caeremoniarius de Throno descendit et locum dat secundo Diacono Assistanti; ad Versiculum: *Tu ad dexteram* etc., innuit ut Caudatarius apud Episcopum pulvinar colloct.

Absolute Hymno: *Te Deum* etc., Caeremoniarius Episcopo sedenti aufert Crucem pectoralem, et se gerit ut sub n. 600 diximus. In reliquis se geret ut sub n. 601 et seqq., mutatis et omissis quae ad Laudes non conveniunt.

II. - DE CAEREMONIARIO SECUNDO. — Dum Canonici ad associandum Episcopum pergunt, Caeremoniarius moneat Acolythum ut cum vasculo aquae benedictae ad ianuam Ecclesiae accedat; curet etiam ut tempestive campanae et organa pulsantur in accessu Episcopi ad Ecclesiam (v. n. 523).

Si Episcopus celebraturus erit, tunc Caeremoniarius ad: *Sicut erat* etc., Psalmi 94: *Venite, exultemus* etc., accepto libro ex abaco, Praeintonatorem invitat cum capitis inclinatione, et, debitis cum reverentiis, ad Thronum ducit; quo cum pervenerit, librum ei porrigit, quem recipit, praeintonato Hymno. Postquam Episcopus Hymnum intonaverit, Caeremoniarius Praeintonatorem ad eius reducit locum. Si Praeintonator Canonicus non sit, tunc loco inclinationis, cum eo genuflexionem peragit.

Caeremoniarius decantato Versiculo, accedit ad Canonicum primam Lectionem cantaturum, et ad legile invitat, facta ei reverentia. Cruci et Episcopo inclinationem peragit; ad legile accipit ab eo biretum atque ad eius sinistram subsistit. Lectionem cantanti, etiamsi

Canonicus, palmatoriam, vulgo *Bugia*, vel candelabrum ab alio sustentatum adhiberi non licet (D. 2578 ad 3).

Lectione completa, Caeremoniarius ducit Canonicum ad eius locum eumque salutatur; sub finem Responsorii accedit ad Canonicum qui secundam Lectionem cantaturus erit et se ut supra gerit, etiam ad reliquas Lectiones. Si Canonicorum numerus sufficiens non sit, tunc Beneficiati seu Mansionarii primas Lectiones cantare poterunt, et in casu genuflectunt Altari et Episcopo, genuflectunt etiam versus Episcopum dum benedictionem petunt, versus vero Altare dum proferunt verba: *Tu autem*, etc.; absoluta Lectione, iterum genuflexionem Episcopo peragunt, sed eius manum non osculantur.

Octava Lectione completa, Caeremoniarius ducit Diaconos Assistentes ad Thronum; circa finem nonae Lectionis, si Episcopus celebraturus erit, ducit ad Thronum Praeintonatorem quem Hymno: *Te Deum* etc. intonato, ad locum suum deducit; deinde moneat Acolythum ut, absoluto Hymno, invitet quatuor digniores Canonicos ad pluvialia assumenda, vel ad Sacristiam Altari maiori contiguam, vel ad abacum a tergo eiusdem Altaris, et inde ad Chorum reducat.

Ad Versiculum: *Aeterna fac* etc., Caeremoniarius ascendit ad Altare et Clericis paramenta Episcopi tradit (v. n. 605).

Dum repetitur a Choro quinta Antiphona Laudum, si Episcopus Missam celebraturus erit, se gerit ut sub n. 607 et seqq. notavimus, mutatis et omissis quae ad Laudes non conveniunt.

ARTICULUS VII.

De Ministris inferioribus ad Matutinum pontificale cum Laudibus.

723. — I. - DE MINISTRO LIBRI ET CANDELAE. — **Ministri libri et candelae** recitato: *Pater, Ave et Credo*, ascendunt planum Solii et coram Episcopo sistunt. Decantato: *Deus, in adiutorium* etc., de Throno descendunt et in parte sinistra Throni recedunt donec absolutus sit Versus: *Gloria Patri* etc., deinde ad abacum accedunt ubi librum et candelam deponunt.

Circa finem octavi Responsorii sumunt ex abaco librum et candelam, ad Thronum accedunt pro cantu nonae Lectionis; qua absoluta, iterum ad abacum, debitis cum genuflexionibus, revertunt.

Absolute Hymno: *Te Deum* etc., **Ministri**, dum Episcopus paramenta induit, ex abaco librum et candelam sumunt, ad Thronum

accedunt et cum Episcopo, deposita mitra, surgit, ascendunt planum Solii.

Decantato ab Episcopo: *Deus, in adiutorium* etc., de Throno descendunt et in parte eius sinistra recedunt, donec absolutus sit Versus: *Gloria Patri* etc., dein vel ad abacum procedunt, vel, si Episcopus primam Antiphonam ex libro canit, perstant donec Praeintonator Antiphonam praecinat, ac postea, ad Episcopum accedunt. Postquam Antiphonam Episcopus intonaverit, de Throno descendunt, ad abacum pergunt ubi librum et candelam deponunt. Et ita se gerunt si Episcopus ex libro Hymnum et Antiphonam ad: *Benedictus*, intonat.

Ministri, Cantico absoluto, rursus ad Thronum accedunt inter Ceroferarios, cum cereis accensis, pro cantu Orationis, vel Orationum. Ad benedictionem se gerunt ut ad Vesperas (v. n. 613).

II. - DE MINISTRO MITRAE ET BACULI. — Hi **Ministri** ad Matutinum se Choralibus conformant; ad Versiculum: *Aeterna fac* etc., Hymni: *Te Deum* etc., assumunt vimpam, ad Altare accedunt et se gerunt ut sub n. 614 et seqq. notavimus, mutatis et omissis quae non conveniunt ad Laudes.

III. - DE CAUDATARIO. — In accessu Episcopi ad Ecclesiam Caudatarius se gerit ut sub n. 520 et seqq. diximus.

Incepto primo Versu Psalmi, una cum Crucifero, si adsit, ante Thronum accedit, Episcopo genuflexionem peragit et sedet in infimo gradu Throni ad sinistram Cathedrae. Ad: *Gloria Patri* etc., in fine cuiuslibet Psalmi caput profunde inclinatur. Dum repetitur tertia Antiphona cuiuslibet Nocturni surgit et, debita genuflexione Episcopo peracta, recedit in parte sinistra Throni; benedictione prima ab Episcopo impertita, revertitur ad locum suum; in tertio autem Nocturno perstat donec Canonicus cantaverit: *Et reliqua*.

Completa octava Lectione, surgit et, ut supra, recedit in parte sinistra Throni. Ad Versiculum: *Tu ad dexteram* etc., Hymni: *Te Deum* etc., ad nutum Caeremoniarii primi collocat pulvinar apud Episcopum; decantato Versiculo: *Te ergo*, etc., pulvinar recipit et in pristino loco deponit, ac postea se gerit ut ad Vesperas (v. n. 621 et seqq.), sed Diaconi Assistentes Antiphonas non intonant.

IV. - DE CRUCIFERO. — Crucifer se gerit ut ad Vesperas pontificales (v. n. 623 et seqq.), sed dum tertia Antiphona cuiuslibet Nocturni repetitur, surgit; debita genuflexione Episcopo peracta, recedit in parte dextera Throni; benedictione prima ab eodem Epi-

scopo impertita, revertitur ad suum locum; in tertio vero Nocturno perstat donec Canonicus cantaverit: *Et reliqua*.

Lectione octava absoluta, surgit et, ut supra, in parte dextera Throni recedit, dein se ut ad Vesperas gerit (n. 622 et 623), sed Diaconi Assistentes Antiphonas non intonant.

V. - DE CETERIS MINISTRIS INFERIORIBUS. — **Ceteri Ministri inferiores** se gerunt ut iam diximus in Articulo XI Capitis VII, ad Vesperas pontificales ad Thronum, sed:

A) **Thuriferarius**, intonata ab Episcopo Antiphona ad: *Benedictus*, genuflectit Cruci Altaris, ad Thronum accedit.

B) **Ceroferarii** ad Thronum accedunt dum a Choro repetitur Antiphona post: *Benedictus*.

C) **Clericus pro cruce pectorali**, circa finem Hymni: *Te Deum* etc., accipit ex abaco lancem.

D) **Acolythus**, reposito congruo in loco vasculo aquae benedictae, ad Altare maius pergit, et se aliis Choralibus conformat; absoluto Hymno: *Te Deum* etc., quatuor digniores cum bona gratia invitat ad pluvialia sumenda illosque ad Sacristiam Altari maiori contiguam, vel ad abacum a tergo eiusdem Altaris praecedit.

E) **Clerici sex pro Episcopi paramentis**, ad Versiculum: *Aeterna fac* etc., Hymni: *Te Deum* etc., accedunt ante infimum Altaris gradum.

ARTICULUS VIII.

De duobus Cantoribus ad Matutinum pontificale cum Laudibus.

724. — Dum a Choro canitur Versus: *Sicut erat* etc. post: *Deus, in adiutorium* etc., **duo Cantores** pergunt ad legile in medio Chori, facta genuflectione Episcopo et Altari, cantant Invitatorium, quod a Choro respondetur, deinceps Psalmum 94: *Venite, exultemus* etc. Dum canunt: *Venite, adoremus, et procidamus ante Deum*, perstant et unicum flectunt genu, decantatis illis verbis, deinde proseguuntur: *Ploremus coram Domino*, etc. Completo Psalmo, primam partem Invitatorii repetunt. Si Episcopus celebraturus non erit, tunc Hymnum inchoant.

Intonata a digniore Canonico Antiphona, eam in cantu gregoriano **Cantores** proseguuntur, dein Psalmum intonant, ac postea, genuflectione Cruci et Episcopo peracta, accedunt ad sua loca. Expleto primo Psalmo cum: *Gloria Patri* etc., ad: *Sicut erat* etc., denuo in

medium Chori adeunt, ut supra, ibique vel in cantu, vel clara voce, Antiphonam repetunt dum interim organa pulsantur. Intonata secunda Antiphona, se ut supra gerunt et ita pro aliis Antiphonis et Psalmis. Repetita tertia Antiphona cuiuslibet Nocturni, Versiculum decantant, deinde ad loca sua revertuntur. Responso a Choro: *Deo gratias*, dum ab eodem Choro canitur Responsorium, **duo Cantores** in medium Chori adeunt, ibique concinunt Versiculum; et ita se gerunt post reliquas Lectiones. Si Episcopus celebraturus non erit, Hymnum: *Te Deum* etc., **Cantores** inchoant. Ad Antiphonas et Psalmos ad Laudes se ut supra gerunt.

Circa finem Hymni ad medium Chori iterum **Cantores** accedunt, more solito, et, Hymno absoluto, Versiculum canunt. Intonata ab Episcopo Antiphona ad: *Benedictus*, eam, ut supra, proseguuntur, dein Canticum intonant ac postea ad loca sua revertuntur.

Advertant **Cantores** et **Organista** « ut cantum et sonum invicem alternatim ita dimetiantur ut ante repetitionem Antiphonae incensatio sit expleta » (Caer. Episc., L. II, cap. III, n. 13).

Duo Cantores expleto Cantico, cum solitis genuflectionibus, in medium Chori redeunt et vel in cantu Antiphonam repetunt, vel clara voce recitant, dum interim organa pulsantur, ibique consistunt; decantata ab Episcopo Oratione, se gerunt ut ad Vesperas (v. n. 641).

Si Episcopus celebraturus non sit, **Cantor prior** Capitulum ad Laudes, vel in suo loco, vel in loco ubi Epistola cantari solet, alta et aequali voce canit.

CAPUT XVII.

DE DIVINO OFFICIO PONTIFICALITER PERSOLVENDO CORAM SS. SACRAMENTO EXPOSITO

725. — Quando Divinum Officium pontificaliter absolvitur coram SS. Sacramento exposito, « conveniens esset, ut ob reverentiam tanti Sacramenti, tam Episcopus, quam Canonici, et omnes praesentes, et in Choro assistentes, durante Officio, starent semper capite detecto, et numquam sederent. Quod si ob longitudinem Officii praestare non poterunt, non omittant saltem in signum reverentiae, detecto capite, existente SS. Sacramento super Altari, divinis Officiis assistere » (Caer. Episc., L. II, cap. XXXIII, n. 33).

Ex convenientia ergo standi, vel sedendi, regulae ratio petitur; ex iure vero, standi vel sedendi, aperto capite.

ARTICULUS I.

De iis quae praeparanda sunt pro Divino Officio pontificaliter absolvendo coram SS. Sacramento exposito.

726. — Omnia disponuntur ut in respectivis locis notavimus, sed:

I. - Non paratur genuflexorium, vel Faldistorium, ante Altare in quo SS. Sacramentum inclusum est in Tabernaculo.

II. - Paramenta Praelati, ponuntur super abacum.

III. - Si Ministri non sedeant, quod maxime conveniens est, non collocantur scamna.

IV. - Si Officium celebratur ad Faldistorium, tunc illud collocatur in latere Epistolae, ita ut Episcopus sedens in Faldistorio humeros vertat ad parietem non vero ad Altare e regione Throni, et scabella pro Assistentibus e regione Altaris.

ARTICULUS II.

De Praelato ad Divinum Officium pontificale coram SS. Sacramento exposito.

727. — Praelatus se gerit ut in singulis locis notavimus, sed:

I. - Aspersione aquae benedictae peracta, procedit ad Altare maius et se a benedicendo adstantes abstinet.

II. - Quum in conspectu SS. Sacramenti advenerit, sibi aufert pileolum; in plano Presbyterii utrumque flectit genu, cum mediocri corporis inclinatione (D. 4179 ad 1), ac postea vel in Faldistorio, vel in pulvino super infimum Altaris gradum collocato, genuflexus aliquantulum orat. Innuente Caeremoniario, surgit, iterum in plano unicum flectit genu, et vel ad Thronum, vel ad Faldistorium pergit.

III. - Si sedere velit, quod licitum est (v. n. 725), sedeat, sed absque pileolo et bireto, vel absque pileolo et absque mitra, si paratus.

IV. - Priusquam accedat ad Altare pro incensatione, Praelatus accipit pileolum et mitram; cum pervenerit ante illius infimum gradum, dimissis mitra et pileolo, genuflexionem peragit, unico genu; in pulvino, super infimum gradum collocato, genuflectit et SS. Sacramentum, triplici ductu, incensat. Reddito thuribulo vel Presbytero Assistenti, vel primo Assistenti, conscendit Altare ac illud deoscu-

latur et, more solito, thurificat ac postea de Altari descendit; facta in plano genuflexione unico genu, pileolum mitramque accipit, atque se confert vel ad Thronum, vel ad Faldistorium; quo cum pervenerit, mitram et pileolum dimittit atque incensatur; benedictionem vel Presbytero Assistenti, vel primo Assistenti, non impertit.

V. - Non licet ratione expositionis SS. Sacramenti addere Commemorationem de Eodem.

VI. - Paramentis dimissis et reassumptis cappa, vel mantelletto ac Cruce pectorali, procedit vel ad Faldistorium, vel ad pulvinum super infimum Altaris gradum collocatum, genuflexionem unico genu peragit; genuflexus vel in Faldistorio, vel in pulvino, aliquantulum orat; innuente Caeremoniario, surgit, utroque genu, cum mediocri corporis inclinatione, genuflexionem facit (D. 4179 ad 1) atque a Presbyterio discedit; extra conspectum SS. Sacramenti, sibi imponit pileolum.

ARTICULUS III.

De Assistentibus, de Ministris, deque Choralibus ad Divinum Officium pontificale coram SS. Sacramento exposito.

728. — **Omnes** se gerunt ut in respectivis locis notavimus, sed:

I. - Quum venerint in conspectu SS. Sacramenti, caput detegunt, et in plano Presbyterii utrumque flectunt genu, cum mediocri corporis inclinatione (D. 4179 ad 1), et ita se gerunt quando a Presbyterio discedunt, necnon quando revertuntur.

II. - In prosecutione Functionis discedentes, aut advenientes, medium Altaris, vel transeuntes ante SS. Sacramentum, unicum flectunt genu, absque capitis inclinatione (D. 2682 ad 49).

III. - Omittunt inclinationes et genuflexiones ante Praelatum in accessu, recessu, vel transitu (DD. 2544; 2928 ad 6), non tamen illas inclinationes quae fiunt ad aliquid ministrandum, ad incensationem etc., quae reverentiae potius ritus quam honoris ratione fiunt.

IV. - Si Praelatus sedeat et ipsi sedere possunt, sed detecto capite (v. n. 725).

V. - Antequam Praelatus ad Altare procedat pro incensatione, **Diaconus primus Assistentis** vel **primus Assistentis**, eidem pileolum et mitram imponit.

Quum vero Praelatus ante infimum Altaris gradum pervenerit, **secundus Diaconus Assistens**, vel **primus Assistens**, aufert ei mitram et pileolum.

VI. — Dum Praelatus thurificat SS. Sacramentum, ante Altaris incensationem, **omnes** genuflectunt.

CAPUT XVIII.

DE VESPERIS DEQUE MATUTINO
CUM LAUDIBUS DEFUNCTORUM CELEBRANTE
VEL PRAESENTE EPISCOPO ORDINARIO

729. — Praeter diem Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, Vesperae et Matutinum cum Laudibus dicuntur in Choro in die depositionis et aliis diebus pro temporis opportunitate (Rit. Rom., Tit. VI, cap. IV).

730. — Quamvis rarius contingat ut Episcopus Ordinarius celebret, vel intersit Vesperis et Matutino cum Laudibus Defunctorum in sua Cathedrali, tamen ut Pars haec, quo fieri potest, integrior sit, huiusmodi Ritus describemus.

Duplici modo Episcopus Ordinarius, cappa indutus, Officium pro Defunctis facere potest, nempe: I. in Throno; II. in primo stallo Chori.

Officio etiam assistere potest, cappa indutus, in primo stallo Chori.

ARTICULUS I.

De Vesperis Defunctorum, celebrante Episcopo Ordinario.

1. — De iis quae praeparanda sunt.

731. — I. — AD ALTARE MAIUS. — Altare nullo festivo ornatu paratur, et super illud ponuntur sex candelabra nunquam argentea, vel deaurata, cum candelis ex cera communi et in medio eorum praefixa Crux absque floribus, Reliquiis, vel Sanctorum Imaginibus (Caer. Episc., L. II, cap. XI, n. 1).

Altare pallio nigri coloris instruitur, eiusque gradus et totum Presbyterium nudum sit, sed aliquo tapete suppedaneum tegitur.

Caput XVIII. — De Officio Defunct. celebrante vel praesente Episcopo Ord. 105

II. — IN CORNU EVANGELII. — Thronus exornatur serico panno, vel alia materia violacei coloris; ad sinistram Cathedrae collocatur tantum scamnum pro Caeremoniario. Tapetum violacei coloris sternitur tantum super planum Solii.

Si Episcopus uti Cruce potest, ponitur super infimum gradum, ad sinistram Cathedrae, basis pro Cruce.

III. — ANTE ALTARE. — Collocatur Faldistorium cum pulvinis violacei coloris.

IV. — SUPER ABACUM. — Ponuntur duo candelabra cum candelis ex cera communi; Breviarium; scotula cum candela.

V. — IN PRIMO STALLO CHORI. — In subsellio praeparatur pulvinus violacei coloris, et alter in genuflexorio, si aderit.

VI. — IN SACRISTIA MAIORI. — Praeparatur vasculum aquae benedictae cum aspersorio.

VII. — AD ALTARE SS. SACRAMENTI. — Paratur genuflexorium cum strato et pulvinis violacei coloris.

Sex cerei super Altare accenduntur.

2. — In Functione.

732. — Omnibus rite dispositis, **Caeremoniarius primus** signum associandi Episcopum dat; **omnes** se gerunt ut in accessu Episcopi ad Ecclesiam (v. n. 519), sed neque campanae neque organa pulsantur.

Episcopus, brevi oratione facta in Faldistorio, ante Altare maius collocato, procedit vel ad Thronum, vel ad primum stallum Chori. In Throno nec Presbyter Assistens nec Diaconi Assistentes adsunt.

Episcopus postquam paulisper quieverit, caput detegit, biretum tradit **Caeremoniario**, qui, annuente **Episcopo** surgente, signum inchoandi Vesperas dat.

733. — « Quoties Vesperae vel delationem cadaveris ad Ecclesiam ac Responsorium: *Subvenite*, vel Officium diei currentis immediate non sequantur, dicitur secreto: *Pater noster* et *Ave Maria* » (Rit. Rom., Tit. VI, cap. IV); secus **bini cantores** in medio Chori incipiunt absolute Antiphonam: *Placebo Domino* etc., mox primum Psalmum intonant, et cantus prosequitur absque sono organi, vel alterius instrumenti (Caer. Episc., L. I, cap. XXVIII, n. 13; D. 4156 ad 2).

« In fine vero omnium Psalmorum semper dicitur: *Requiem aeternam dona eis, Domine. Et lux perpetua luceat eis*, etiamsi pro uno tantum fiat Officium » (Rub. spec. Brev. R. ad Offic. Defunct.).

734. — Incepto primo Psalmo, **Episcopus** sedet et caput tegit; pariter sedent **omnes** usque ad Canticum: *Magnificat* etc.

Sequentes Antiphonas et Psalmos **Cantores**, modo supra notato, inchoant. Ultima Antiphona repetita, Versiculum canunt: *Audivi vocem* etc., ac postea Antiphonam ad *Magnificat: Omne quod dat* etc., intonant; qua absoluta, **Episcopus** surgit, detecto capite, et cum eo **ceteri omnes** surgunt.

Cantores incipiunt Canticum, ad quod **omnes**, Cruce maiori, se signant.

735. — Dum repetitur Antiphona, **Episcopus**, si in Throno, pergunt ad Faldistorium; si vero in stallo Chori, tunc, absoluto Cantico, sedet et postquam Antiphona a Cantoribus repetita fuerit, surgit et genuflectit in genuflexorio, si adsit, secus pergunt pariter ad Faldistorium, dum repetitur Antiphona.

736. — Interim **Ministri de libro et de candela** pergunt ad abacum ex quo sumunt Breviarium et scotulam, dum **Ceroferarii** candelabra accipiunt ac postea **Ministri et Ceroferarii** se conferunt ad Episcopum, sive ad Faldistorium, sive in stallo sit, et ante eum, genuflexione peracta, consistunt. **Ministri de libro et de candela**, vel consistunt, vel genuflectunt pro opportunitate.

737. — Quum **Episcopus** ad Faldistorium pervenerit, repetita a Cantoribus Antiphona, genuflectit et cantat, tono feriali: *Pater noster* et reliquos Versiculos ex Breviario. Postquam dixerit: *Domine, exaudi orationem meam*, surgit et cantat Orationem Officio respondentem, cum longiori conclusione, atque subiungit: *Requiem aeternam dona eis, Domine*, semper plurali numero, absque signo Crucis, deinde **duo Cantores** decantant: *Requiescant in pace*; responso per **Chorum: Amen**, nil ultra additur.

Ministri de libro et de candela, nec non **Ceroferarii**, debitis genuflexionibus peractis, ad abacum revertuntur, ubi deponunt Breviarium, candelam et candelabra.

Episcopus genuflectit in Faldistorio vel, si in stallo Chori, pergunt ad Faldistorium; brevi oratione facta, de Presbyterio discedit.

738. — Si, Vesperis absolutis, canitur Matutinum cum Laudibus, **Episcopus**, decantato a Cantoribus Versiculo: *Requiescant in pace*,

si ad Faldistorium descenderit, revertitur vel ad Thronum, vel ad stallum Chori et se gerit ut in sequenti Articulo.

ARTICULUS II.

De Matutino cum Laudibus Defunctorum, celebrante Episcopo Ordinario.

I. — De quibusdam generalibus animadversionibus.

739. — I. - Matutinum Defunctorum ordinarie persolvitur mane ante Missam solemnem de Requite; potest tamen anticipari etiam praecedenti die, et tunc, vel post Completorium diei, vel post Vesperas Defunctorum persolvitur.

II. - Si Matutinum immediate sequatur vel delationem cada-veris ad Ecclesiam ac Responsorium: *Subvenite* etc., vel Matutinum et Laudes, vel aliam Horam canonicam diei currentis, vel Vesperas Defunctorum, tunc non dicitur: *Pater noster, Ave Maria* et *Credo* sed Cantores absolute incipiunt Invitatorium.

III. - Invitatorium semper dicitur quando Officium Defunctorum solemniter persolvitur sive cum tribus Nocturnis, sive cum unico Nocturno, et Antiphonae duplicantur.

IV. - Nocturni omnes dici possunt vel, etiam unus tantum, ita tamen ut, extra diem depositionis, in qua semper dicitur primus Nocturnus, Dominica, Feria II et V dicatur primus; Feria III et VI secundus; Feria IV et Sabbato tertius Nocturnus.

2. — In Functione.

740. — Circa ea quae praeparanda sunt vide n. 731, quibus adiungenda: legile nudum cum Breviario, in medio Chori, et pulvinus apud Thronum.

Omnes se gerunt ut sub n. 732, sed **Episcopus** postquam paulisper quieverit, caput detegit, biretum **Caeremoniario** tradit, surgit et vel recitat secreto: *Pater, Ave* et *Credo*, vel innuit **Caeremoniario** ut signum det Cantoribus incipiendi Invitatorium; tunc **duo Cantores**, qui iam ad legile accesserant, ad Caeremoniarum nutum, incipiunt Invitatorium: *Regem cui omnia vivunt* etc., una cum Psalmo 94: *Venite, exultemus* etc. **Chorus** Invitatorium repetit; ad verba: *Venite, adoremus, et procidamus ante Deum*, **omnes** genuflectunt suis in locis, **duo Cantores** vero genuflectunt illis verbis decantatis.

Post Invitatorium cum suo Psalmo, iidem **Cantores**, adhuc in medio Chori stantes, primam Antiphonam intonant; qua a Choralibus cantata, Psalmum incipiunt, et **omnes** sedent.

741. — Post tertiam Antiphonam cuiusque Nocturni, a **Cantoribus** altius canitur Versiculus in medio Chori, dein surgunt **omnes**; dictoque integro *Pater noster* sub silentio, sedent rursus et caput contegunt.

In Versiculo: *A porta inferi: erue, Domine, animas eorum*, post tertiam Antiphonam primi Nocturni, nihil immutandum est, etiam si pro uno Officium fiat (D. 2572 ad 24).

Lectiones canuntur a **Canonicis** vel a **ceteris Choralibus** iuxta consuetudinem loci (Caer. Episc., L. II, cap. X, n. 6), incipiendo a iunioribus ad seniores.

742. — Dum recitatur: *Pater noster* etc., in fine cuiuslibet Nocturni, **Caeremoniarius secundus** se confert ad eum qui Lectionem est lecturus et, debitis cum reverentiis vel genuflexionibus, ducit eum ad legile. Tunc **Lector** stans incipit Lectionem in tono consueto, absque absolutione, benedictione et titulo; neque in fine addit: *Tu autem, Domine*, etc., sed vocem aliquantulum inflectit.

743. — Completa Lectione, a **Choro** canitur Responsorium; Versiculum autem **bini Cantores**, in medio Choro, concinunt.

Interea **Caeremoniarius secundus** se confert ad eum qui aliam Lectionem cantaturus est; **Caeremoniarius** et **Lector** se, ut supra, gerunt.

Idipsum servatur in reliquis Lectionibus et Responsoriiis.

Completo nono Responsorio vel tertio, si unus tantum Nocturnus dicatur, **Cantores** intonant primam Laudum Antiphonam, ad cuius intonationem, nec **Episcopus**, nec **Chorales** surgunt.

744. — Laudes canuntur ut Vesperae et **omnes** sedent usque ad Canticum: *Benedictus* etc. Dum repetitur Antiphona: *Ego sum* etc., **omnes** se gerunt ut ad repetitionem Antiphonae ad *Magnificat: Omne quod dat* etc. (v. n. 735 et seqq.).

Si **Episcopus** Officium non facit, assistere potest, cappa indutus, in primo stallo Chori et se Choralibus conformat.

Vesperae et Matutinum cum Laudibus peraguntur respective ut in Capitibus XXII et XXIV huius Partis.

CAPUT XIX.

DE VESPERIS SOLEMNIBUS ABSENTE EPISCOPO ORDINARIO

ARTICULUS I.

De iis quae praeparanda sunt pro Vesperis solemnibus, absente Episcopo Ordinario.

745. — Ornatus Ecclesiae erit plus minusve splendidus iuxta solemnitatum, temporum, locorum et Ecclesiarum rationem et opportunitatem (v. Cap. XXXIV, P. I).

I. - IN SACRISTIA CAPITULARI. — Super maiorem mensam, pro Canonico celebrante praeparatur: pluviale coloris Officio convenientis, rocchetto et amictus; pro Ministris Assistentibus: duo vel quatuor vel etiam sex pluvialia, iuxta maiorem vel minorem solemnitatem et Ecclesiae consuetudinem (v. n. 748); parantur etiam superpellicea.

Super aliam mensam: duo candelabra cum candelis pro Ceroferariis.

II. - IN SACRISTIA MAIORI. — Super consuetam mensam: superpellicea et bireta pro Clero; thuribulum cum navicula.

III. - AD ALTARE MAIUS. — Altare maius pallio coloris Officio convenientis instruitur, et illius mensa tribus mappis cooperta.

Sex candelabra solitis spectabiliora Altari superimponuntur cum cereis albis, in quorum medio collocabitur Crux praealta cum Crucifixi Imagine.

Insuper sacrae Reliquiae et Imagines Sanctorum statui possunt ut dictum est sub n. 562, IV.

Gradus Altaris tapete aliquo amplo insterneantur. In plano Presbyterii, hinc inde vero ex adverso Altaris, disponuntur scamna pro reliquis Assistentibus, si adsint. Ponitur etiam scabellum pro Caeremoniario ad dexteram primi Assistentis vel in alio congruenti loco (DD. 279; 350).

IV. - IN CORNU EPISTOLAE E REGIONE THRONI. — Supra tapetem aptatur scamnum oblongum (v. n. 400) pro Celebrante et duobus dignioribus Assistentibus.

Ante scamnum praeparatur legile coopertum panno serico coloris Officii et super illud collocatur Breviarium.

V. - AD ALTARE SS. SACRAMENTI. — Sex cerei super Altare accenduntur.

ARTICULUS II.

*De Celebrante in Vesperis solemnibus,
absente Episcopo Ordinario.*

746. — Canonicus celebrans, hora praestituta, indutus pluviali supra amictum et rocchetto, ad nutum Caeremoniarum se gerit ut sub n. 649.

747. — Cum ad Altare pervenerit, caput detegit, et, facta Cruci profunda inclinatione, super infimum gradum genuflexus, Orationem: *Aperi, Domine*, etc., secreto recitare potest. Assurgit iterum, ac, repetita inclinatione, Chorum hinc et inde salutatur, prius a parte ubi dignior ex praesentibus stat (D. 3059 ad 25); deinde pergit ad paratum scamnum.

748. — Innuente Caeremoniarum, Canonicus celebrans stans, manibus iunctis, dicit secreto: *Pater* et *Ave*, deinde cantat, signans se: *Deus, in adiutorium meum intende*, sinistra infra pectus posita, ac simul verba complet et signum Crucis; postmodum iungit manus, et caput profunde inclinat ad: *Gloria Patri* usque ad: *Sicut erat*. Dicto: *Alleluia*, vel: *Laus tibi, Domine*, intonat primam Antiphonam, sibi praeintonatam, simplici capitis reverentia respondendo reverentiam exhibitis tum a Praeintonatore, tum a cunctis Assistentibus ad sedes suas tunc recessuris. Antiphona expleta et incepto primo Versu Psalmi, sedet, caput cooperit, et sic manet usque ad Capitulum; aperit tamen caput, et inclinatum tenet, ad: *Gloria Patri* etc., in fine cuiusque Psalmi, et ad verba quae reverentiam exposcunt.

749. — Canonicus celebrans, absoluto Psalmorum cantu ac postremae Antiphonae, caput detegit, surgit, manibusque iunctis, cantat Capitulum; responso per Chorum: *Deo gratias*, Hymnum, sibi praeintonatum, intonat, et ita se gerit ut sub n. 651.

750. — Cantato Versiculo Hymni, intonat Antiphonam ad: *Magnificat*, sibi praeintonatam; eaque intonata, sedet, capite cooperto. Expleta a Choro praedicta Antiphona, continuo caput detegit, surgit et se signat ad initium *Magnificat*; exinde, Cruci reverentia facta et salutato Choro, procedit ad thurificandum Altare SS. Sacramenti (DD. 1322 ad 1; 3110 ad 6; 3410 ad 1).

Cum ad infimum Altaris gradum pervenerit, detecto capite, genuflectit SS. Sacramento; tum ascendit Altare, et illud in medio

osculatur; mox aliquantulum conversus ad cornu Epistolae, imponit ac benedicit incensum, more solito, atque adolet Altare (v. n. 859) dicendo interim Canticum: *Magnificat* etc., si adsit consuetudo, alternatim cum Assistentibus singulos versus congruenter distribuendo, atque: *Gloria Patri* etc., tunc profert quum, incensatione completa, in medio Altaris Cruci caput inclinat; deinde in planum descendit, genuflexionem peragit et, tecto capite, medius inter digniores Assistentes procedit ad Altare maius.

Cum Celebrans ad infimum Altaris gradum pervenerit, profunde se inclinat Cruci, Chorum salutatur, Altare ascendit, illudque in medio osculatur. Accepto thuribulo, eodem modo, prout supra, Altare incensatur, sed Canticum non recitat; quo thurificato, in planum descendit, Cruci reverentiam peragit, Chorum salutatur et ad scamnum pergit, ubi, stans, detecto capite iunctisque manibus, thuris honorem excipit a primo Assistente, cui se parum inclinat ante et post.

Canonicus celebrans, completo Cantico *Magnificat*, sedet, capite cooperto; repetita Antiphona, caput detegit, surgit, iunctisque manibus, cantat: *Dominus vobiscum, Oremus* et Orationem competentem cum sua conclusione, nec non alias Orationes, iuxta Rubricas Breviarii; deinceps, cantato iterum: *Dominus vobiscum*, et a duobus ultimis Assistentibus: *Benedicamus Domino* etc., voce mediocri subdit: *Fidelium animae* etc. Si continuo Completorium subsequatur, reverentia peracta et Choro salutato, ad Sacristiam revertitur modo quo venit (Caer. Episc., L. II, cap. III, n. 15; D. 1666); ubi, detecto capite, profunde se inclinat Imagini principali, medius inter Assistentes, quibus salutationem restituit, ac paramenta deponit.

751. — Si vero Completorium a Vesperis disiungatur, Celebrans, prolatis verbis: *Fidelium animae* etc., recitat secreto: *Pater noster*, deinde mediocri voce dicit: *Dominus det nobis suam pacem*; tandem incipit, genuflexus, vel stans, pro ratione temporis, Antiphonam finalem B. M. V., quam postea, submissa voce, prosequitur (Caer. Episc., l. c.); postquam a Choro Antiphona completa fuerit, dicit, voce item submissa, Versiculum; si genuflexus, surgit et recitat Orationem cui subiungit: *Divinum auxilium* etc. Quibus expletis, a Choro discedit ut supra. Verum si Antiphona finalis recitanda sit flexis genibus, Celebrans cum Assistentibus et ceteris ministris, iuxta probatam consuetudinem, recitato: *Dominus det nobis* etc., ut supra, ante Altare procedere potest et, in infimo gradu genuflexus, Antiphonam finalem recitat; dicto Versiculo, assurgit, Orationem recitat ac postea ut supra se gerit.

ARTICULUS III.

*De Assistentibus in Vesperis solemnibus,
absente Episcopo Ordinario.*

752. — **Assistentes** in Vesperis solemnibus sint Beneficiati non tamen Canonici, nisi adsit consuetudo immemorabilis; si possibile, sint Presbyteri et, in eorum defectu, etiam Clerici, sacra tonsura saltem initiati, pro munere assistentiae supplere possunt (Caer. Episc., L. I, cap. III, n. 1 et 16; DD. 248 ad 7; 4179 ad 8); quoties cum Celebrante procedunt, ipsi se eidem Celebranti conformare debent in Cruci Altaris reverentia, alias genuflectere (Caer. Episc. L. I, cap. XVIII, n. 3 et L. III, cap. III, n. 3; D. 306).

753. — iuxta vero Caeremoniale Episcoporum (L. II, cap. III, n. 16 et 17), **Assistentes** erunt:

Sex:

In Nativitate Domini, Epiphania, Paschate, Ascensione, Pentecoste; in Festis Corporis Christi, Sacratissimi Cordis Iesu, D. N. I. C. Regis; in Festis Assumptionis et Immaculatae Conceptionis B. M. V., Sanctorum Omnium, S. Ioseph, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Titularis et Dedicacionis Ecclesiae, necnon Patroni Civitatis.

Quatuor:

In biduo post Nativitatem Domini, Pascha et Pentecosten, in Festis Circumcisionis Domini, Purificationis, Annuntiationis et Nativitatis B. M. V., SS. Trinitatis et S. Ioannis Baptistae.

Duo:

In Dominicis et in aliis Festis primae et secundae classis.

754. — **Assistentes**, hora praefinita, induti pluviali coloris Officio convenientis supra superpelliceum, ad nutum Caeremoniarum se gerunt ut sub n. 654 notavimus. Cum ad Altare pervenerint, sistunt ante infimum gradum, hinc inde a latere Celebrantis, ita ut **digniores** huic propius adstant, caput detegunt; facta Altari reverentia cum Celebrante, super gradum infimum genuflexi Orationem: *Aperi, Domine*, etc., secreto recitare possunt, dein surgunt; iterata reverentia, Chorum, hinc et inde, salutant prius a parte ubi dignior ex praesentibus stat (D. 3059 ad 25); **duo digniores** pergunt cum Celebrante ad paratum scamnum in cornu Epistolae, **reliqui** ad sedilia, hinc inde ex adverso Altaris posita; **omnes** stantes, iunctis manibus, secreto dicunt: *Pater* et *Ave*.

755. — Dum Celebrans dicit: *Deus, in adiutorium meum intende*, **primus** seu **dignior Assistens** Celebranti aliquantulum elevat dexteram pluvialis fimbriam.

Dum a Choro cantatur: *Sicut erat* etc., praefatus **dignior Assistens**, ducente Caeremoniario, ad Celebrantem propius accedit, ac illi profunde se inclinatur; expleto per Chorum Versiculo: *Sicut erat* etc., et: *Alleluia*, vel: *Laus tibi, Domine*, etc., stans ante faciem ipsius praecinit illi, voce submissa, primam Antiphonam; qua intonata, recedit ad pristinum locum, facta prius Celebranti reverentia ut supra, deinde, incepto primo Versu Psalmi, **Assistentes omnes** se gerunt ut sub n. 657.

756. — Quando **quatuor** vel **sex Assistentes** adsunt, potest etiam **ultimus Assistens**, vel **duo ultimi Assistentes** simul, secundam et ceteras Antiphonas Canonicis in Choro praeintonare (Caer. Episc., L. II, cap. III, n. 8). Quo incasus, durante repetitione Antiphonae primae, **Assistentes** ad scabellum, ante Altare, caput detegunt et surgunt, **ultimus** solus vel una cum **paenultimo**, genuflexione Altari peracta (Caer. Episc., L. I, cap. III, n. 3 et D. 306), accedit ad digniorem ex Canonicis praesentibus (Caer. Episc., l. c., et D. 1091). Stans ante eum, se inclinatur et, expleta prima Antiphona, submissa sed intelligibili voce, ipsi praecinit priora verba secundae Antiphonae; quibus ab illo cantatis, iterum se ei inclinatur, dein peracta Altari genuflexione, revertitur ad suum locum ubi simul cum **ceteris Assistentibus** sedet, ut prius, et caput cooperit. Ita se gerit ad alias Antiphonas praeintonandas Canonicis iuxta ordinem praecedentiae.

757. — Dum quinta Antiphona repetitur, **Assistentes**, qui in scamnis ex adverso Altaris sederint, caput detegunt, surgunt; facta Altari debita genuflexione, praecedentibus Ceroferariis, accedunt ad Celebrantem; eique profunde se inclinatur, et, hinc inde, ad eius latus adstant. Interim etiam **digniores Assistentes** surgunt cum Celebrante.

Capitulo cantato, **dignior Assistens** ad Celebrantem accedit; eidem profunde se inclinatur, atque illi praeintonatur Hymnum; quo intonato, **omnes Assistentes**, cum debita reverentia Celebranti et genuflexione Altari, ad pristina secedunt loca, ubi, capite detecto et manibus iunctis, consistunt usque ad finem Hymni.

Si ad principium Hymni sit genuflectendum, apud Celebrantem remanentes una cum eo utrumque genu flectunt, vel ante Altare in infimo gradu, cum ipso Celebrante genuflectunt. Prima Hymni stropham absoluta, omnes surgunt et se gerunt ut supra. Si ad aliam stropham infra Hymnum genuflectendum est, hoc faciunt in suis locis.

758. — Post Hymnum, **duo ultimi Assistentes** in medio Chori, vel ante Altare, cantant Versiculum, genuflectendo Altari antea et postea; quo decantato, ad loca sua redeunt.

Si vero **duo tantum Assistentes** adsint, tunc Versiculus a duobus Cantoribus decantatur.

Interim **dignior Assistens** ad Celebrantem, comite Caeremoniario, debitis cum reverentiis, accedit et praeintonat illi Antiphonam ad: *Magnificat*; qua intonata, secedit iterum ad locum suum, ibique, cum **aliis Assistentibus**, assidet, capite cooperto.

Expleta a Choro praedicta Antiphona et intonato *Magnificat*, **omnes Assistentes** caput aperiunt, surgunt et cum inchoatur Canticum, signo Crucis se muniunt; facta Altaris Cruci reverentia et Choro salutato, procedunt ad Altare SS. Sacramenti.

759. — Cum ante infimum Altaris gradum pervenerint, **omnes** genuflexionem peragunt ac **duo digniores** paululum elevantes Canonico celebranti, a suo quisque latere, anteriorem vestis fimbriam ascendunt cum eo ad Altare, **ceteri vero Assistentes** in plano permanent usque ad finem incensationis Altaris, iunctis iugiter manibus et facie ad Altare versa (Caer. Episc., L. II, cap. III, n. 10).

Postquam Celebrans Altare in medio osculatus fuerit, **primus Assistens** eidem thus ministrat et se gerit ut Diaconus ante Introitum Missae (n. 1201); **alter** dexterum sublevat pluvialis limbum. Deinde, primus Assistens tradit Celebranti thuribulum cum solitis osculis; **ambo** utrinque elevant pluvialis fimbrias, et genuflexionem faciunt, quoties Celebrans flectit genu, et cum eo Canticum *Magnificat* alternatim recitant, si adsit consuetudo.

Incensato Altari, **dignior Assistens** recipit in cornu Epistolae a Celebrante thuribulum, quod reddit Thuriferario; inde **ambo** redeunt cum Celebrante ad medium Altaris, caput Cruci inclinant, et in planum descendunt, ubi facta cum ceteris genuflexione, ordine quo venerunt ad Altare maius revertuntur, quo cum pervenerint, reverentiam peragunt; salutato Choro, **duo digniores** paululum elevantes Celebranti, a suo quisque latere, anteriorem vestis fimbriam, ascendunt cum eo ad Altare; **ceteri vero Assistentes** in plano permanent; ibi omnia fiunt ut supra, ommissa incensi impositione; loco genuflexionum Assistentes cum Celebrante inclinationes faciunt et Canticum non recitant.

760. — **Assistentibus** ad sedem propriam reversis, **dignior** ex ipsis ad Celebrantem propius accedit; accepto thuribulo, ipsum incensat, triplici ductu, profunde se inclinans ante et post; quo thu-

rificato, si Assistentes sunt quatuor, aut sex, thuribulum **ultimo Assistenti** porrigit, alias Thuriferario.

Itaque **ultimus Assistens**, vel Thuriferarius procedit ad Chorum incensandum. Chori thurificatio incipienda est a parte in qua dignior ex Canonicis praesentibus consistit; qua, ordine successivo thurificata, prosequitur in altera parte, facto initio a digniore illius partis; deinde thurificandi sunt qui in stallis inferioribus sedent, ac postea illi qui in stallis inferioribus alterius partis (DD. 851; 1339; 1481).

Canonici incensandi sunt cum reverentia ante et post, duplici ductu; ceteri «de Choro, unico ductu, primo tantum in ordine, capite inclinato» (Caer. Episc., L. II, cap. III, n. 12).

Si vero adsint Canonici Episcopi, tunc **ultimus Assistens**, vel Thuriferarius, incensat, triplici, vel duplici ductu, iuxta consuetudinem (DD. 2447 ad 2; 2883 ad 5), digniorem ex Episcopis praesentibus et Episcopum, vel Episcopos qui eadem parte exstant, deinde incensat Episcopum vel Episcopos, qui in altera parte consistunt, ac postea Canonicos in eadem parte, tandem Canonicos qui in parte dignioris Episcopi adsunt.

Peracta Choralium incensatione, duplici ductu ac debito ordine Assistentes incensat, caput inclinando ante et post. Post Assistentium incensationem, si hoc munus **ultimus** ex ipsis Assistentibus obierit, thus ipse excipiet, duplici ductu, a Thuriferario.

761. — Completo Cantico *Magnificat*, **Assistentes**, capite cooperto, assident dum a Choro repetitur Antiphona; sub eius finem caput detegunt, surgunt, et ad Celebrantem, debitis cum reverentiis, accedunt et hinc inde ad eius latus dum cantat Orationem vel Orationes adstant; **priores duo**, anteriores elevant pluvialis fimbrias eidem Celebranti. Postmodum **duo ultimi**, si plures Assistentes fuerint, facta Celebranti inclinatione, procedunt ad medium Chori, seu ante Altare, et, genuflexione peracta, Versiculos Commemorationum, si hae dicendae occurrant, cantant, necnon: *Benedicamus Domino*, post ultimam Orationem. Tum facta iterum genuflexione, redeunt ad Celebrantem, cui sese denuo inclinant, et simul ac ille dixerit: *Fidelium animae* etc., si statim Completorium subsequatur, debitis cum reverentiis Altari et Choro, ad Sacristiam redeunt, quo venerunt ordine (Caer. Episc., L. II, cap. III, n. 15), ibique exhibita, detecto capite, profunda inclinatione Imagini principali, et salutato Celebrante, paramenta deponunt a Ceroferariis adiuti.

762. — Si vero Completorium a Vesperis seiungatur, **Assistentes**, hinc inde, ad latus Celebrantis cum eo recitant Antiphonam finalem,

genuflexi, vel stantes, pro ratione temporis, ac tandem, dicto per Celebrantem: *Divinum auxilium* etc., discedunt ut supra. Verum si Antiphona illa dicenda sit flexis genibus, tunc eandem, una cum Celebrante, iuxta probatam consuetudinem, recitare possunt genuflexi in infimo Altaris gradu.

ARTICULUS IV.

De Canonicis, de ceteris Choralibus deque duobus Cantoribus in Vesperis solemnibus, absente Episcopo Ordinario.

763. — DE CANONICIS DEQUE CETERIS CHORALIBUS. — **Canonici** et **ceteri Chorales**, statuta hora et dato signo cum campana, iuxta locorum consuetudinem, ad Chorum procedunt vel singulatim, vel processionaliter cum Canonico Celebrante (v. n. 514 et 515).

Surgente Celebrante, **omnes** de Choro, capite detecto, surgunt et se gerunt ut sub n. 662-665; intonata vero quinta Antiphona, **omnes** surgunt simul et se gerunt ut sub n. 596 et 597, sed Celebrantem salutant cum procedit ad Altare SS. Sacramenti, itemque cum ab illo revertitur.

764. — Cantato ab Assistentibus: *Benedicamus Domino*, si statim non persolvatur Completorium, genuflectunt **omnes**, vel stant ad Antiphonam finalem B. M. V., pro ratione temporis; et, dicto per Celebrantem: *Divinum auxilium* etc., e Choro, prout venerunt, digrediuntur.

765. — DE DUOBUS CANTORIBUS. — Sicut pro Vesperis pontificalibus ita et pro Vesperis solemnibus **duo** extant **Cantores**, sed superpelliceo tantum induti (Caer. Episc., L. II, cap. III, n. 7); qui, statuta hora, sicut ceteri Chorales accedunt ad Chorum vel processionaliter, vel singulatim, et se gerunt ut sub n. 637.

Si vero Assistentes cum pluviali adessent in Choro plures quam duo, et praeintonatio Antiphonarum fieret (ex consuetudine) ab ultimo ex ipsis, ad **Cantores** nihilominus aequae pertineret Antiphonas repetere, et Psalmos intonare, uti supra dictum est. Ita porro pergunt usque ad Capitulum in reliquis Psalmis et Antiphonis, istas ordinatim praeintonando dignioribus ab utraque parte Chori.

766. — Postrema Antiphona repetita, ut supra, et cantato Capitulo a Celebrante, si ad principium Hymni sit genuflectendum, quemadmodum ad: *Veni, Creator Spiritus* et ad: *Ave, maris stella*,

duo Cantores id praestant in suis locis, ac manent genuflexi ad totam primam stropham.

Si vero duo tantum Assistentes adsint, **Cantores** iam ante ultimam Hymni stropham, ad medium Chori, ut supra accedunt. Hymno absoluto, canunt Versiculum, qui semper a **duobus Cantoribus**, tam in duplici quam in semiduplici Officio et etiam in Commemorationibus pariter canitur (D. 235 ad 17).

767. — **Duo Cantores** post Antiphonam ad *Magnificat*, continuo Canticum in medio Choro intonant et, peracta Altari genuflexione, ad sua se recipiunt loca, ubi, suo tempore, thurificantur. «Advertant Cantores, et Organista, ut cantum, et sonum invicem alternatim ita dimetiantur, ut ante repetitionem Antiphonae incensatio sit expleta» (Caer. Episc., L. II, cap. III, n. 13). Expleto Cantico *Magnificat*, in medium Chorum redeunt, et, clara voce, repetunt Antiphonam, dein ut antea secedunt.

In casu vero, quo duo tantum Assistentes adsint, ad **Cantores** pertinet tam singulos Versiculos Commemorationum, si occurrant, quam *Benedicamus Domino*, in medio Chori decantare.

Si differtur Completorium, **Cantores** conformant se ceteris in Antiphona finali, post quam, salutato Choro, factaque Altari genuflexione, ad Sacristiam revertuntur ordine, quo advenerunt.

ARTICULUS V.

De Caeremoniario in Vesperis solemnibus, absente Episcopo Ordinario.

768. — Omnibus ad Vesperas rite dispositis, Caeremoniarius invitat Canonicum celebrantem et Assistentes ad pluvialia sumenda; quibus paratis, se geret ut sub n. 667 notavimus.

Cum ad Altare pervenerit, sistit in cornu Epistolae a sinistris Ceroferarii, et flectit genu in plano; deinde super infimum gradum genuflexus cum Celebrante et Assistentibus Orationem: *Aperi, Domine*, etc., recitare potest, dein surgit, iterata genuflexione ut supra, Celebrantem praecedat ad scamnum oblongum in cornu Epistolae, ibique sistit a dextris dignioris Assistentis et, brevi facta mora, signum dat incipiendi Officium. Recitato secreto: *Pater* et *Ave*, Caeremoniarius innuit ut ad: *Deus, in adiutorium* etc., a Celebrante cantandum, omnes se signent Cruce maiori et ad: *Gloria Patri* etc., caput versus Crucem profunde inclinent; deinde comitatur digniorem

Assistentem ad Celebrantem, ut ei praeintonet Antiphonam; qua intonata, eundem reducit ad locum pristinum, debitis cum reverentiis ante et post. Incepto primo Versu Psalmi, signum dat sedendi, itemque in fine cuiusque Psalmi caput detegendi, atque inclinandi ad: *Gloria Patri* etc., necnon ad verba quae reverentiam exposcunt.

Completis Psalmis, Caeremoniarius ducit Ceroferarios et Assistentes, debitis cum reverentiis, ad Celebrantem pro Capitulo; quo decantato, et per Chorum responso: *Deo gratias*, ad Celebrantem ducit digniorem Assistentem qui eidem Celebranti praeintonat Hymnum; eoque intonato, Assistentem ad pristinum locum reducit.

Si initium Hymni exprimat Christi aut Dei invocationem, vel ad eius initium genuflectendum sit, Caeremoniarius se gerit ut diximus de Caeremoniario primo sub n. 602.

Dum a Cantoribus Versiculus, post Hymnum, canitur, ducit primum Assistentem ad Celebrantem ut Antiphonam, ante *Magnificat*, praeintonet.

769. — Intonato: *Magnificat* a Cantoribus, Caeremoniarius, debitis cum reverentiis, ducit Celebrantem cum Assistentibus ad Altare SS. Sacramenti praeunte Thuriferario, ac etiam Ceroferariis.

Cum ad infimum Altaris gradum accesserint, peracta a Celebrante et ab Assistentibus genuflexione, in recta linea, cum Celebrante ac duobus dignioribus Assistentibus, Caeremoniarius ad Altare ascendit, ubi imponitur et benedicitur incensum in thuribulo, more solito, ac fit incensatio Altaris ut initio Missae (v. n. 750), tunc in planum descendit ac flectit genu quoties Celebrans genuflectit; Altari thurificato, Celebrantem et Assistentes ad Altare maius reducit, quod statim, more solito incensatur quin tamen thus a Canonico celebrante imponatur. Quo thurificato, Caeremoniarius, debitis cum reverentiis, Celebrantem et Assistentes ad scamnum reducit.

Omnibus ad propria loca reversis, Caeremoniarius innuit digniori Assistenti ut, accepto a Thuriferario thuribulo, debitis cum reverentiis, Celebrantem, triplici ductu, incenset, ac ipse interim dexterum ei sublevat pluvialis limbum. Tunc, si plures quam duo Assistentes adsint, ultimo ex ipsis indicat ut, accepto de manu dignioris Assistentis thuribulo, ordine ac ritu praescripto (v. n. 760), tam Choralis quam Assistentes incenset; alias, thurificatio Choralium et secundi Assistentis a Thuriferario facienda est.

Completo Cantico cum *Gloria Patri* etc., Caeremoniarius Celebranti et duobus Assistentibus dignioribus signum sedendi et caput cooperiendi dat.

770. — Sub finem Antiphonae post: *Magnificat* ducit Ceroferarios et Assistentes ad Celebrantem, ut eidem adstant ad Orationem, vel Orationes; prima Oratione completa, si plures adsint Assistentes, duobus ultimis innuit ut ad Altare se conferant, ibique stantes Versiculos post Antiphonas in cantu proferant, quando Commemorationes faciendae sunt, necnon: *Benedicamus Domino* post ultimam Orationem pariter cantent.

Si duo Assistentes tantum adsint, tam Versiculi quam: *Benedicamus Domino* a Cantoribus canuntur.

Dicto a Celebrante: *Fidelium animae* etc., si confestim Completorium subsequatur, facta Altari genuflexione, deducit Celebrantem, Assistentes et reliquos ad Sacristiam, ordine quo venerunt; ubi, exhibita inclinatione Imagini principali, paramenta exuunt.

771. — Si Completorii recitatio in horam aliam differatur, Ceroferarios cum candelabris ad loca sua remittit (Caer. Episc., L. II, cap. I, n. 17). Assistentes autem monet ut apud Celebrantem, ad Antiphonam finalem, remaneant. Si vero ad Antiphonam genuflectendum sit, recitato: *Dominus det nobis* etc., Celebrantem et Assistentes, iuxta probatam consuetudinem, ad Altare reducere potest. Antiphona completa, omnes discedunt, ut supra.

Antiphona finalis B. Mariae Virginis dicitur flexis genibus, excepto toto tempore Paschali et singulis Dominicis per annum a primis Vesperis, etiam si hae in Quadragesima ante meridiem persolvantur, usque ad crepusculum vespertinum ipsius Dominicae (Rub. Gen. Brev., Tit. XXXVI, n. 3 et D. 3009 ad 8).

ARTICULUS VI.

De Thuriferario in Vesperis solemnibus, absente Episcopo Ordinario.

772. — Thuriferarius, hora praestituta, superpelliceo amictus, Celebrantem se induentem adiuvat; dein, retro stans post ipsum, profunde se inclinat cum aliis Imagini principali Sacristiae; atque procedit, post Ceroferarios, ad Altare, manibus iunctis, et capite semper detecto. Cum ad Presbyterii cancellos pervenerit, se gerit ut sub n. 560 notavimus.

Incepto primo Versu Psalmi, sedet prope abacum, in omnibus se Choralibus conformans; surgente autem aliquo ex Assistentibus promunere quodam exequendo, etiam Thuriferarius cum ceteris Ministris assurgit atque stans permanet usque dum ille iterum sedeat.

Ad: *Gloria Patri* etc., in fine cuiusque Psalmi, et ad verba quae reverentiam exposcunt, caput inclinat.

Thuriferarius, decantato Capitulo, vel post primam Hymni stropham, si ad eiusdem initium genuflectendum sit, pergat ad immittendum ignem in thuribulum, ac statim cum eo et navicula ad abacum revertitur, ubi consistit usque ad intonationem Cantici: *Magnificat*.

773. — Genuflexione Cruci Altaris peracta, Thuriferarius ante Ceroferarios procedit ad Altare SS. Sacramenti, ante cuius infimum gradum in cornu Epistolae genuflexionem peragit, et dum Celebrans cum duobus Assistentibus suppedaneum Altaris ascendit, ipse quoque per gradus laterales ascendit, pene ad medium Altaris; porrecta navicula digniori Assistenti, sustinet ante Celebrantem thuribulum quod, thure benedicto, praefato Assistenti tradit; tum descendit in planum ad idem latus Epistolae, ubi, thurificatione peracta, ab eodem Assistente thuribulum recipit.

Genuflexione peracta, procedit ante omnes ad Altare maius, ante cuius infimum gradum genuflexionem peragit in cornu Epistolae, dein per gradus laterales suppedaneum ascendit et primo Assistenti thuribulum porrigit, a quo, thurificatione peracta, recipit, in planum descendit, genuflexionem facit et apud Celebrantis scamnum se confert, ibique digniori Assistenti porrigit thuribulum ad incensandum Celebrantem, elevans interim ei oram pluvialis, et sese Celebranti inclinans ante et post incensationem.

Deinde Thuriferarius, si Assistentes sint duo tantum, recepto thuribulo, incensat omnes (v. n. 760); sin vero fuerint quatuor vel sex, incensatio Chori fit ab ultimo ex ipsis, eique Thuriferarius elevat interim a latere dextero pluvialis fimbriam.

Post incensationem ultimi Assistentis, reliquos de more thurificat atque, ultimo loco, ter populum, in medio scilicet, a dextris et a sinistris, stans ante ingressum Presbyterii, cum capitis inclinatione ante et post; tum, facta Altari genuflexione, ad Sacristiam se confert.

ARTICULUS VII.

De Ceroferariis in Vesperis solemnibus, absente Episcopo Ordinario.

774. — Ceroferarii, omnibus rite dispositis, ad nutum Caeremoniarum, sua candelabra, iam accensa, sumunt, factaque cum ceteris profunda inclinatione praecipuae Imagini, retro stantes post Assi-

stentes, ante omnes (Ceroferarius prior ad dexteram alterius) procedunt ad Altare, more solito (v. n. 561).

Ceroferarii, adhuc candelabra tenentes, genuflexione peracta, super infimum gradum Altaris, vel plano, deponunt candelabra et cereos exstinguunt (Caer. Episc., L. II, cap. III, n. 2). Consuetudo cereos non exstinguendi, praesertim solemnioribus Vesperibus servari potest. Cereis exstinctis, una cum ceteris in genua procumbunt; ad nutum Caeremoniarum surgunt; coram Altari iterum genuflexionem peragunt et ad scamna prope abacum, pro se collocata, accedunt, ibique stant, et se aliis Choralibus conformant.

Incepto primo Versu Psalmi, sedent, et se gerunt ut sub n. 772 diximus de Thuriferario.

775. — Completo ultimo Psalmo, si cerei exstincti, eos accendunt, accipiunt candelabra et dum repetitur Antiphona, peracta Altari genuflexione, ad Celebrantem appropinquant, debitis cum reverentiis, et hinc inde ante eum se collocant, facie ad se invicem versa, atque ita manent usque ad intonationem Hymni; post quam se inclinant Celebranti, candelabra ad latera Altaris reportant et, debita cum genuflexione, pristinum petunt locum.

Si vero ad primam Hymni stropham genuflectendum est et Celebrans ad scamnum remaneat, duo Ceroferarii stant ad eius latus ut supra, usque ad finem primae strophae, quamvis alii genuflectant: si autem Celebrans pergat ad genuflectendum ante Altare, tunc Ceroferarii facta ei inclinatione, cum eo et Assistentibus ad Altare procedunt, ubi, depositis candelabris, in plano genuflectunt. Absoluta stropham, locum suum petunt.

776. — Intonato Cantico, ad nutum Caeremoniarum, debitis cum genuflexionibus, Ceroferarii procedunt ad Altare SS. Sacramenti, ibique morantur semper erecti usque ad finem incensationis. Deinceps, iterata genuflexione, simul cum aliis procedunt post Thuriferarium ad Altare maius, ubi, super secundum eius gradum candelabra deponunt, et ad proprium redeunt locum; suo tempore a Thuriferario, cui caput inclinandum est ante et post, incensantur.

777. — Dum repetitur Antiphona post *Magnificat*, accipiunt iterum candelabra, et, debitis cum reverentiis, ad Celebrantem se conferunt, eique adstant ut ad Capitulum; completa Oratione, vel Orationibus, digrediuntur reverentias iterando, candelabra uti prius deponunt, ac pristinum petunt locum, ubi se ceteris conformant in Antiphona finali, post quam, sumptis denuo candelabris, ac

peracta Altari genuflexione, ordine quo venerunt ad Sacristiam revertuntur: facta cum aliis inclinatione profunda Imagini praecipuae et, salutato Celebrante, candelabra in loco unde ea sumpserunt collocant; Assistentes sacris se vestibus exuentes, adiuvant, ac demum, superpelliceum deponunt.

Si, nulla mora interposita, recitetur Completorium, haud necesse est post Orationes candelabra ullo in loco demitti, quum, dicto: *Fidelium animae* etc., continuo discedendum sit.

CAPUT XX.

DE VESPERIS CANTATIS SINE ASSISTENTIBUS PARATIS

778. — In aliquibus Cathedralibus et Collegiatis, diebus ritus duplicis maioris et minoris Vesperae canuntur sive ab **Hebdomadario**, qui est Beneficiatus aut Mansionarius paratus cum **duobus Assistentibus** superpelliceis tantum amictis, sive ab **Hebdomadario** pariter parato, absque Assistentibus, sed cum **Thuriferario** et **duobus Ceroferariis**.

In primo casu servandus est Ritus in Capite praecedenti descriptus et **duo Assistentes** se gerunt ut digniores Assistentes, sed **Assistentes** tam in quolibet accessu ad Altare quam in recessu semper genuflectere debent, etiamsi Celebrans se tantum inclinet (D. 306).

In secundo casu **Thuriferarius** assistit et ministrat, primam Antiphonam et Antiphonam ad *Magnificat*, nec non Hymnum praeintonat, et oram dexteram pluvialis elevatam tenet cum Altare adoletur thure (D. 3009 ad 5); exinde thus defert Celebranti, et alia perficit, quorum supra in proprio ipsius officio mentio facta est.

CAPUT XXI.

DE VESPERIS SOLEMNIBUS
CORAM SS. SACRAMENTO EXPOSITO

779. — **Omnes** se gerunt ut in Capite XIX, sed:

I. - Quum in conspectu SS. Sacramenti advenerint, caput detegunt, ante ipsum vero Altare **omnes** utrumque genu simul flectunt cum mediocri corporis inclinatione, id est capitis et modica humerorum inclinatio, quae in casu habetur uti profunda (D. 4179 ad 1)

et ita se gerunt quando a Presbyterio discedunt, necnon quando revertuntur. In prosecutione Functionis discedentes aut advenientes in medium Altaris, vel transeuntes ante SS. Sacramentum, unicum flectunt genu, absque capitis inclinatione (D. 2682 ad 49).

II. - **Omnes** salutationes omittuntur, non tamen illae quae fiunt ad aliquid ministrandum, ad incensationem etc., quae potius Ritus quam honoris ratione fiunt.

III. - Conveniens esset ut, ob reverentiam tanti Sacramenti, **omnes** praesentes et in Choro assistentes, starent semper; ob longitudinem tamen Officii, infra Psalmodyam sedere possunt, iugiter detecto capite (Caer. Episc., L. II, cap. XXXIII, n. 33).

IV. - **Celebrans** et **Assistentes**, in infimo gradu genuflexi, recitant, secreto, consuetam Orationem praeparatoriam; qua absoluta, in plano unicum flectunt genu et ad scamnum accedunt.

Ceroferarii autem post duplicem illam genuflexionem, candelabra collocant ut supra, sed cereos non extinguunt.

V. - Ad *Magnificat*, **Celebrans** incedit cum suis **Assistentibus**, ceterisque ad Altare, detecto capite, ut alias; facta ibi in plano ab omnibus genuflexione, ad Altare ascendit medius inter **duos digniores Assistentes**, deosculatur Altare in medio, ibique cum **Assistentibus** flectit genu, se paulisper retrahens ad cornu Evangelii, facie veluti conversa ad cornu Epistolae, imponit ac benedicit incensum de more, naviculam ministrante sine osculis **digniore Assistente**, et **altero** dexteram pluvialis fimbriam sublevante. Postea, sine genuflexione (Comm. in Instr. Clem. XXX, n. 10), descendit cum **Assistentibus** ad secundum gradum, et in ora suppedanei genuflexus (D. 2928 ad 5), accipit a **digniore** thuribulum, iisque elevatibus hinc inde pluvialis limbum, SS. Sacramentum, triplici ductu, adolet cum profunda capitis inclinatione ante et post (D. 3086 ad 3). **Reliqui Assistentes** genuflexi permanent in infimo Altaris gradu, **ceteri Ministri** in plano. **Omnes** etiam de Clero flectunt genua.

Thurificato SS. Sacramento, surgunt **omnes**; **Celebrans** thuribulum retinens cum **duobus dignioribus Assistentibus** ad Altare rursus accedit, ibique unicum flectit genu, ac Altare ipsum de more adolet, non tamen Crucem, etiamsi adsit (D. 2340 ad 4), cum simplici genuflexione quacumque vice per medium transit.

Thurificato Altari, redditoque in cornu Epistolae thuribulo, **Celebrans** et **duo Assistentes** genuflectunt in medio, ac in planum descendunt obliquo latere, ne SS. Sacramento terga obvertant, nempe **Celebrans** cum **secundo Assistente** se pauxillum retrahendo

ad cornu Evangelii, faciemque vertendo ad cornu Epistolae; **alter Assistens** vero se aliquantisper abducendo ad cornu Epistolae, faciem autem ad cornu Evangelii convertendo.

Tum peracta ab **omnibus** in plano genuflexione ut supra, ordine quo advenerunt pristina petunt loca, absque alterius Altaris incensatione (D. 2390 ad 6).

VI. - **Thuriferarius** pro incensando populo non in medio ad ingressum Presbyterii consistit, sed parum a latere Evangelii.

VII. - Non licet ratione expositionis SS. Sacramenti addere Commemorationem de eodem; neque omittendus est in fine, *v. Fidelium animae* etc. (D. 3086 ad 1).

CAPUT XXII.

DE VESPERIS SOLEMNIBUS DEFUNCTORUM ABSENTE EPISCOPO ORDINARIO

ARTICULUS I.

*De iis quae praeparanda sunt pro Vesperis
solemnibus Defunctorum, absente Episcopo Ordinario.*

780. — I. - IN SACRISTIA CAPITULARI. — Super consuetam mensam praeparatur pro Canonico celebrante: pluviale nigri coloris, rocchetto et amictus; super aliam mensam: duo candelabra cum candelis e cera communi (Caer. Episc., L. II, cap. X, n. 2).

II. - IN SACRISTIA MAIORI. — Super consuetam mensam: superpellicea et bireta pro Clero.

III. - AD ALTARE MAIUS. — Altare maius pallio nigri coloris instruitur, eique superimponuntur sex candelabra, numquam argentea vel deaurata, cum candelis e cera communi, et in medio praealta Crux, absque floribus, Reliquiis Sanctorum vel Imaginibus cuiusque generis (loc. cit., cap. XI, n. 1).

Gradus Altaris nudi sint.

IV. - IN CORNU EPISTOLAE E REGIONE THRONI. — Scamnum pro Celebrante; ad eius dexteram: scabellum pro Caeremoniario.

Ante scamnum praeparatur legile nudum et super illud collocatur Breviarium.

V. - IN ECCLESIAE MEDIO. — Tumulum, candelis, e cera communi, circumseptum erigi convenit (v. n. 1118, III).

ARTICULUS II.

De Functione.

781. — **Canonicus celebrans**, pluviali nigro indutus super rocchetto et amictum, ad Altare procedit, praeeuntibus **Ceroferariis** cum candelabris accensis, **Caeremoniario**, ac **duobus Cantoribus** superpelliceo amictis, qui hinc inde Celebranti anteriores sustinent pluvialis fimbrias. Cum ad Altare advenerint, **Celebrans**, reverentia peracta (**ceteri** vero genuflexionem faciunt), cum **Caeremoniario** ad scamnum se confert, debitis cum reverentiis; **Ceroferarii**, depositis candelabris, ad scabella sua accedunt; **Cantores** vero ad sedes suas, in Choro, recedunt.

782. — Dum stant **omnes** suis in locis, capite detecto, **Celebrans** dicit secreto: *Pater noster* et *Ave Maria*, interim **duo Cantores**, debitis cum reverentiis, in medio Chori accedunt; ad nutum **Caeremoniarum** intonant Antiphonam: *Placebo Domino* etc., quam **Chorus** prosequitur; mox primum Psalmum intonant, et cantus prosequitur absque sono organi vel alterius instrumenti (Caer. Episc., L. I, cap. XXVIII, n. 13; D. 4156 ad 2).

Si vero Vesperae, vel delationem cadaveris ad Ecclesiam ac Responsorium *Subvenite* etc., vel Officium diei currentis immediate sequantur, non dicitur: *Pater noster* et *Ave Maria*, sed Cantores absolute Antiphonam: *Placebo Domino* etc., intonant.

783. — Antiphonae duplicantur in die depositionis, opportuniore die post acceptum mortis nuntium, in die tertio, septimo, trigesimo et anniversario, etiam late sumpto, et quoties Officium solemniter celebratur (Rub. spec. Brev. R. ad Offic. Def.), scilicet cum assistentia Sacerdotis induti pluviali nigro (cum vel sine stola) vel saltem stola nigra supra cottam (*Eph. Lit.*, ann. 1921, pag. 428).

In fine omnium Psalmorum semper dicitur: *Requiem aeternam* * *dona eis, Domine* - *Et lux perpetua* * *luceat eis* etiamsi pro uno fiat Officium (Rubr. supra cit.).

784. — Incepto primo Psalmo, assident **omnes**, capite cooperto, usque ad: *Magnificat*. Sequentes Antiphonas et Psalmos, eodem modo quo primam, **duo Cantores** inchoant, qui etiam, ultima Antiphona repetita, Versiculum: *Audivi vocem* etc., canunt; dein Antiphonam ad: *Magnificat* intonant; qua absoluta, **omnes** surgunt (Caer. Episc., L. II, cap. X, n. 3) et **duo Cantores** Canticum incipiunt, ad quod, Cruce maiori, **omnes** se signant. Durante Cantico nulla fit incensatio.

Dum repetitur Antiphona post: *Magnificat*, sedent **omnes**, ac post illam surgunt. **Celebrans** cum **Caeremoniario** procedit ante infimum Altaris gradum; interea ad latera Celebrantis accedunt **duo Cantores**. **Celebrans**, detecto capite manibusque iunctis, stans, elata voce, dicit: *Pater noster*, quod secreto complet genuflexus, genua simul **omnibus** flectentibus usque ad finem. Subdit postmodum, eodem tono: *Et ne nos* etc., cum aliis Versiculis, ut in Breviario, respondente **Choro**. Tum **Celebrans** surgens ad: *Dominus vobiscum*, cantat Orationem Officio respondentem, cum longiori conclusione, atque subiungit: *Requiem aeternam dona eis, Domine*, etc., semper plurali numero, absque signo Crucis; deinde **duo Cantores** stantes decantant: *Requiescant in pace*; responso per **Chorum**: *Amen*, nil ultra additur, sed **omnes** digrediuntur silentio.

785. — Quaecumque Vesperae ritu duplici vel solemniter non canuntur, repetita Antiphona ad: *Magnificat*, et recitato: *Pater noster*, ante reliquos Versiculos Precum, intonatur a **Cantoribus** genuflexis Psalmus 145: *Lauda, anima mea, Dominum*, etc.

CAPUT XXIII.

DE COMPLETORIO CUM CANTU, ABSENTE EPISCOPO ORDINARIO

786. — Si Completorium cantetur immediate post Vesperas, lumina accensa manere possunt, nec enim oportet, nec convenit, ut ad principium Completorii extinguantur.

Omnes de Clero ad Completorium choraliter tantum habitu utuntur, absque ullo sacro paramento. Si igitur **Hebdomadarius** Vesperas celebraverit et immediate Completorium celebrare debeat, tunc pluviale dimittit et in Chorum ad stallum suum accedit (De Herdt, *Prax. Pont.*, Tom. II, n. 64).

787. — **Omnibus** in proprio loco stantibus aperto capite, et signo inchoandi habitu, **Lector** accedit ad medium Chori, Altari

genuflectit, mox, ad Hebdomadarium profunde inclinatus, absolute incipit in tono lectionum: *Iube, domne, benedicere*, et ita inclinatus perstat, donec Hebdomadarius formulam benedictionis compleverit. **Hebdomadarius** se ad Lectorem convertens dicit: *Noctem quietam*, etc. Dicto a **Choro**: *Amen*, idem **Lector** erectus, et ad Altare conversus, prosequitur: *Fratres, sobrii estote*, etc. Ad verba: *Tu autem, Domine*, etc., genuflectit versus Altare, deinde surgit et, absque genuflexione, sed debitis cum reverentiis ad Chorales, ad locum suum recedit.

Tum, responso per **Chorum**: *Deo gratias*, **Hebdomadarius** cantat: *Adiutorium nostrum* etc., sub quibus verbis ipse et **omnes Chorales**, Cruce maiori, se signant; deinde ab **omnibus** dicitur: *Pater noster*, totum secreto; quo absoluto, **Hebdomadarius**, profunde inclinatus, gravi voce recitat: *Confiteor* etc.; dicens: *Vobis fratres* et: *Vos fratres*, se convertit ad utramque partem Chori et ad: *mea culpa* etc., dextera pectus ter percutit, sinistra infra pectus posita. Confessione ab Hebdomadario completa, **Chorales**, ad ipsum parumper conversi, subdunt: *Misereatur tui* etc., ad quod **Hebdomadarius** *Amen* respondet et se erigit; deinde **Chorales** profunde inclinati *Confiteor* repetunt; se convertunt ad Hebdomadarium dicentes: *Tibi Pater* et: *Te Pater*; atque ad: *mea culpa* etc., pariter pectus sibi ter percutiunt et inclinati manent donec Hebdomadarius finierit *Misereatur* etc. Cum vero **Hebdomadarius** dicit: *Misereatur* etc., se ad Chorum convertit; ad verba: *Indulgentiam* etc., **omnes** se signant.

788. — Confessione absoluta, **Hebdomadarius** cantat: *Converte nos*, etc., formans interim sibi Crucis signum super pectus; ad quem Versum pariter **omnes** se signant super pectus, Cruce minori, et respondent: *Et averte* etc. **Hebdomadarius**, eadem voce, prosequitur: *Deus, in adiutorium* etc., signando se a fronte ad pectus, et ab humero sinistro ad dexterum, more solito.

Primus Cantor, in loco suo, intonat Antiphonam: *Miserere*, vel *Alleluia*, tempore Paschali; **alter** pariter, in loco suo, Psalmum 4: *Cum invocarem* etc. intonat.

Primo Psalmi Versu incepto, sedent **omnes**, capite cooperto, et sic manent usque ad Hymnum exclusive; detegunt tamen caput et inclinant ad: *Gloria Patri* etc., in fine cuiuslibet Psalmi.

789. — Completa psalmodia, repetitur Antiphona a **Choro**, deinde **omnes** surgunt; **Cantores**, in suis locis, Hymnum canunt; quo expleto, **Hebdomadarius** cantat Capitulum.

Interim duo Cantores accedunt ad medium Chori, ibique Responsorium breve alternatim cum Choralibus decantant; quo completo, primus intonat Antiphonam: *Salva nos*, etc.; alter Canticum: *Nunc dimittis* etc.; deinde ambo ad loca sua redeunt. Post Canticum, a Choro repetitur Antiphona, deinde Hebdomadarius cantat: *Dominus vobiscum*, Orationem, iterumque *Dominus vobiscum*; duo Cantores, suis in locis, canunt: *Benedicamus Domino*.

Responso a Choro: *Deo gratias*, Hebdomadarius, mediocri voce, subdit: *Benedicat et custodiat nos* etc., se signans ad: *Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus*.

Denique immediate canitur Antiphona finalis B. M. V. quam Hebdomadarius incipit et Chorus prosequitur; qua absoluta, Hebdomadarius Versiculum dicit (dein, si genuflexus, surgit) et Orationem recitat. Dicto ab Hebdomadario: *Divinum auxilium* etc., et a Choralibus responso: *Amen*, omnes genuflexi, vel stantes, prout ad Antiphonam finalem, secreto recitant *Pater, Ave et Credo*. Orationem *Sacrosanctae* etc., semper genuflexi recitant; qua completa, omnes ordinatim digrediuntur.

Ad Completorium organum pulsari potest.

CAPUT XXIV.

DE MATUTINO SOLEMNI ET DE LAUDIBUS ABSENTE EPISCOPO ORDINARIO

ARTICULUS I.

*De iis quae praeparanda sunt pro Matutino solemnibus
et pro Laudibus, absente Episcopo Ordinario.*

790. — I. - IN SACRISTIA MAIORI. — Pro omnibus, superpellicea et bireta praeparantur; adsit thuribulum cum navicula.

II. - AD ALTARE MAIUS. — Omnia ut sub n. 745, III notavimus; ad latera Altaris, super infimum gradum, ponuntur candelabra pro Ceroferariis.

III. - IN MEDIO CHORO. — Legile cum Breviario praeparatur. Si opus fuerit, prope legile apponi potest candelabrum cum cereo accenso (D. 2079 ad 3).

Caput XXIV. - De Matutino solemnibus et Laudibus, absente Episcopo Ord. 129

IV. - IN CORNU EPISTOLAE E REGIONE THRONI. — Paratur scamnum oblongum et ante illud collocatur legile (v. n. 745, IV).

V. - IN PLANO CHORI ANTE STALLUM HEBDOMADARII. — Praeparatur scabellum oblongum panno viridi coopertum pro duobus Cantoribus; ante illud legile cum Breviario et aliis libris in Cantorum usum.

VI. - IN SACRISTIA ALTARI MAIORI CONTIGUA. — Super mensam disponuntur: pluviale et amictus pro Canonico Hebdomadario; duo pluvialia pro Cantoribus. Haec paramenta, si possibile, collocari possunt super parvum abacum a tergo maioris Altaris.

ARTICULUS II.

De Functione.

791. — Iuxta Caeremoniale Episcoporum, idem, qui Missam solemnem celebraturus est, etiam Matutinum solemnem celebrat (L. II, cap. VI, n. 1), nisi forte legitime sit impeditus (D. 2196 ad 2).

Hebdomadarius si Canonicus, sedet in primo stallo (Caer. Episc., L. II, cap. VI, n. 4), seu sedet ab ea parte Chori, quae Hebdomadario illa hebdomada obtigerit, seu ubi ea hebdomada Chorus assignatur (DD. 425 ad 1; 1118). Quapropter Dignitas seu Canonicus qui Hebdomadarius est, si ab altera parte sedeat, transire debet ad eam Chori partem, a qua Officium inchoatur; in ea, praecedentiam habet supra omnes alias Dignitates (D. 1414). Dignitas autem, quae ab ea Chori parte primum locum habet, sedet immediate post Hebdomadarium; et, si oporteat, stallum e conspectu Hebdomadarii vacuum relinquitur, ut prima et secunda Dignitas in stallorum paritate conveniant (DD. 1118; 1133; 1975).

Si vero Hebdomadarius non sit Canonicus, sedet in loco digniori ab ea parte ubi Chorus ea hebdomada assignatur, supra reliquos sui ordinis (D. 1118).

In Ecclesiis quae nec Cathedrales nec Collegiatae sint, servanda est consuetudo cuiuscumque Ecclesiae, sed, ex analogia, Hebdomadarius sedere in loco digniori debet.

792. — Canonici et alii, in habitu choralibus, hora competenti ad Chorum accedunt, diebus praesertim solemnioribus, processionaliter, vel etiam singulatim iuxta locorum consuetudinem.

Si processionaliter accedunt, hic ordo servandus: praecedat Caeremoniarius, dein duo Cantores; tertio loco, Canonicus vel Beneficiatus

Hebdomadarius; sequuntur reliqui **Chorales** bini, dignioribus immediate post Hebdomadarium euntibus.

Cum ad Altare pervenerint, **Hebdomadarius** et **duo Cantores** genuflectunt in infimo gradu, **alii** hinc et inde. **Omnes** genuflexi secreto recitant Orationem: *Aperi, Domine*, etc.; qua absoluta, surgunt **omnes**. Debitis cum reverentiis, **Hebdomadarius** accedit ad primum stallum; **duo Cantores** ad scabellum ante Hebdomadarium; **reliqui** ad loca sua.

793. — **Omnibus** stantibus detecto capite, ac, dato incipiendi signo a **Caeremoniario**, dicitur secreto: *Pater, Ave* et *Credo*. Deinde **Hebdomadarius**, pollice dextero signans sibi labia, parvo Crucis signo, cantat: *Domine, labia mea aperies*; responso a Choro: *Et os meum* etc., se iterum signans a fronte ad pectus, et ab humero sinistro ad dexterum, eadem voce, subdit: *Deus, in adiutorium* etc. Ad: *Gloria Patri* etc., **omnes**, de more, se inclinant, et ad: *Sicut erat* etc., se erigunt. Interim **duo Cantores** ex suis subselliis in medium Chorum prodeunt cum inclinatione Hebdomadario ac genuflexione Altari, ex libro super legile nudum ante se positum cantant Invitatorium, quod a **Choro** repetitur, ac deinceps Psalmum 94: *Venite, exultemus* etc. Dum canitur: *Venite, adoremus, et procidamus ante Deum*, **omnes** in locis suis genuflectunt, exceptis **duobus Cantoribus**, qui unicum genu flectunt sub finem dumtaxat verborum; tum assurgunt, et proseguuntur: *ploremus coram Domino* etc. Completo Psalmo, primam partem Invitatorii repetunt et, dum Chorus alteram partem prosequitur, debitis cum reverentiis, ad Hebdomadarium accedunt; **dignior** ei praeintonat Hymnum; quo alternatim expleto a **Choro**, praeintonat ei quoque Antiphonam primi Nocturni, factis iugiter reverentiis. **Chorus** exinde prosequitur Antiphonam; post quam **duo Cantores**, in medio Chori, priorem Psalmum intonant; cuius incepto primo Versu, sedent **omnes**, capite cooperto, quod tamen sedentes detegunt, et inclinant ad: *Gloria Patri* etc., in fine cuiuslibet Psalmi.

794. — Post primum Psalmum **Cantores**, in medio Chori, repetunt Antiphonam, dein accedunt ad **digniorem Canonicum** eique **primus** ex ipsis alteram praeintonat Antiphonam, cum reverentiis ut sub n. 756 diximus de duobus ultimis Assistantibus ad Vesperas solemnes. Ad intonationem Antiphonarum **Chorales** se gerunt ut sub n. 663.

Antiphona a digniori Canonico intonata, **Chorus** stans prosequitur, et **duo Cantores**, in medio, subsequentem intonant Psalmum; dein, post reverentias, de more, ad primum recedunt locum, ubi,

facie ad Altare conversa, sedent et psallunt. Quem ritum in reliquis servant, vicissim dignioribus ex utraque parte Chori Antiphonas ordinate praeintonant.

795. — Absoluto ultimo Psalmo cuiusque Nocturni, **duo Cantores** procedunt ad medium Chorum; repetita Antiphona, Versiculum cantant, ac postea ad sua loca redeunt. Incepto Versiculo, **omnes** surgunt, detecto capite; **Hebdomadarius**, elata voce, iunctisque manibus, intonat: *Pater noster*, et reliquum cum **Choralibus** secreto perficit; tum, eodem vocis tono, subdit: *Et ne nos inducas in tentationem*, respondente **Choro**: *Sed libera nos a malo*; ac deinceps **Hebdomadarius** Absolutionem Nocturno et diei convenientem cantat, ad quam **omnes** erecti stant et: *Amen* respondent (Caer. Episc., L. II, cap. VI, n. 12; D. 3110 ad 3).

796. — Lectiones leguntur, festis praesertim diebus, a **Canonicis** incipiendo a iunioribus ad seniores; et quando non adsunt tot Canonici, primas legunt **alii Clerici** in Choro existentes (Caer. Episc., L. II, cap. VI, n. 13).

Dum cantatur Versiculus, **Caeremoniarius** accedit ad **Canonicum** vel ad **Beneficiatum** qui lecturus est primam Lectionem illumque, capitis inclinatione, invitans, ad legile ducit; quo cum **ambo** pervenerint, iuxta legile versus Altare reverentiam, vel genuflexionem, peragunt et reverentia versus Chorales primum a parte Hebdomadarii dein ab altera parte Chori salutant; mox **Lector** tradit biretum **Caeremoniario**, propius accedit ad legile atque Lectionem, quam lecturus est, aliquantulum perspicit. Prolata autem Absolutione, **Lector** ad Hebdomadarium se convertit et, caput profunde inclinans versus eum, cantat: *Iube, domne, benedicere*, et sic inclinatus perstat donec Hebdomadarius verba benedictionis expleverit. Absoluta ab eodem Hebdomadario benedictione, et responso: *Amen* a **Choro**, **omnes** sedent capite cooperto; tum vero **Lector** incipit et prosequitur Lectionem in tono consueto, manibus hinc inde super legile seu librum positus, vel iisdem iunctis ante pectus (D. 2735 ad 3), et ad laevam illius stat **Caeremoniarius**. **Lector**, si Canonicus, caput versus Altare profunde inclinans, non Canonicus genuflectens, in fine dicit, eodem tono: *Tu autem, Domine*, etc.; deinde surgit, et, absque ulla genuflexione, sed debitis cum reverentiis ad Chorales, revertitur cum **Caeremoniario** ad locum suum. Ibi, antequam sedeat, reverentiam **Caeremoniario** facit, cui **Caeremoniarius** respondet.

Lectori, etiamsi Canonicus, palmatoriam, vulgo *Bugia*, vel candelabrum ab alio sustentatum adhibere non licet (D. 2578 ad 3).

797. — Responso: *Deo gratias*, a **Choro** canitur Responsorium; Versiculum autem **duo Cantores**, in medio Chori, concinunt. Idipsum servabitur in reliquis Lectionibus et Responsorii cuiusque Nocturni.

Interim **Caeremoniarius** accedit ad eum qui secundam Lectionem lecturus est, et se gerit ut supra et sic deinceps ad alias Lectiones.

798. — Ad benedictiones in Matutino solemni tum **Hebdomadarius**, tum **Chorales** surgere debent (D. 3110 ad 3), sed **Canonici**, ad primam, quartam et septimam benedictionem stare debent; ad alias si adsit consuetudo (D. 3780 ad 11).

In tertio Nocturno dum cantatur textus Evangelii stant **omnes**, detecto capite, donec dicatur: *Et reliqua*.

799. — Completa octava Lectione, **Hebdomadarius**, invitante **Caeremoniario**, procedit vel ad Sacristiam Altari maiori contiguam, vel ad abacum a tergo eiusdem Altaris, ubi, dimissa cappa, si ea utatur, sumit amictum et pluviale, ac postea, comite eodem **Caeremoniario**, pergit vel ad stallum suum in Choro, vel ad scamnum in cornu Epistolae. Eodem tempore, **duo Cantores** et ipsi se pluvialibus, adiuvantibus **Ceroferariis**, induunt, accedunt ad medium Chori. Postquam cantaverant: *Gloria Patri* etc., in Responsorio, una cum **Ceroferariis** candelabra deferentibus, genuflexionem peragunt et ad Hebdomadarium se conferunt, debitis cum reverentiis; eique assistunt ut in Vesperis ad Capitulum, et adstant donec Lectionem expleverit, Hymnumque intonaverit.

800. — **Hebdomadarius**, detecto capite, surgit, et cum eo **omnes** surgunt; stans in stallo suo (D. 1085), vel ad scamnum ad **digniorem de Choro** inclinatus, petit ab illo benedictionem, dicens cum cantu: *Iube, domne, benedicere*, cui alter in suo loco consistens, aperto capite, respondet: *Ad societatem* etc., vel: *Per Evangelica dicta* etc. **Hebdomadarius** ultimam Lectionem canit, **omnibus** stantibus, et in fine, profunde ad Altare se inclinans, dicit: *Tu autem, Domine*, etc.

Lectione absoluta, **dignior Cantor** Hebdomadario, cum reverentiis de more, praeintonat Hymnum: *Te Deum laudamus*; quo ab **Hebdomadario** intonato, **Cantores** ad pristinas redeunt sedes, una cum **Ceroferariis** qui candelabra super Altaris gradum deponunt; **Chorus** prosequitur Hymnum. Dum cantatur: *Te ergo, quaesumus*, etc., **omnes**, suis in locis, genuflectunt.

801. — Expleto Matutino per Hymnum: *Te Deum*, **Hebdomadarius** statim incipit Laudes concinens: *Deus, in adiutorium* etc.,

cum signo Crucis; tum vero omnia servantur quae superius de Vesperis solemnibus absente Episcopo dicta sunt in respectivis Articulis Capitis XIX huius Partis, sed et incensatio fit ad *Benedictus* (D. 3410 ad 4), Altare vero SS. Sacramenti non incensatur.

802. — Consuetudo solemniter cantandi unum dumtaxat Nocturnum, ceterosque recitandi, tolerari potest; sicut et Laudes, post solemne Matutinum, sine cantu possunt recitari in Choro, nisi agatur de Festis principalibus (D. 2684 ad 3, 4).

803. — Si adsit legitima consuetudo (D. 3975, VI, 1) sumendi pluvialia a principio Matutini, tunc:

I. - Pluvialia parantur in Sacristia capitulari, et etiam duo candelabra pro Ceroferariis.

II. - Omnes ad Altare procedunt ut ad Vesperas solemnes, absente Episcopo Ordinario, ut in respectivis Articulis Capitis XIX huius Partis notavimus.

III. - Hebdomadarius sedere potest in primo stallo Chori, vel in scamno in cornu Epistolae collocato, et in casu Caeremoniarius sedet in scabello a sinistra eiusdem Hebdomadarii, duo Cantores in scabello e regione Altaris.

CAPUT XXV.

DE PRIMA, TERTIA, SEXTA ET NONA CANENDIS ABSENTE EPISCOPO ORDINARIO

804. — Si decantentur Horae minores Prima, Tertia, Sexta et Nona, pluvialia non sunt adhibenda. Organa tamen, durante Psalmodia, pulsari licet iuxta Ecclesiae consuetudinem.

805. — Dicto *Pater, Ave* et *Credo*, vel *Pater, Ave* secreto, **Hebdomadarius**, qui in stallo suo consistit, in quavis Hora canit: *Deus, in adiutorium* etc. **Duo Cantores** stantes, in medio Chori, intonant Hymnum et Antiphonam; qua intonata, statim intonationem primi Psalmi subiungunt.

Ab incepto primo Versu Psalmi prioris usque ad expletam Antiphonam, sedent **omnes**, capite cooperto, quod sedentes detegunt, inclinatumque tenent ad: *Gloria Patri* etc., in Psalmis singulis.

Reliqui Psalmi a **Cantoribus** denuo intonari debent; quibus absolutis, a **Choro** Antiphona canitur, dein **omnes** surgunt et Capitulum Hebdomadarius canit. Interea **duo Cantores**, debitis cum reverentiis, ad medium Chori accedunt et, responso a **Choralibus**: *Deo gratias*, Responsorium breve et Versiculum alternatim cum **Choro** decantant; **Hebdomadarius** subiungit: *Dominus vobiscum*, et Orationem atque iterum: *Dominus vobiscum*; deinde **duo Cantores** canunt: *Benedicamus Domino*. Responso a Choro: *Deo gratias*, **Hebdomadarius**, remissiori voce, dicit: *Fidelium animae* etc.

Ante discessum de Choro, in fine ultimae Horae, recitato: *Pater noster* secreto, **Hebdomadarius**, mediocri voce, dicit: *Dominus det nobis suam pacem*; responso a **Choro**: *Et vitam aeternam. Amen*, statim incipit Antiphonam finalem B. M. V., eamque **Chorus** prosequitur. Antiphona absoluta, **Hebdomadarius** Versiculum dicit (dein, si genuflexus surgit) et Orationem recitat. Dicto per **Hebdomadarium**: *Divinum auxilium* etc., **omnes** respondent: *Amen*.

806. — **Hebdomadarius** ad Primam, post lectionem Martyrologii, cantat alternatim cum Choro: *Pretiosa in conspectu* etc., nec non reliqua usque ad Absolutionem Capituli. Ad Lectionem brevem profert in cantu benedictionem, atque in fine pariter in cantu dicit: *Adiutorium* etc.

Lector ad brevem Lectionem se gerit ut in initio Completorii (v. n. 787).

CAPUT XXVI.

DE MATUTINO SOLEMNI CUM LAUDIBUS DEFUNCTORUM ABSENTE EPISCOPO ORDINARIO

807. — Animadversiones generales eadem sunt ut sub n. 739. Omnia parantur ut sub n. 780 notavimus, quibus adiungendum legile nudum cum Breviario in medio Chori.

808. — **Hebdomadarius** indutus pluviali nigro supra superpelliceum, ad Altare procedit cum **Ceroferariis**, **Caeremoniario** ac **duobus Cantoribus**, ut supra in Vesperis (v. n. 781) et etiam sedere potest in primo stallo Chori.

Si Canonicus non sit, **Hebdomadarius** sedet in loco digniori ab ea parte ubi Chorus illa hebdomada assignatur, supra reliquos sui ordinis (D. 1118).

809. — Omnibus autem capite detecto consistentibus, **Hebdomadarius** dicit secreto: *Pater noster*, *Ave Maria* et *Credo*, vel **duo Cantores** ad nutum **Caeremoniarii** accedunt ad legile et statim incipiunt Invitatorium et **omnes** se gerunt ut sub n. 740 et 741 notavimus.

Hebdomadarius post Versiculum cuiusque Nocturni surgit, detecto capite; dicto: *Pater noster* etc., secreto, sedet rursus, et caput tegit.

Interea **Caeremoniarius** accedit ad eum qui primam Lectionem est lecturus eumque, debitis cum reverentiis, vel genuflexionibus, ad legile ducit. Tunc **Lector** stans incipit Lectionem in tono consueto, absque absoluteione, benedictione et titulo; neque in fine addit: *Tu autem, Domine*, etc., sed vocem aliquantisper inflectit.

Completa Lectione, a **Choro** canitur Responsorium; Versiculum autem **duo Cantores**, in medio Chori, concinunt. Idipsum servabitur in reliquis Lectionibus et Responsorii cuiusque Nocturni.

810. — Lectiones leguntur a **Choralibus**, incipiendo a iunioribus ad seniores. Nec opus est ut **Hebdomadarius** legat nonam Lectionem; quod si eam legat, **Ceroferarii** non assistunt cum candelabris.

811. — Completo nono Responsorio vel tertio, si unus tantum Nocturnus dicatur, **Cantores** intonant primam Laudum Antiphonam, ad cuius intonationem nec **Hebdomadarius** neque **Chorales** surgunt.

Laudes canuntur ut Vesperae, et **omnes** sedent usque ad: *Benedictus*, quod dum incipitur stant, et dum repetitur Antiphona iterum sedent, ac post illam surgunt. Si **Hebdomadarius** ad scannum sit, procedit cum **Caeremoniario** ante infimum Altaris gradum, interea ad latera Hebdomadarii accedunt **duo Cantores**.

Hebdomadarius, detecto capite iunctisque manibus, stans, elata voce, dicit: *Pater noster*, quod secreto complet, vel in infimo Altaris gradu, vel in suo stallo, genu simul **omnibus** flectentibus usque ad finem. Reliqua absolvuntur ut ad Vesperas (v. n. 784 et 785) sed loco Psalmi 145: *Lauda, anima mea*, etc., si dicendus, a **Cantoribus** intonatur Psalmus 129: *De profundis* etc.

812. — Si Matutinum, cum uno Nocturno, vel cum tribus, a Laudibus separetur, expleto tertio vel nono Responsorio, **Hebdomadarius**, detecto capite iunctisque manibus, stans, elata voce, dicit: *Pater noster*, et se gerit ut ad Vesperas (v. n. 784).

CAPUT XXVII.

DE DIVINO OFFICIO
IN CHORO PERSOLVENDO SINE SOLEMNITATE

ARTICULUS I.

De Hebdomadario in Officio non solemni.

813. — Hebdomadarius per integram hebdomadam, iuxta leges liturgicas et constitutiones Capituli, officio suo fungitur, scilicet a Vesperis Sabbati usque ad Nonam sequentis Sabbati inclusive. In Officii recitatione Hebdomadarius in ea Chori parte primam sedem occupare deberet ubi illa hebdomada assignatur, sed circa eius stallum consuetudo cuiuscumque Ecclesiae servari potest (D. 277).

814. — I. - AD VESPERAS. — Hebdomadarius, recitato: *Pater* et *Ave* secreto, dicit: *Deus, in adiutorium* etc., se signans, more solito. Psalmis absolutis, dicit Capitulum, iunctis manibus; repetita Antiphona post: *Magnificat*, iunctis iterum manibus, stans, dicit: *Dominus vobiscum*, et recitat Orationem, vel Orationes, iuxta Rubricas, quibus praemittit *Oremus*, caput profunde inclinando versus Altare. Quando plures Orationes dicuntur, prima tantum dicitur sub una conclusione: aliae non concluduntur, nisi in ultima Oratione. Idem observat, si dicenda est Commemoratio de Cruce, vel Suffragium Sanctorum. Deinde repetit: *Dominus vobiscum*; addit: *Benedicamus Domino*, et, voce mediocri: *Fidelium animae* etc., quin signum Crucis, manu dextera, ad instar benedictionis producat (D. 4048 ad 8).

Post: *Pater noster* etc., secreto, voce mediocri, subdit: *Dominus det nobis suam pacem*, si tunc e Choro discedendum sit, et incipit Antiphonam finalem B. M. V. stans, vel genuflexus, pro ratione temporis; semper tamen surgit ad Orationem, post quam, mediocri voce, subiungit: *Divinum auxilium* etc.

Si vero e Choro discedendum non sit, et immediate Completorium subsequatur, tunc post: *Fidelium animae* etc., non dicitur *Pater noster* et Antiphona finalis B. M. V.

Quando Preces feriales dicendae sunt, recitata a Cantore Antiphona post: *Magnificat*, Hebdomadarius, flexis genibus et clara voce, dicit: *Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison* et totum *Pater noster* et sequentes *ŷŷ*; erectus tamen dicit: *Dominus vobiscum* et Orationem, vel Orationes, atque se gerit ut supra (D. 3110 ad 9).

II. - AD COMPLETORIUM. — Hebdomadarius ad benedictionem lectionis brevis, stans et iunctis manibus, dicit: *Noctem quietam* etc.; tum post lectionem, voce mediocri, subiungit: *Adiutorium nostrum* etc., se signans. Dehinc dicto *Pater noster* etc., secreto, profunde inclinatus facit Confessionem et ad verba: *Vobis Fratres*, et: *Vos Fratres*, sese convertit ad utramque Chori partem; ad: *Mea culpa*, ter percutit sibi pectus et ad: *Misereatur tui* etc., respondet: *Amen*, ac se erigit.

Expleto a Choro: *Confiteor*, subiicit: *Misereatur vestri* etc., et: *Indulgentiam*, etc., se signans. Deinceps pronunciat: *Converte nos, Deus*, etc., formans sibi Crucis signum super pectus; tum: *Deus, in adiutorium* etc., se signans a fronte ad pectus, de more. Post Hymnum legit, iunctis manibus, Capitulum; repetita a Choralibus Antiphona: *Salva nos* etc., stans, iunctis iterum manibus, dicit: *Dominus vobiscum*, Orationem, ac rursus: *Dominus vobiscum*; *Benedicamus Domino*; *Benedicat et custodiat nos* etc., se signans ad: *Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus*; denique inchoat Antiphonam finalem B. M. V. post quam, stans, recitat Orationem; qua absoluta, voce mediocri, subdit: *Divinum auxilium* etc. Deinde secreto recitat: *Pater noster, Ave Maria* et *Credo*; genuflexus, laudabiliter recitat Orationem: *Sacrosanctae*.

Quando Preces dicendae sunt, DOMINICALES recitantur omnibus stantibus, FERIALES, flexis genibus. Hebdomadarius dicit: *Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster*, et, secreto, prosequitur usque ad: *Et ne nos inducas in tentationem*; dein dicit: *Credo in Deum*, et prosequitur secreto usque ad: *Carnis resurrectionem*, ac tandem subdit subsequentes *ŷŷ*. Tum, si genuflexus, surgit et dicit: *Dominus vobiscum*, Orationem et reliqua ut supra.

III. - AD MATUTINUM. — Hebdomadarius genuflexus recitat laudabiliter Orationem: *Aperi, Domine*, etc., dein surgit; recitato secreto *Pater, Ave* et *Credo*, clara voce, dicit: *Domine, labia mea aperies*, sibi os signans. Tum, responso a Choro: *Et os meum* etc., subdit: *Deus, in adiutorium* etc., se signans a fronte ad pectus, more solito.

Post *ŷ*. et *ŷ*. trium Nocturnorum surgit; elata voce, profert: *Pater noster* et secreto prosequitur usque ad: *Et ne nos inducas in tentationem*. Tum responso a Choro: *Sed libera nos a malo*, Absolutionem, et singulis Lectionibus, benedictionem praemittit, capite detecto, manibusque iunctis et semper stans (Caer. Episc., L. II, cap. VI, n. 12; D. 3110 ad 3).

Ad lectionem textus Evangelii consistit, deinde sedet; absoluta vel nona, vel tertia Lectione, vel postremo Responsorio, prout qualitas Officii requirit, surgit.

IV. - AD LAUDES. — Expleto Hymno *Te Deum*, si locus eidem sit; secus, dicto postremo Responsorio, Hebdomadarius absolute incipit Laudes per verba: *Deus, in adiutorium etc.*, ut in Vesperis.

V. - AD PRIMAM. — Hebdomadarius post: *Pater, Ave* et *Credo* secreto, dicit: *Deus, in adiutorium etc.*, se signans. Repetita Antiphona, surgit et, iunctis manibus, recitat Capitulum. Absoluto Responsorio brevi, dicit: *Dominus vobiscum*, Orationem: *Domine Deus omnipotens, etc.*, iterum: *Dominus vobiscum*, et: *Benedicamus Domino*. Post lectionem Martyrologii subdit: *Pretiosa etc.*, *Sancta Maria etc.*, sine: *Oremus*; ter: *Deus, in adiutorium etc.*, haud se signans; *Pater noster*, ac in fine: *Et ne nos inducas in tentationem*. Postea, praemittens: *Oremus*, subiungit Orationem: *Dirigere et sanctificare, etc.*; Lectori benedictionem largitur formula: *Dies et actus nostros etc.* Completa Lectione et responso a Choro: *Deo gratias*, recitat: *Adiutorium nostrum etc.*, absque Crucis signo; *Benedicite*, et: *Dominus nos benedicat etc.*, sibi Crucis signum efformans. Post: *Pater noster etc.*, secreto, si tunc e Choro est digrediendum, subiicit: *Dominus det nobis suam pacem etc.*, ut supra in Vesperis (v. n. 814).

Si vero Preces dicendae sint, DOMINICALES recitantur omnibus stantibus; FERIALES, flexis genibus; tum Hebdomadarius, responso a Choro: *Et libera nos propter nomen tuum*, dicit: *Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster* et prosequitur secreto usque ad: *Et ne nos inducas in tentationem*; dein: *Credo in Deum*, et secreto usque ad: *Carnis resurrectionem*; tandem subdit subsequentes v^{y} . se rursus signans ad: *Adiutorium nostrum etc.*; postmodum facit Confessionem, ut supra ad Completorium; subdit: *Miserereatur vestri etc.*, et: *Indulgentiam, etc.*, cum Crucis signo, et subsequentes Versiculos. Tum, iugiter erectus, addit: *Dominus vobiscum*, Orationem: *Domine Deus omnipotens, etc.*, et reliqua ut supra.

VI. - AD TERTIAM, SEXTAM ET NONAM. — Hebdomadarius post: *Pater* et *Ave*, pronunciat: *Deus, in adiutorium etc.*, se signans. Repetita Antiphona post Psalmos, stans, iunctis manibus, recitat Capitulum; absoluto Responsorio brevi, semper stans, dicit: *Dominus vobiscum*, Orationem; iterum: *Dominus vobiscum*; *Benedicamus Domino*, et: *Fidelium animae etc.*; qui Versus dicitur etiam quando immediate post Horam sequitur Missa (DD. 2366; 4381); omittitur

vero quando immediate sequitur Officium parvum Beatae Mariae, vel Officium Defunctorum aut septem Psalmi Poenitentiales, vel solae Litaniae (Rubr. gen. Brev., Tit. XXX, n. 3).

Post: *Pater noster* secreto, si tunc e Choro sit discedendum, subdit: *Dominus det nobis suam pacem etc.*, ut supra in Vesperis.

Si Preces feriales dicendae sint, Hebdomadarius, absoluto Responsorio brevi, flexis genibus, dicit: *Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie eleison. Pater noster*, quod prosequitur secreto usque ad: *Et ne nos inducas in tentationem*, dein subsequentes v^{y} .; erectus tamen dicit: *Dominus vobiscum*, Orationem et reliqua, ut supra.

ARTICULUS II.

De Cantoribus in Officio non solemni.

815. — I. - AD VESPERAS. — **Primus Cantor**, qui semper sistet e parte Hebdomadarii, dicto a Choralibus: *Alleluia*, vel: *Laus tibi, Domine, etc.*, post: *Deus, in adiutorium etc.*, in Officio duplici integram pronunciat priorem Antiphonam, ac statim primum Psalmum inchoat, quem Chorales alternatim prosequuntur incipientes a parte ipsius Cantoris seu Hebdomadarii. Tempore Paschali, in fine cuiusque Antiphonae, additur: *Alleluia*, ubi deest. A Septuagesima usque ad Sabbatum Sanctum, omittitur: *Alleluia* ubicumque invenitur (Rubr. Gen. et Spec. Brev. Rom. et D. 3780 ad 7).

Si Antiphona constet iisdem omnino verbis ac primus Versus Psalmi, vel Cantici, tunc initium Psalmi vel Cantici non repetitur, sed continuatur a secundo Versu; quod si per: *Alleluia* terminatur Antiphona, tunc integre pronuntiatur primus Versus Psalmi, vel Cantici.

In Officio semiduplici vel simplici, Antiphona, ante Psalmum, vel Canticum, non dicitur integra, sed inchoatur, seu producitur tantum usque ad asteriscum; si vero verba Antiphonae eadem sint ac verba initii Psalmi, vel Cantici, continuatur Psalmus, vel Canticum a vocabulo in quo desinit Antiphona.

Post Psalmum, **idem Cantor**, stans, integram repetit Antiphonam, etiam in semiduplicibus et simplicibus. Mox **alter Cantor**, eodem modo, secundam Antiphonam pronunciat, ac secundum inchoat Psalmum, quem Chorus alternatim prosequitur, incipiens a parte ipsius secundi Cantoris. Similiter in fine secundi Psalmi **idem Cantor** repetit Antiphonam: et ita deinceps fit per vices usque ad Capitulum.

Cum Hebdomadarius recitaverit Capitulum, **primus Cantor** Hymnum intonat, postea **Cantores** dicunt (vel **primus Cantor** tantum, si Officium sit simplex) Versiculum, cui Tempore Paschali additur unum: *Alleluia* (quod fit etiam ad Versiculos Commemorationum); **primus Cantor** recitat Antiphonam ante: *Magnificat*, et Canticum inchoat; quo absoluto, Antiphonam repetit.

Si Commemorationes occurrant, **Cantor primus** Antiphonam recitat Versiculi vero, etiam Suffragii, ab **utroque** dicuntur, nisi sit Officium simplex.

II. - AD COMPLETORIUM. — **Primus Cantor**, dicto a Choralibus: *Alleluia*, vel: *Laus tibi, Domine*, etc. post: *Deus, in adiutorium* etc., inchoat Antiphonam convenientem et incipit primum Psalmum, quem Chorales alternatim prosequuntur, ducto initio e parte Hebdomadarii. Psalmis absolutis, **primus Cantor** recitat integram Antiphonam, dein inchoat Hymnum. Responso a Choralibus: *Deo gratias*, post Capitulum, **duo Cantores** pronunciant simul (vel **prior** tantum, si Officium sit simplex) Responsorium breve, Choro repetente; postmodum **primus** incipit Antiphonam: *Salva nos* etc., et Canticum: *Nunc dimittis* etc.; quo absoluto, Antiphonam integram repetit. Brevi Responsorio, a Sabbato ante Dominicam in Albis usque ad Feriam sextam infra Octavam Pentecostes, adduntur duo: *Alleluia*.

III. - AD MATUTINUM. — **Duo Cantores**, dicto: *Alleluia*, vel: *Laus tibi, Domine*, etc., post: *Deus, in adiutorium* etc., simul recitant in medio Chori, vel alibi, iuxta consuetudinem, Invitatorium, cum Psalmo 94: *Venite, exultemus* etc., genuflectentes, una cum aliis, ad verba: *Venite, adoremus, et procidamus ante Deum* et erecti prosequuntur: *ploremus coram Domino* etc. Tempore Paschali, si desit, additur in Invitatorio unum *Alleluia*. In Officio vero simplici Invitatorium et Psalmum 94: *Venite, exultemus* etc., solus **primus Cantor** recitat.

Expleto Invitatorio cum Psalmo, **primus Cantor** intonat Hymnum; quo absoluto, in loco consueto, priorem dicit Antiphonam integram, si Officium sit duplex, vel illius initium, si semiduplex vel simplex; deinde inchoat Psalmum; quo completo, item stans, totam Antiphonam repetit. Mox **alter Cantor**, eodem modo, secundam legit Antiphonam et secundum inchoat Psalmum, ac in fine Antiphonam repetit; postquam **primus Cantor** dicit tertiam Antiphonam, et tertium inchoat Psalmum, ut supra. Dehinc ab eo repetita tertia Antiphona, recitant **ambo** simul Versiculum. In Officio simplici, Versiculus dicendus est tantum a **primo Cantore**.

Post unamquamque Lectionem prioris Nocturni, **primus Cantor** stans legit Responsorium; **alter**, pariter stans, subiungit Versum, nec non: *Gloria Patri* etc., in tertio Responsorio. In Officio tamen de tempore Passionis, loco: *Gloria Patri* etc., Responsorium iteratur. Si Responsorium duos praeseferat asteriscos, prior repetitio post Versum a primo dumtaxat ad secundum asteriscum ducenda est, ac verba ab altero asterisco usque ad Versum pro secunda repetitione sunt reservanda (DD. 2718; 2820; 2872, dub. III; 3576, dub. XIII).

In secundo Nocturno **alter Cantor** primam et tertiam dicit ac repetit Antiphonam, primum et tertium inchoat Psalmum; **primus** secundam Antiphonam legit ac repetit, atque alterum Psalmum inchoat. Exinde **ambo** recitant Versiculum. Post singulas autem Lectiones, **secundus Cantor** legit Responsorium, ut supra, **primus** autem Versum item ut supra.

In tertio Nocturno quod ad Antiphonas attinet, Psalmos, Versiculum et Responsorium, omnia peraguntur ut in primo Nocturno; sed cum duo tantum recitentur ut plurimum Responsorium, idcirco in hoc casu ad secundum additur: *Gloria Patri* etc.

Absoluta nona Lectione, **primus Cantor** intonat Hymnum: *Te Deum* etc. In Dominicis vero Adventus, quando fit Officium de Dominica, et in Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusive, nec non in Festo Sanctorum Innocentium, si non incidat in Dominicam, et in Officio de Feria, extra tempus Paschale (excepta Feria secunda Rogationum, si de ea fit Officium), omittitur: *Te Deum* etc., ac nonum vel tertium Responsorium dicitur.

IV. - AD LAUDES. — Omnia servantur quae de Vesperis supra diximus.

V. - AD PRIMAM. — **Primus Cantor** intonat Hymnum, inchoat Antiphonam, et incipit Psalmum. Absolutis Psalmis, Antiphonam recitat; dictoque Capitulo ab Hebdomadario, **Cantores** dicunt simul (vel **primus Cantor** tantum, si Officium sit simplex) Responsorium breve, Choro repetente.

VI. - AD TERTIAM, SEXTAM ET NONAM. — **Cantor primus**, responso a Choralibus: *Alleluia*, vel: *Laus tibi, Domine*, etc., post: *Deus, in adiutorium* etc., intonat Hymnum, inchoat Antiphonam, et incipit Psalmum. Post Psalmos, Antiphonam integram recitat. Responso a Choro: *Deo gratias* post Capitulum, **duo Cantores** simul pronunciant (vel **primus** dumtaxat, si Officium sit simplex) Responsorium breve, Choro repetente.

ARTICULUS III.

De Lectoribus in Officio non solemni.

816. — I. - AD COMPLETORIUM. — Lector, in medio Chori, primum Altari genuflectit, mox ad Hebdomadariam se convertens, profunde inclinatus, dicit: *Iube, domne, benedicere*; ita inclinatus persistit donec Hebdomadarius benedictionem finierit. Responso a Choralibus: *Amen*, se erigit, recitat Lectionem brevem et dum in fine dicit: *Tu autem, Domine, miserere nobis*, genuflectit ac postea surgit et, absque genuflexione, sed debitis cum reverentiis ad Choraes, ad locum suum recedit.

II. - AD MATUTINUM. — Ad Versiculum in singulis Nocturnis, Lecturus primam Lectionem pergat ad legile, ibique Altari genuflectit, et Chorum utrinque salutatur; mox, dicta ab Hebdomadario Absolutione, ad illum profunde inclinatus, simulque cavens ne terga Altari obvertat, petit benedictionem per verba: *Iube, domne, benedicere*; qua obtenta, ac responso a Choro: *Amen*, eoque assidente, ille stans, detecto capite, Lectionem incipit et perficit, manibus hinc inde super legile, vel librum positus; quod si lumine opus habeat, tunc utetur candela, illamque dextera tenebit, sinistra interim legili vel libro admota. Lectionem absolvit per verba: *Tu autem, Domine, etc.*, et Altari versus profunde se inclinatur. Absoluto Responsorio, Lector rursus, pari ritu, petit benedictionem; Lectionem alteram et tertiam legit. Ad: *Tu autem, Domine, etc.*, post tertiam Lectionem, Altari genuflectit, dein surgit et, absque genuflexione, sed Choro ut supra consalutato, ad locum suum redit. Idipsum in reliquis Nocturnorum Lectionibus servatur.

III. - AD PRIMAM. — Dum Hebdomadarius recitat Orationem: *Domine Deus omnipotens, etc.*, Lector accedit ad legile; dicto: *Benedicamus Domino* et responso a Choralibus: *Deo gratias*, legit Martyrologium, excepto triduo ante Pascha, quibus diebus omittitur.

A) Legitur autem semper praecedenti die lectio illa, quae memorias Festorum, sive Officiorum ac Sanctorum et Beatorum sequentis diei continet, praeponendo Kalendas, vel Nonas, vel Idus, et Lunae quantitatem, eiusdem sequentis diei. In die festo Paschae, antequam legantur Kalendae, Lector dicit: «*Hac die quam fecit Dominus etc.*», deinde pronuntiat Kalendas et Martyrologium sequentis diei. Item in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum ante omnia legitur: «*Hac die Commemoratio etc.*» (ex Rubric. Martyr. n. 2 et 4).

B) Festa, de quibus ea die integrum fit Officium, semper primo loco ponuntur, nisi Dominica Septuagesimae, Feria IV Cinerum, alicuius Vigiliae, Litaniarum, sive maiorum, sive minorum, vel alicuius diei Octavae mentio sit facienda, quae semper, et servato ordine supra dicto, quoties ex eis plures simul occurrerint, praeponuntur Lectioni Officii sequenti die peragendi. Id servandum etiam erit in Festis sive Officiis mobilibus, quae, si fuerint universalis Ecclesiae, pronuntianda sunt prout iacent in Martyrologio post Rubricas (Ex Rubric. Martyr. n. 6 et 7).

C) Martyrologium semper legendum est prout iacet, tametsi Festa in eo descripta alia die celebrari contigerit. Quo in casu Festa annuntiari debent et in die natalitia, seu propria, et in die translationis ac repositionis.

I. - IN DIE NATALITIA SEU PROPRIA in fine respondentis elogii, nisi in Martyrologio, vel in approbata Appendice, iam provisum fuerit, semper adiiciatur mentio diei translatae, aut repositae, his, vel aliis congruis verbis:

1. *Ipsius autem Officium hoc anno fiet...*; pro innuenda die TRANSLATA. Haec mentio semel tantum erit agenda, nempe in die natalitia, seu propria; vel, si agatur de Festo reposito et ulterius translato, in die reposita;

2. *Ipsius autem Festum... celebratur*; pro innuenda die REPOSITA, cuius mentio in die tantum natalitia seu propria erit facienda.

II. - IN DIE VERO TRANSLATIONIS ET REPOSITIONIS, si approbatum non suppetat elogium, his, vel aliis paucioribus verbis Festa enuntiantur:

1. *Officium Sancti (vel Beati) N. N., cuius Festum fuit...*; pro die **translationis**;

2. *Sancti (vel Beati) N. N., cuius dies natalis recensetur...*; pro die **repositionis**.

D) Si autem pro qualibet Ecclesia particulari, seu Loco, cum agitur de Festis universalibus, dies repositionis alia fuerit quam pro universali Ecclesia, vel, cum agitur de Festis particularibus, alia fuerit quam pro Dioecesi aut Ordine vel Instituto reperitur indicta, ita elogium diei natalitiae, seu propriae, congruenter aptari debet, ut qua die Festum in Ecclesia universali agi soleat, et qua item die Festum in Dioecesi aut in Ordine vel Instituto atque in particulari Ecclesia, seu Loco, fieri debeat, clarius exprimat; uti, exempli

gratia: *Ipsius tamen Festum in Ecclesia universali... in Dioecesi (aut Ordine vel Instituto) N., et in hac Ecclesia... celebratur.*

E) Si dies repositionis (non autem translationis) in Martyrologio statuta, in aliam diem pro aliqua Ecclesia seu Loco fuerit permutata, ibi Festa pro utraque repositionis die annuntiari debent; idque fieri etiam debet, si repositionis dies toti Dioecesi, aut Ordini, vel Instituto communis, sive de universalibus, sive de particularibus Festis agatur, in aliam diem pro aliqua ipsius Dioecesis, aut Ordinis, vel Instituti, Ecclesia fuerit conversa. Elogium pro prima die reposita Festi universalis sequenti, vel alio modo aptiori, redigi poterit: *Sancti (vel Beati) N. N., cuius dies natalis... recensetur; sed Festum eius, quod hodie in universali Ecclesia colitur, in Dioecesi (aut in Ordine, vel Instituto N., aut in hac Ecclesia)... celebratur.* Ubi adsunt tria... puncta in exemplis supra citatis adiiciatur mentio diei translatae, vel repositae, vel Festi, vel natalitiae, prout res postulat (Ex Rubric. Martyr. nn. 13, 14 et 15).

F) Si plures Sancti aut Beati, qui distinctum habeant elogium, uno eodemque Officio, vel una et eadem Commemoratione, sive ipsa sive alia die celebrentur:

1. In die natalitia, seu propria, ille semper in ponendis eorum elogiis observabitur ordo, quem ipsi Sancti, aut Beati, in Oratione aliisque Officii partibus vel in Commemoratione obtineant.

2. In die reposita, sive ab eadem, sive a diversa die, Festum vel Commemorationem huiusmodi Sanctorum aut Beatorum reponi contigerit, sicut et in die translata, unico omnes recolentur elogio iuxta normam sub C, II traditam conficiendo: in quo, ipsa semper retenta nominum dispositione, respectiva dies natalis, seu propria, pro Festo reposito exprimat, nisi plus quam duo, vel tres, ex diebus talibus essent secus indicandi, quia tunc sufficere dixerit eorumdem Sanctorum aut Beatorum natalem, suis respective diebus celebrari, attentis etiam exemplis in Martyrologio sub die 12 Februarii ac 7 Iulii et 1 Septembris occurrentibus (loc. cit. n. 11).

G) Minime autem in Lectione Martyrologii annuntiatur Officium, vel Commemoratio, vel occurrentia:

1. Cuiuslibet Dominicae vel Feriae, si modo excipias: Dominicas Septuagesimae, Passionis, Palmarum, Dominicam in Albis et Dominicam primam Adventus; Feriam IV Cinerum et Feriam V in Coena Domini;

2. Vigiliae in Sabbato anticipatae, aut (Vigilia Ascensionis Domini excepta) Tempore Paschali occurrentes;

3. Cuiusvis diei infra Octavam, sive communem sive privilegiatam;

4. Diei Octavae eo tempore occurrentis, quo iuxta Rubricas Breviarii Romani prohibentur Octavae (loc. cit. n. 6 et 12).

H) Sancti porro (aut Beati), quorum in Martyrologio mentio desit, ratione Officii, quod de illis peragendum est, debent sane paucis verbis commemorari; sic tamen ut proprio cuiusque nomini, nec non qualitati Martyris, Episcopi, Confessoris, Abbatis aut Virginis, et loco obitus, nihil praeterea adiungatur, nisi forte praesto sit elogium a S. Sede adprobatum. Si de iisdem per accidens nec Officium nec Commemoratio agatur, memoria eorum legenda erit post Sanctos in Martyrologio descriptos, ordine suo, videlicet Martyres post Martyres, Confessores post Confessores, Virgines post Virgines.

Completa lectione Martyrologii, idem Lector semper subdit: *Et alibi aliorum plurimorum Sanctorum Martyrum* etc., et ad legile persistit.

Post Orationem: *Dirigere et sanctificare*, etc., inclinatus petit benedictionem dicens: *Iube, domne, benedicere*; qua obtenta, erectus recitat Lectionem brevem in cuius fine dicit: *Tu autem, Domine*, etc., et se gerit ut ad Completorium.

ARTICULUS IV.

De Choralibus in Officio non solemnibus.

817. — I. - AD VESPERAS. — Choralis stantes, detecto capite, dicunt: *Pater* et *Ave* secreto. Se signant dum ab Hebdomadario verba proferuntur: *Deus, in adiutorium* etc., ac respondent: *Domine, ad adiuvandam* etc., et se inclinant ad: *Gloria Patri* etc. Psalmi recitantur alternatim a Choralibus, quorum primus a parte Hebdomadarii incipit, secundus a parte altera, et sic per vices. Incepto primo Psalmo, omnes sedent; ad: *Gloria Patri* etc., in fine Psalmorum, caput aperiunt et inclinant, sicut etiam ad alia verba quae specialem reverentiam exposcunt. Ad Capitulum omnes surgunt et stant, capite detecto, ac in fine respondent: *Deo gratias*. Deinde Hymnum alternatim recitant, utrumque flectunt genu quoties ad aliquam stropham genuflectendum est, et post Versiculum proferunt Responsorium. Quum primus Cantor *Magnificat* inchoat, omnes se signant et Canticum alternatim recitant. Ad: *Dominus vobiscum*, respondent: *Et cum spiritu tuo*, et in conclusione Orationis: *Amen*. Ad Commemorationes et Suffragium Sanctorum, post Versiculum respondent

Responsorium et in Orationum conclusione: *Amen*. Ad: *Dominus vobiscum*, pariter ut supra: *Et cum spiritu tuo* respondent; post: *Benedicamus Domino*, subdunt: *Deo gratias*; dicto: *Fidelium animae* etc., dicunt: *Amen*.

Si Preces feriales recitandae sint, Chorales omnes genuflectunt usque ad: *Benedicamus Domino*, post ultimam Orationem (nisi statim dicenda sit Antiphona finalis), ac respondent ad Versiculos.

Si vero a Choro discedendum sit, post: *Fidelium animae* etc. Chorales recitant secreto: *Pater noster* et ad: *Dominus det nobis suam pacem*, subiungunt: *Et vitam aeternam. Amen*. Dehinc recitant Antiphonam finalem B. M. V. stantes, vel genuflexi, pro ratione temporis, et respondent ad Versiculum; dicto ab Hebdomadario: *Divinum auxilium* etc., subiungunt: *Amen*.

II. - AD COMPLETORIUM. — Chorales stantes, aperto capite, subdunt: *Amen*, ad: *Noctem quietam* etc., et: *Deo gratias*, post Lectionem brevem. Ad: *Adiutorium nostrum* etc., se signant, ac respondent: *Qui fecit coelum et terram*. Tum dicunt: *Pater noster* secreto; facta ab Hebdomadario Confessione, Chorales respondent: *Misereatur tui* etc., et profunde inclinati Confessionem repetunt, vertentes se ad Hebdomadarium ad: *Tibi Pater*, et: *Te Pater*, ac ter percutientes pectus ad: *Mea culpa*. Post: *Misereatur vestri* etc., respondent: *Amen* et se erigunt, ac signant ad: *Indulgentiam* etc., in cuius fine subdunt: *Amen*. Tum ad: *Converte nos*, etc., se signant in pectore, ac respondent: *Et averte iram tuam a nobis*, itemque de more a fronte ad pectus sibi Crucis signum formantes ad: *Deus, in adiutorium* etc., subiiciunt: *Domine, ad adiuvandum* etc., seque inclinant ad: *Gloria Patri* etc. Inchoata Antiphona, Psalmos persolvunt alternatim, capite cooperto, incipientes ex parte Hebdomadarii.

Repetita a primo Cantore Antiphona, omnes surgunt et Hymnum, a Cantore inceptum, alterne recitant. Ad Capitulum respondent: *Deo gratias*, et repetunt Responsorium breve. Inchoata Antiphona ante: *Nunc dimittis* etc., Canticum vicissim recitant, se signantes, capto pariter initio ex parte Hebdomadarii. Ad: *Dominus vobiscum*, subdunt: *Et cum spiritu tuo*, et ad conclusionem Orationis: *Amen*, ac: *Deo gratias*, ad: *Benedicamus Domino*. Se signant ad: *Benedicat et custodiat nos* etc., dum Hebdomadarius pronunciat verba: *Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus*; responso: *Amen*, recitant Antiphonam finalem B. M. V. stantes, vel genuflexi, pro temporis ratione, et ad Versiculum respondent. Post Orationem subdunt: *Amen*, itemque post: *Divinum auxilium* etc.; tum stantes, vel genuflexi, prout

ad Antiphonam finalem, secreto dicunt: *Pater, Ave et Credo*; dehinc, flexis genibus, laudabiliter recitant Orationem: *Sacrosanctae* etc.

Si Preces sint dicendae, omnes stant vel genuflectunt, iuxta qualitatem Officii, respondent ad Versiculos, et dicunt: *Pater noster*, et: *Credo* secreto, praeter ultima verba.

III. - AD MATUTINUM. — Chorales genuflexi secreto recitant laudabiliter Orationem: *Aperi, Domine*, etc., deinde surgunt et pariter secreto recitant: *Pater, Ave et Credo*; quibus absolutis, signantes os ad: *Domine, labia mea aperies* respondent: *Et os meum* etc. Deinceps ad: *Deus, in adiutorium* etc., sibi efformant Crucis signum a fronte ad pectus, de more, et subiungunt: *Domine, ad adiuvandum* etc.; ad: *Gloria Patri* etc., profunde se inclinant. Tum Invitatorium ex toto, aut ex parte, repetunt et in Psalmo 94: *Venite, exultemus* etc., genuflectunt ad verba: *Venite, adoremus, et procidamus ante Deum*. Expleto Psalmo, atque iterato Invitatorio, Hymnum persolvunt alternatim, facto initio a parte Hebdomadarii, et sub finem, si nominentur tres Divinae Personae, caput profunde inclinant.

Psalmi alterne recitantur, primus quidem inchoatur a parte Hebdomadarii, secundus a parte altera, tertius sicuti prior. Repetita tertia Antiphona, Chorales assurgentes respondent ad Versiculum; dicto secreto: *Pater noster*, in fine subiungunt: *Sed libera nos a malo*, tum: *Amen*, in fine absolutionis et benedictionis.

Ad Lectiones Chorales sedent et post: *Tu autem, Domine*, etc., respondent: *Deo gratias*. Et ita se gerunt in secundo et tertio Nocturno, sed primus Psalmus alterius Nocturni incipit ex parte ubi non residet Hebdomadarius; secundus a parte altera; tertius sicuti prior; et omnes in tertio Nocturno consistunt, detecto capite, ad textum Evangelii.

Absoluta tertia vel nona Lectione, si Hymnus: *Te Deum* etc., dicendus sit, Chorales surgunt et alternatim Hymnum recitant, ducto initio a parte Hebdomadarii, necnon genuflectunt ad totum Versum: *Te ergo, quaesumus*, etc.

Expleto Hymno, vel tertio aut nono Responsorio, Laudes persolvuntur, in quibus Chorales omnia peragunt, quae supra pro Vesperis monuimus.

IV. - AD PRIMAM. — Chorales stantes recitant secreto: *Pater, Ave et Credo*; se signant dum Hebdomadarius pronunciat: *Deus, in adiutorium* etc.; respondent: *Domine, ad adiuvandum* etc., et se inclinant ad: *Gloria Patri* etc. de more. Deinde Hymnum alternis recitant, incipiendo a parte ubi est Hebdomadarius, et se inclinant ad: *Deo Patri sit gloria* etc. Vix dum inchoata Antiphona, alternis

pariter Choris Psalmos recitant, incipiendo semper a parte Hebdomadarii. Ad Capitulum, stantes, respondent: *Deo gratias* ac repetunt Responsorium breve. Ad: *Dominus vobiscum*, subiungunt: *Et cum spiritu tuo*; in fine Orationis: *Amen*; et: *Deo gratias*, post *Benedicamus Domino*. Dum Martyrologium legitur sedent; lectione absoluta, surgentes iterum, dicunt: *Deo gratias*. Post Versiculum: *Pretiosa* etc., subiungunt: *Mors Sanctorum eius*, et post Orationem: *Sancta Maria* etc., respondent: *Amen*; ad triplex: *Deus, in adiutorium* etc., sine Crucis signo, ter subdunt: *Domine, ad adiuvandum* etc., ad: *Gloria Patri* etc., se inclinantes de more: tum alternatim pronunciant: *Kyrie, eleison. Criste, eleison. Kyrie, eleison*, et secreto recitant: *Pater noster*, usque ad verba: *Et ne nos inducas in tentationem*, quibus ab Hebdomadario prolatis, respondent: *Sed libera nos a malo*. Deinde alternatim recitant Versiculum: *Respice in servos tuos* etc., *Et sit splendor Domini* etc., necnon: *Gloria Patri* etc., et: *Sicut erat* etc., ex ea parte, capto initio, in qua adest Hebdomadarius. Absoluta Oratione: *Dirigere* etc., respondent: *Amen*. Ad: *Adiutorium nostrum* etc., absque signo Crucis, respondent: *Qui fecit coelum et terram*; ad: *Benedicite*, subdunt: *Deus*, et signantes se ad: *Dominus nos benedicat*, etc., in fine dicunt: *Amen*.

Si Preces dicendae sint, stantes, vel genuflexi, iuxta Officii qualitatem, respondent ad Versiculos; dicunt: *Pater noster* et *Credo* secreto, praeter postrema verba, et faciunt Confessionem, ut supra ad Completorium; si genuflexi, post: *Benedicamus Domino*, ad: *Deo gratias* surgunt.

V. - AD TERTIAM, SEXTAM ET NONAM. — Chorales stantes recitant secreto: *Pater* et *Ave*, se signant dum Hebdomadarius profert: *Deus, in adiutorium* etc., subiungunt: *Domine, ad adiuvandum* etc., et se inclinant ad: *Gloria Patri* etc., de more. Deinceps alternatim Hymnum et Psalmos recitant, initium semper sumentes a parte Hebdomadarii; ad Hymni doxologiam caput profunde inclinant et ita ad: *Gloria Patri* etc., caput aperiunt et inclinant. Ad Capitulum stantes subiungunt: *Deo gratias*, ac repetunt Responsorium breve. Dicto ab Hebdomadario: *Dominus vobiscum*, subdunt: *Et cum spiritu tuo*, ac in fine Orationis: *Amen*; responso: *Deo gratias* ad: *Benedicamus Domino*, subiungunt: *Amen*, post *Fidelium animae* etc.

Si preces feriales dicendae sint, genuflectunt et respondent ad Versiculos, ac *Pater noster* secreto recitant, postremis verbis exceptis. Post: *Fidelium animae* etc., si, aliqua persoluta ex praefatis Horis, continuo e Choro exeundum sit, se gerunt ut in fine Vesperarum.

APPENDIX I.

DE DIVINO OFFICIO PONTIFICALITER PERSOLVENDO A PRAELATIS EPISCOPO INFERIORIBUS

CAPUT I.

DE VESPERIS PONTIFICALIBUS AD THRONUM AB ABBATIBUS VEL A PRAELATIS "NULLIUS", ET AB ABBATIBUS REGULARIBUS DE REGIMINE PERSOLVENDIS

ARTICULUS I.

De iis quae praeparanda sunt.

818. — Circa Ecclesiae et Altarium ornatum servandum est quod diximus in Capite XXXIV Partis primae.

I. - IN SACRISTIA CAPITULARI. — Super praecipuam mensam parantur: pluviale pro Presbytero Assistente, dalmaticae pro Diaconis Assistentibus. Super alias mensas disponuntur paramenta pro Canonicis, vel pro Monachis, scilicet: duo pluvialia, duae planetae, totidem dalmaticae. Super unumquodque paramentum amictus imponitur.

II. - IN SACRISTIA MAIORI. — Superpellicea et bireta pro Clero; duae vimpae coloris paramentorum, vel albi coloris; thuribulum cum navicula; vasculum aquae benedictae cum aspersione.

III. - AD ALTARE MAIUS. — Altare maius pallio coloris Officio convenientis instruitur, et illius mensa tribus mappis cooperta (v. n. 387).

Super gradus sternitur nobile tapetum.

Sex candelabra solitis spectabiliora Altari superimponuntur cum cereis albis, in quorum medio Crux praealta cum Crucifixi Imagine collocatur (v. n. 389 et 390). Insuper sacrae Reliquiae et Sanctorum Imagines statui possunt alterne inter candelabra, ut dictum est sub n. 562, IV.

Super Altaris mensam disponuntur Praelati paramenta, quae velo eiusdem paramentorum coloris cooperiuntur, nempe: pluviale, stola, cingulum, alba, amictus; in latere Evangelii: mitra auriphrygiata; in latere Epistolae: mitra simplex.

Super infimum Altaris gradum, in medio, collocatur pulvinus.

Apud Altare in cornu Evangelii in basi collocatur baculus pastoralis, in cuius summitate sub curva parte sericum velum albi coloris appensum sit.

IV. - IN CORNU EVANGELII. — Thronus duo tantum gradus habere debet et exornatur simplici serico panno coloris Officio congruentis, non aureo contexto.

In plano Throni collocantur tria scabella nuda pro Presbytero Assistente et Diaconis Assistentibus. Apud Thronum, congruo in loco, pulvinus, si Praelatus genuflectere debet.

Apud infimum gradum eiusdem Throni statuuntur scabella pro Ministris mitrae et baculi, necnon pro Caeremoniario primo.

V. - IN CORNU EPISTOLAE. — In plano Presbyterii, e regione Throni, si loci dispositio patiatur, atque a pariete parumper disiuncta, praeparatur mensa, contacta alba tobalea. In mensa neque Crux, neque Sanctorum Imagines ponendae sunt (Caer. Episc., L. I, cap. XII, n. 19 et 20).

Super mensam collocantur: Canon Pontificalis, Breviarium, palmatoria cum candela, duo candelabra cum cereis.

Hinc inde mensae ponuntur duo scabella pro Ministris libri et candelae.

VI. - E REGIONE ALTARIS, vel alio congruenti loco in Presbyterio, collocantur sex scabella pro Canonicis, vel pro Monachis, paramentis indutis.

VII. - AD ALTARE SS. SACRAMENTI. — Paratur genuflexorium nudum cum pulvinis coloris paramentorum, vel violacei.

Sex cerei super Altare accenduntur.

ARTICULUS II.

In Functione.

819. — Functio peragitur ut in Capite VII huius Partis, sed:

I. - Statuta hora, **Presbyter Assistens** et **Diaconi Assistentes**, nec non **sex Canonici** vel **Monachi** digniores, paramenta sumunt et ad nutum **Caeremoniarii secundi** procedunt ad Altare cum **ceteris**

Ministris; interim **Acolythus** sumit vasculum aquae benedictae cum aspersorio et se confert ad Ecclesiae ianuam.

II. - **Praelatus**, cappa indutus, vel habitu monastico abbatiali, comitatus a Canonicis, vel a Monachis, accedit ad Ecclesiam ad cuius ianuam accipit aquam benedictam per contactum aspersorii et se munit signo Crucis dextera; adstantes non aspergit, nec manu benedicit, licet suos subditos.

III. - Quum ad Altare maius pervenerit, brevem orationem facit super pulvinum, in medio infimi gradus eiusdem Altaris collocatum.

IV. - **Praelatus** non benedicit Clerum procedens ad Altare pro thurificatione et revertens ad Thronum, nec benedicit Presbyterum Assistentem postquam ab eo thurificatus fuerit.

V. - **Praeintonator** munus suum fungit non paratus; thurificat Presbyterum Assistentem, Diaconos Assistentes, sex Canonicos, vel Monachos, tum Clerum in Choro, dein reddit thuribulum **Thuriferario** a quo, suo in loco, incensatur.

VI. - Abbatibus regularibus debentur genuflexiones in suae iurisdictionis Ecclesiis tantum (D. 3059 ad 20).

CAPUT II.

DE MATUTINO PONTIFICALI CUM LAUDIBUS AB ABBATIBUS VEL A PRAELATIS "NULLIUS", ET AB ABBATIBUS REGULARIBUS DE REGIMINE PERSOLVENDO

820. — I. - Omnia parantur ut sub n. 818, exceptis sub I enumeratis, praeterea in promptu erit legile « nudum, idest sine panno vel coopertorio » (Caer. Episc., L. II, cap. V, n. 5) cum Breviario. Legile collocandum est in medio Presbyterio postquam Praelatus ad Thronum accesserit, vel statuendum a latere. Prope legile apponi potest candelabrum cum cereo accenso (D. 2079 ad 3), et, iuxta consuetudinem plurium Ecclesiarum, hinc et inde legilis, candelabrum collocari potest.

II. - In Sacristia Altari maiori contigua parantur super mensam quatuor pluvialia et amictus, pro Canonicis, vel Monachis, dignio

ribus. Pluvialia et amictus, si possibile, collocari possunt super parvo abaco a tergo maioris Altaris ut expedite sive a Canonicis, sive a Monachis assumantur.

821. — Functio peragitur ut in Capite XVI huius Partis, sed Praelatus in accessu ad Ecclesiam se gerit ut sub n. 819, II, III et ita se gerit ut sub IV eiusdem numeri quando procedit ad Altare pro thurificatione et ad Thronum revertitur, et etiam postquam incensationem acceperit.

822. — Circa Divinum Officium pontificaliter persolvendum coram SS. Sacramento exposito, servanda sunt quae notavimus in Capite XVII huius Partis, omissis iis quae Episcopo conveniunt et servatis regulis in hac Appendice traditis circa ordinem Functionum.

CAPUT III.

DE VESPERIS DEQUE MATUTINO CUM LAUDIBUS DEFUNCTORUM, CELEBRANTE VEL PRAESENTE ABBATE VEL PRAELATO "NULLIUS,"

823. — In Vesperis et in Matutino cum Laudibus Defunctorum omnia servanda sunt quae diximus in Capite XVIII huius Partis, sed loco Faldistorii, paratur pulvinus nigri coloris super infimum Altaris gradum, servatis tamen regulis quae Abbatibus et Praelatis *nullius* conveniunt circa accessum ad Ecclesiam etc., ut supra notavimus.

CAPUT IV.

DE VESPERIS PONTIFICALIBUS A PROTONOTARIO APOSTOLICO DE NUMERO PARTICIPANTIUM UBIQUE EXTRA URBEM PERSOLVENDIS

ARTICULUS I.

De iis quae praeparanda sunt.

824. — Circa Ecclesiae et Altarium ornatum servandum est quod in Capite XXXIV primae Partis notavimus.

I. - IN SACRISTIA. — Super aliquam mensam disponuntur sex aut quatuor pluvialia, iuxta maiorem vel minorem solemnitatem et Ecclesiae consuetudinem (v. n. 753); superpellicea et bireta.

Caput IV. — De Vesperis pontif. a Proton. Ap. extra Urbem persolvendis 153

Super aliam mensam praeparantur: superpellicea et bireta pro Clero; vimpa pro Ministro mitrae; thuribulum cum navicula; vasculum aquae benedictae cum aspensorio.

II. - AD ALTARE MAIUS. — Omnia praeparantur quae notavimus sub n. 818, III, excepto baculo pastorali.

III. - IN CORNU EPISTOLAE. — Praeparatur mensa ut diximus sub n. 818, V.

Super mensam collocantur: Breviarium; palmatoria cum candela.

In eodem cornu, parum distans ab infimo Altaris gradu, collocatur Faldistorium, absque suggestu, sed super parvum tantum tapete, coopertum undique ad terram serico eiusdem coloris cuius erunt cetera paramenta et sub dicto serico tegumento aptatur pulvinus.

Non longe a Faldistorio, a sinistris, collocatur scabellum pro Caeremoniario; statuuntur etiam duo scabella pro dignioribus Assistentibus.

IV. - IN MEDIO PRESBYTERIO. — E regione Altaris statuuntur duo vel quatuor scabella pro reliquis Assistentibus.

V. - AD ALTARE SS. SACRAMENTI. — Omnia ut sub n. 818, VII.

ARTICULUS II.

In Functione.

825. — DE PROTONOTARIO CELEBRANTE. — **Protonotarius**, habitu praelatio indutus, numquam cum cappa, deferens Crucem pectoralem, statuta hora, procedit ad Ecclesiam ad cuius ianuam, aquam benedictam per contactum aspensorii accipit et cum ea signo Crucis seipsum munit; adstantes non aspergit, nec manu benedicit, dein procedit ad Altare SS. Sacramenti, ibique pileolum per semetipsum aufert, genuflexionem peragit, in genuflexorio genua procumbit et aliquantulum orat. Ad Caeremoniarum nutum, surgit, genuflexionem iterat, pileolum reassumit et ad Altare maius se confert, ibique, Choro salutato, ante infimum gradum profunde se Cruci inclinatur, genuflectit in pulvino super gradum collocato et breviter orat, dein surgit; Cruci reverentia iterata, ad Faldistorium procedit, ibique sedet.

826. — Protonotarius, tradito bireto Caeremoniario, dimittit Crucem pectoralem et mantelletum; assumit amictum, albam, cingu-

lum, Crucem pectoralem, stolam ac pluviale, et postquam sederit mitram auriphrygiatam accipit.

827. — Ad nutum Caeremoniarii, Praelatus mitram dimittit, surgit et per latus suum dexterum conversus ad Altare dicit secreto: *Pater et Ave*, deinde, more solito, cantat: *Deus, in adiutorium etc.*, signans se signo Crucis. Ad: *Gloria Patri etc.*, caput inclinatur; intonat primam Antiphonam et, Psalmo incepto, se per suam sinistram ad populum vertit, sedet, mitram simplicem accipit et sic manet usque ad Capitulum. Ad: *Gloria Patri etc.*, in fine cuiusque Psalmi et ad verba quae reverentiam exposcunt, cum mitra se inclinatur.

Absolute Psalmorum cantu ac postrema Antiphona repetita, Protonotarius surgit cum mitra et, iunctis manibus, consistit ad Capituli cantum. Hymno praeintonato, sedet, mitram dimittit, iterum surgit, se ad Altare vertit ac Hymnum intonat.

Si Hymni initium exprimat invocationem Iesu, Praelatus caput ad Altare inclinatur. Si vero ad Hymni principium genuflectendum est, stans intonat, dein super pulvinum, ante Faldistorium, dimisso pileolo, genuflectit usque ad finem primae strophae.

828. — Intonata Antiphona ad *Magnificat*, Protonotarius se convertit super dexteram suam, sedet, mitram auriphrygiatam accipit et, more solito, incensum in thuribulum imponit.

Cantico incepto, surgit cum mitra et, facto Crucis signo super se, iunctis manibus, medius inter duos digniores Assistentes, se confert ante Altare, Cruci reverentiam peragit, Chorum salutatur et procedit ad Altare SS. Sacramenti; quo cum pervenerit, mitram et pileolum dimittit, genuflexionem peragit, ascendit Altare quod in medio deosculatur et illud, more solito, thurificatur, recitando interim Canticum, iuxta laudabilem consuetudinem, alternatim cum Assistentibus, singulos Versus congruenter distribuendo; *Gloria Patri etc.*, tunc profert incensatione completa, postquam thuribulum traderit primo Assistenti in cornu Epistolae, dein ad medium Altare revertitur, in planum descendit, genuflexionem peragit, pileolum ac mitram accipit et ad Altare maius revertitur. Quum ante infimum gradum pervenerit, Cruci reverentia facta, Chorum salutatur, mitram dimittit, Altare ascendit, quod in medio deosculatur, et illud thurificatur.

Tradito thuribulo primo Assistenti in cornu Epistolae, in eodem cornu mitram accipit, se in medio Altari confert, per brevioram viam revertitur ad Faldistorium, ubi stans versus populum, triplici ductu,

incensatur, deinde sedet; deposita mitra, iterum surgit, ad Altare se convertit et sic perstat, iunctis manibus, usque ad finem Cantici, ac postea se ad populum convertit, sedet, mitram accipit, quam, repetita Antiphona, dimittit, surgit, iterum ad Altare se convertit, cantat: *Dominus vobiscum*. Oremus et congruentem Orationem, cum sua conclusione, necnon alias Commemorationes, iuxta Rubricas Breviarii, tandem repetit: *Dominus vobiscum*.

829. — Responso a Choro: *Deo gratias*, post: *Benedicamus Domino*, voce mediocri, Protonotarius subdit: *Fidelium animae etc.*

Si Completorium continuo subsequatur, Praelatus sedet, mitram accipit, reverentiae Assistentium respondet, dein mitram et paramenta dimittit, reassumit mantelletum ac Crucem pectoralem, biretum accipit ac postea, invitante Caeremoniario, procedit ante Altare, ibique super pulvino in infimo gradu collocato, breviter oratur. Ad nutum Caeremoniarii surgit, et Cruci reverentiam facit; salutatur Choro, e Presbyterio discedit.

830. — Si vero Completorium a Vesperis disiungatur, Praelatus, prolatis verbis: *Fidelium animae etc.*, recitat secreto: *Pater noster*, dein mediocri voce dicit: *Dominus det nobis suam pacem*, tandem conversus ad Altare, genuflexus in pulvino ante Faldistorium, vel stans, pro ratione temporis, incipit Antiphonam finalem B. M. V., quam postea, submissa voce, prosequitur.

Postquam Antiphona a Choro completa fuerit, Praelatus dicit, voce item submissa, Versiculum; si genuflexus, surgit et recitat Orationem cui subiungit: *Divinum auxilium etc.* Quibus expletis, se ad populum convertit, in Faldistorio sedet et se ut supra gerit.

831. — DE ASSISTENTIBUS PROTONOTARIO CELEBRANTI. — Statuta hora, **Assistentes** assumunt superpellicea et pluvialia; ad nutum Caeremoniarii, facta praecipuae Imagini reverentia, ad Altare procedunt, tecto capite.

Quum ad Altare pervenerint genuflexionem peragunt, dein ad sua scamna se conferunt ibique sedent.

Adveniente Praelato omnes surgunt, se ei inclinant et duo digniores ad latera Faldistorii se recipiunt.

Depositis a Protonotario Cruce et mantelletto, **primus Assistentis**, adiuvante **altero**, Praelatum induunt amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et pluviali. **Primus Assistentis** mitram ei imponit; dein reverentia Celebranti peracta, **primus** sistit ad dexteram,

alter ad sinistram eiusdem Celebrantis, et **ambo** se gerunt ut sub n. 687-689; incepto vero Cantico ut sub n. 701, II et III.

Postquam Praelatus, prolatis verbis: *Fidelium animae* etc., in Faldistorio sederit, **Assistens primus** imponit ei mitram, quam ad Caeremoniarum nutum, aufert, dein **ambo** Protonotarium paramenti exuunt ac postea cum **ceteris Assistentibus** reverentiam ei faciunt, Cruci Altaris reverentiam faciunt et ad Sacristiam accedunt, ubi pluvialia et superpellicea dimittunt.

832. — Si vero Completorium a Vesperis disiungatur, postquam Celebrans dixerit: *Dominus det nobis suam pacem*, **digniores Assistentes** ad Altare se convertunt cum Praelato, **Assistens primus** ad eius dexteram transit dum **alter** ad sinistram eiusdem Celebrantis se recipit et **ambo** genuflexi vel stantes ad Praelati latera cum eodem recitant Antiphonam finalem B. M. V.

Dicto a Celebrante: *Divinum auxilium* etc., **ambo** cum Praelato ad populum se convertunt, loca permutant et postquam Celebrans in Faldistorio sederit, se ut supra gerunt.

Ceteri Assistentes ad Antiphonam finalem stant, vel genuflectunt suis in locis.

833. — DE CAEREMONIARIO. — Omnibus rite dispositis et Assistentibus paratis, Caeremoniarum signum ad Altare procedendi dat, et ipse una cum Acolyto, deferente vasculum aquae benedictae cum aspersorio, procedit ad Ecclesiae ianuam et ad eius sinistram consistit.

Quum Protonotarius advenerit, Caeremoniarum ei offert aspersorium; quo a Praelato tacto, illud in vasculum dimittit, ac postea incedens ad Praelati sinistram ducit eundem ad Altare SS. Sacramenti et inde ad Altare maius.

In fine Vesperarum Protonotarius benedictionem non impertit. Nisi Completorium subsequatur, canitur Antiphona finalis B. M. V.

834. — DE MINISTRIS INFERIORIBUS. — **Ceteri Ministri inferiores** se gerunt ut in respectivis Articulis Capitis X huius Partis, omissis quae Ordinarii praesentiam respiciunt, et etiam ut sub n. 701, IV, V et VI notavimus, sed:

Caudatarius locum non habet.

Ministri libri et candelae, si Completorium non subsequatur, dicto a Praelato: *Fidelium* etc., ad Faldistorium perstant, stantes, vel genuflexi, donec compleatur Antiphona finalis.

Caput V. — De Vesperis pont. a Proton. Ap. Supr. in propria Dioec. persolv. 157

Avertant **omnes** quod Praelatus benedictionem non impertit in fine Vesperarum.

Si vero Praelatus paramenta sumit in Sacristia (quod magis convenit, si Capitulum adsit), tunc omnia disponuntur ut in sequenti numero, sed loco mitrae ex serico damasceno, collocatur mitra auriphrygiata.

Omnes se gerunt usque ad Vesperarum initium ut sub n. 836, et Vesperis absolutis ut sub n. 838.

CAPUT V.

DE VESPERIS PONTIFICALIBUS A PROTONOTARIO APOSTOLICO SUPRANUMERARIO INTRA PROPRIAE DIOECESIS FINES PERSOLVENDIS

ARTICULUS I.

De iis quae praeparanda sunt.

835. — I. - IN SACRISTIA. — Super mensam Altaris, si adsit, vel super praecipuam mensam disponuntur Protonotarii paramenta, scilicet: pluviale, stola, cingulum, alba, amictus; mitra ex serico damasceno.

In plano, ante Altare, vel mensam, super tapete collocatur sedes cameralis ita conversa ut Praelatus sedens terga Altari, vel mensae, vertat.

Super alias mensas omnia parantur quae sub n. 824, I notavimus, quibus adduntur duo candelabra pro Ceroferariis.

II. - AD ALTARE MAIUS. — Omnia quae sub n. 818, III notavimus, sed paramenta super mensam non collocantur, nec baculus pastoralis ponitur. In cornu Epistolae statuitur mensa ut diximus sub n. 818, V, et super ea collocantur: Breviarium; palmatoria cum candela; mitra ex tela linea.

In eodem cornu Faldistorium et reliqua ut sub n. 824, III.

III. - IN MEDIO PRESBYTERIO ET AD ALTARE SS. SACRAMENTI, omnia ut sub n. 824, IV et 818, VII notavimus.

ARTICULUS II.

In Functione.

836. — Quum nunciatur Protonotarii adventus, **Assistentes** pluvialia sumunt; **Caeremoniarius** et **Acolythus** se ut sub n. 833 gerunt, sed **Caeremoniarius**, adorato SS. Sacramento a **Praelato**, eum ad Sacristiam ducit.

Quum Protonotarius ad Sacristiam pervenerit, **omnes** se ei inclinant; **duo digniores Assistentes** se conferunt ad latera sedis cameralis. **Praelatus** reverentiae respondet et ad sedem cameralem accedit; ibique sedet et se gerit ut diximus de Protonotario de numero participantium sub n. 826 et ita se gerunt **duo digniores Assistentes** ut sub n. 831.

837. — Postquam Assistens primus mitram Protonotario imposuerit, **Caeremoniarius** dat signum procedendi ad Altare, sequenti ordine:

1. Caeroferrarii;
2. Clerus;
3. Assistentes, pluviali induti;
4. Praelatus, medius inter duos digniores Assistentes;
5. Minister mitrae.

Quum Presbyterium ingressi fuerint, **Assistentes** caput detegunt, **Assistens primus**, ante infimum Altaris gradum, mitram Protonotario aufert; **omnes** Cruci reverentiam faciunt, **Clericis** inservientibus exceptis, qui genuflexionem peragunt, deinde **omnes** in genua procumbunt et recitare possunt Orationem: *Aperi, Domine*, etc.

Ad nutum Caeremoniarii surgunt **omnes**, **primus Assistens** imponit **Praelato** mitram, **qui** medius inter **digniores Assistentes** accedit ad Faldistorium, dum **ceteri Assistentes** ad sua se recipiunt loca et **Ceroferrarii** accedunt ad abacum super quem candelabra imponunt.

838. — In reliquis **omnes** se gerunt ut in Articulo II praecedentis Capituli, sed in fine **Ceroferrarii** sumunt candelabra ex abaco, **Protonotarius**, accepta mitra, medius inter **Assistentes** procedit ante Altare; una simul reverentiam Cruci faciunt, **Ministri** vero genuflexionem, et ordine quo venerunt ad Sacristiam procedunt; ibique,

facta ab **omnibus** reverentia praecipuae Imagini, **Praelatus** accedit ad sedem suam, sedet, **Assistentes** paramentis eum exuunt.

Protonotarius postquam Crucem pectoralem reassumpserit, biberum accipit, et, comite **Caeremoniario**, ad Ecclesiae ianuam procedit.

CAPUT VI.

DE VESPERIS PONTIFICALIBUS A PROTONOTARIO APOSTOLICO SUPRANUMERARIO EXTRA URBEM ET PROPRIAM DIOECESIM PERSOLVENDIS

ARTICULUS I.

De iis quae praeparanda sunt.

839. — Omnia ut in Art. 1 Capituli XIX huius Partis notavimus, praeterea:

I. - IN SACRISTIA. — Super Altare, si adsit, vel super praecipuam mensam collocatur mitra ex serico damasceno; non ponitur vero rochettum.

Ante Altare vel mensam, in plano super tapete collocatur sedes cameralis, ita conversa ut **Praelatus** sedens terga Altari, vel mensae, vertat.

Super alias mensas: vimpa, vasculum aquae benedictae cum aspersorio.

II. - AD ALTARE MAIUS. — Super infimum gradum ponitur, in medio, pulvinus. Super abacum: palmatoria cum candela; Breviarium, nisi adsit super legile.

III. - Super scamnum oblongum, in medio, ponitur pulvinus eisdem coloris panni.

IV. - AD ALTARE SS. SACRAMENTI. — Statuitur genuflexorium nudum cum pulvinis violacei coloris.

ARTICULUS II.

In Functione.

840. — **Omnes** se gerunt ut sub n. 836 et 837, sed **Protonotarius**, adorato SS. Sacramento, se confert in Sacristiam et cum pervenerit ad Altare maius accedit ad scamnum; in quo sedet et **secundus Assistens** mitram ei aufert.

In reliquis Functio peragitur ut in Capite XIV huius Partis, sed:

I. - **Praelatus** ad: *Gloria Patri* etc., in fine cuiusque Psalmi, ad verba quae reverentiam exposcunt, caput inclinatur, mitram non dimittens.

II. **Assistens primus**

Imponit pileolum et mitram:	aufert mitram et pileolum:
incepto primo Psalmo;	cum pervenerit ad scamnum;
intonata Antiphona ad: <i>Magnificat</i> ;	repetita quinta Antiphona;
postquam genuflexionem fecerit in plano, thurificato Altari;	cum pervenerit ad Altare SS. Sacramenti;
thurificato Altari maiori;	cum pervenerit ante infimum Altaris maioris gradum;
Vesperis absolutis.	postquam Celebrans thurificationem acceperit

841. — **Protonotarius Apostolicus ad instar** in Vesperis pontificalibus eumdem Ritum supra descriptum servat.

Circa Vesperas pontificales coram SS. Sacramento exposito servanda sunt quae notavimus in Capite XVII huius Partis omissis iis quae Episcopo conveniunt et servatis regulis in hac Appendice traditis circa ordinem Functionis.

APPENDIX II.

DE MODO DIVINUM OFFICIUM PRIVATIM PERSOLVENDI

842. — Officium Divinum absolvi potest intra tempus a media ad mediam noctem sequentem. Matutinum cum Laudibus subsequentis diei incipi potest ab hora secunda post meridiem (D. 4158 ad 1).

Regulariter Matutinum cum Laudibus a Sacerdotibus recitandum est ante Missae celebrationem; Prima et Tertia ante meridiem; Sexta et Nona post meridiem; Vesperae cum Completorio, horis vespertinis; in Quadragesima vero, exceptis Dominicis, a primo Sabbato, Vesperas recitare licet ante prandium.

Ad anticipandum vel postponendum, intra diem naturalem, debitum tempus Horarum sufficit quaevis causa utilis, vel honesta, v. gr. maior devotio, sive quies, tempus aptius ad studendum, et simile.

843. — Divinum Officium privatim, per se, recitari potest in quocumque loco, nisi, per accidens, ille locus obstet debitae devotioni et attentioni.

844. — Beneficarii saeculares, etiam privatim, recitare Officium debent iuxta Kalendarium propriae suae Ecclesiae; non Beneficarii, iuxta Kalendarium Dioecesanum; Religiosi, iuxta proprium Kalendarium si illud habeant.

Generaliter non satisfacit obligationi suae, Clericus in Ordinibus Sacris constitutus, qui sponte, vel invitatus, se adiungit Clero, Officium ab Officio ipsius Clerici diversum canenti, vel recitanti (D. 4011 ad 3).

845. — Qui probabiliter iudicat errare Kalendarium tenetur eidem Kalendario stare, et non proprio inhaerere iudicio (D. 4031 ad 5).

846. — Clericus Divinum Officium solus recitaturus, Rubricas et Directorium diei recolat, advertens quod nihil omissum, vel immutandum erit, praeterquam quod praeceptum est. Tum, loco et hora congruenti, laudabiliter pronunciet Orationem: *Aperi, Domine*, etc., ceteraque attente, clare et devote absolvat. Crucis signa, et capitis inclinationes ad: *Gloria Patri* etc., ad nomina Iesu, Mariae et

Sancti, cuius Officium peragitur aut specialis Commemoratio, necnon ad invocationem SS. Trinitatis sub Hymnorum exitum, religiose observare curabit. Laudabiliter quoque genuflectat ad Antiphonam finalem B. M. V. cum id per Rubricam praescribitur, itemque ad Preces feriales, si quidem commode possit, orans ex. gr. in Ecclesia aut in cubiculo. Etiam si solus Officium recitet, dicere debet: *Dominus vobiscum*, et sibimetipsi respondere: *Et cum spiritu tuo*. Clericus tamen, non Diaconus, imo vero et Diaconus, praesente Sacerdote (nisi hic aliter permiserit) substituet *ŷ. Domine, exaudi orationem meam* et *✙. Et clamor meus ad te veniat*. Rursum Lectionibus praemittendum est: *Iube, Domine, non domne, benedicere*. In *Confiteor* omittenda sunt verba: *Tibi Pater*, et: *Vobis Fratres*, ac: *Te Pater*, et: *Vos Fratres*, atque dicendum: *Misereatur nostri... et dimissis peccatis nostris perducat nos* etc. (V. Ordinarium Breviarii Reformati).

847. — Addenda, ex praecepto, est Antiphona B. M. V. dumtaxat in fine Laudum, si tunc intermittatur Officium, secus in fine ultimae Horae, et in exitu Completorii, etiam si Matutinum sequentis diei subsequatur.

848. — Si aliquando, in privata recitatione Divini Officii, Matutinum a Laudibus separetur, Matutinum concludendum est cum Oratione diei, sine Precibus in Officio feriali, sed cum Versiculis: *Dominus vobiscum*, ante et post Orationem; *Benedicamus Domino*, et *Fidelium animae* etc. Laudes vero inchoandae sunt ut in Psalterio (DD. 3574, dub. II; 3653; 4011 ad 1; atq. Ordinarium Divini Officii, in fine Matutini).

849. — In privata hac recitatione inter duos vel plures, dicto laudabiliter: *Aperi, Domine*, etc., communiter, unusquisque secreto ea dicit quae in recitatione publica secreto dicuntur. Unus ex ipsis Hebdomadarii munus obit ut in Choro et, quantum fieri potest, Hymnos, Psalmos, Invitatorium, Responsoria, Preces et reliqua ad modum Chori distribuant et alternatim prosequantur. *Confiteor* ac *Misereatur* recitent semel tantum ac simul, et omittant verba: *Tibi Pater* etc., ut in n. 846.

Advertendum denique est oportere ut simul recitantes se mutuo ac distincte audiant, caveantque ne quis unquam recitare incipiat antequam alter plane desierit.

PARS TERTIA

DE SACROSANCTO MISSAE SACRIFICIO

CAPUT I.

DE MISSA PONTIFICALI AD THRONUM CELEBRANTE EPISCOPO ORDINARIO

850. — « Iam diximus (L. I, cap. XV, n. 7) valde convenire atque antiquae Ecclesiae disciplinae consonum esse, ut in Ecclesiis Cathedralibus locus aliquis, si Sacellum non adsit, ab antiquis Secretarium appellatum, deputetur, ad quem Episcopus solemniter celebraturus Missam, postquam sua cappa indutus, ingressus fuerit Ecclesiam, sacrasque preces ad Altare Sanctissimi Sacramenti tantum, et non ad Altare maius effuderit, cum suis Canonicis, et Choro conveniat » (Caer. Episc., L. II, cap. VIII, n. 2) ad persolvendum cantum Horae Tertiae et ad paramenta sumenda.

Si vero particulare Sacellum, vel alius opportunus locus, qualis a Caeremoniali requiritur ad Episcopum induendum et ad Horam Tertiam in cantu persolvendam non detur, tunc Episcopus ad Altare maius paramenta assumit, et Hora Tertia in Choro cantatur.

ARTICULUS I.

De iis quae praeparanda sunt.

851. — Circa Ecclesiae et Altarium ornatum iam superius explicatum est in Capite XXXIV Partis I.

A) — Si Secretarium adsit.

a) *Ad Secretarium.*

I. - IN SACRISTIA CONTIGUA SECRETARIO. — Super praecipuam mensam disponuntur: pluviale pro Presbytero Assistente; pro Diaconis Assistentibus: dalmaticae; tres amictus.

Super alias mensas: pro Diacono Missae: dalmatica, stola, cingulum, alba, amictus; pro Subdiacono: tunicella, cingulum, alba, amictus; pro Ministris libri et candelae: pluvialia et superpellicea; pro Ministris mitrae et baculi: pluvialia, vimpae et superpellicea; pro Crucifero: tunicella, cingulum, alba et amictus.

Si Sacristia capax erit, disponuntur etiam paramenta pro Canonicis, scilicet: si praebendae distinctae sunt, pluvialia pro Dignitatibus, planetae pro Canonicis Presbyteris, dalmaticae pro Diaconis, tunicellae pro Subdiaconis; alias: pluvialia pro Dignitatibus, planetae pro ceteris Canonicis, amictus pro omnibus.

Si vero Sacristia angusta erit tunc paramenta pro Dignitatibus et Canonicis disponuntur in Sacristia capitulari (v. n. 562, I).

Etiam super aliquam mensam praeparatur thuribulum cum navicula.

II. - AD ALTARE. — Altare pallio coloris Officii instruitur et illius mensa mappis cooperitur; super eius gradus tapetum sternitur.

Sex candelabra Altari superimponuntur et in medio eorum Crux cum Imagine Crucifixi collocatur; alterne inter candelabra statui possunt vel Sanctorum Reliquiae, vel vascula cum floribus (v. n. 562, IV).

Super Altaris mensam disponuntur Episcopi paramenta, quae velo eiusdem paramentorum coloris cooperiuntur, scilicet: planeta, dalmatica, tunicella, pluviale, stola, cingulum, alba, amictus, chirothecae in lance, formale pariter in lance; mitra pretiosa in cornu Evangelii, auriphrygiata in cornu Epistolae.

Si Celebrans, sive ex iure sive ex privilegio, ea die uti possit s. Pallio, tunc ponitur in lance s. Pallium cum tribus aureis spinulis, velo coloris paramentorum coopertum.

Apud Altare, in cornu Evangelii, collocatur in basi baculus pastoralis.

III. - IN CORNU EVANGELII. — Thronus (v. n. 398) exornatur serico panno vel alia materia coloris paramentorum, et in eius plano collocantur tria scabella; super infimum gradum ad sinistram Cathedrae, basis pro Cruce, si Episcopus ea uti potest.

Apud infimum gradum eiusdem Throni statuuntur scabella pro Ministris baculi et mitrae, necnon pro Caeremoniario primo.

Pariter in cornu Evangelii collocatur Crux processionalis in basi.

IV. - ANTE ALTARE. — Faldistorium cum pulvinis eiusdem coloris Officii collocatur.

V. - IN CORNU EPISTOLAE. — In plano Presbyterii, e regione Throni, statuitur Abacus (v. n. 562, VII).

Hinc inde Abaci ponuntur duo scabella pro Ministris libri et candelae.

In eodem cornu, pariter e regione Throni, vel alibi, pro loci opportunitate, adsit scabellum coopertum tapete, vel duo scabella pro sacris Ministris et scamnum pro Caeremoniario secundo.

VI. - SUPER ABACUM. — Collocanda sunt duo candelabra cum cereis albis pro Ceroferariis, caligae cum sandaliis in lance, velo paramentorum coloris coopertae; Evangeliarium cum manipulo Episcopi; manipuli pro Diacono et Subdiacono; Breviarium; Canon pontificalis; palmatoria cum candela; urceus cum pelvi et duo manutergia in lance; lanx pro Cruce pectorali.

Si Celebrans uti Cruce potest et Clerus numerosus sit, adiungenda sunt duo candelabra.

b) *Ad Altare maius.*

I. - AD ALTARE MAIUS. — « Celebrante vero Episcopo, candelabra septem super Altari ponantur, quo casu Crux non in medio illorum, sed ante altius candelabrum, in medio cereorum positum, locabitur » (Caer. Episc., L. I, cap. XII, n. 12).

Candelabrum septimum adhibetur tantum celebrante Episcopo Ordinario loci (DD. 236; 348, 1131, n. 1; 2274 ad 6).

Inter candelabra alterne statui possunt vel Sanctorum Reliquiae vel vascula cum floribus (v. n. 562, IV).

Altare pallio coloris Officii instruitur et illius mensa tribus mappis cooperitur. Super gradus nobile tapetum sternitur.

II. - IN CORNU EVANGELII. — Apud Thronum (v. n. 398), congruo in loco collocatur pulvinus. Apud infimum gradum Throni statuuntur scabella pro Ministris baculi et mitrae necnon pro Caeremoniario primo.

III. - IN CORNU EPISTOLAE. — In plano Presbyterii, e regione Throni, statuitur Abacus (v. n. 562, VII). Hinc inde abaci ponuntur duo scabella pro Ministris libri et candelae. In eodem cornu, pariter e regione Throni, vel alibi, pro loci opportunitate, adsit scabellum coopertum tapete, vel duo scabella pro Ministris sacris et scamnum pro Caeremoniario secundo.

IV. - SUPER ABACUM. — Ponuntur: Calix pro Missae celebratione cum suis ornamentis, scilicet: purificatorio, patena, palla, bursa

cum corporali; super patena ponuntur duae hostiae; prope Calicem ponitur parvum velum plicatum; ampullae vini et aquae eaque omnia velo humerali conteguntur; urceus cum pelvi et duo manutergia in lance; velum humerale, gremiale, Missale cum legile, Epistolarium, campanula, patera pro praegustatione; formula Indulgentiae.

V. - IN SACRISTIA MAIORI. — Superpellicea et bireta pro Clero et Ministris inferioribus; vasculum aquae benedictae cum aspersorio; funalia pro elevatione.

B) — Si Secretarium absit.

I. - AD ALTARE MAIUS. — Omnia quae diximus sub litt. A), b), I, praeterea super mensam disponuntur Episcopi paramenta et apud Altare collocatur baculus pastoralis ut sub litt. A), a), II notavimus.

II. - ANTE ALTARE, in medio Presbyterio, collocatur Faldistorium.

III. - SUPER ABACUM praeter ea quae diximus sub litt. A), b), IV, adiungenda sunt: duo candelabra cum cereis, caligae cum sandaliis in lance velo paramentorum coloris coopertae, Evangeliarium cum manipulo Episcopi, manipuli pro Diacono et Subdiacono, Breviarium, Canon pontificalis, palmatoria cum candela, lanx pro Cruce pectorali.

IV. - IN SACRISTIA ALTARI CONTIGUA, vel, si possibile est, super abaco a tergo eiusdem Altaris, praeparantur pluviale pro Presbytero Assistente et dalmaticae pro Diaconis Assistentibus; tres amictus.


V. - IN SACRISTIA CAPITULARI. — Disponuntur paramenta pro Dignitatibus et Canonicis, necnon paramenta pro Diacono et Subdiacono ut sub litt. A), a), I notavimus.

VI. - IN SACRISTIA MAIORI, super aliqua mensa, disponuntur: quatuor pluvialia pro Ministris libri, candelae, mitrae et baculi; duo vimpae, thuribulum cum navicula.

AD ALTARE SS. SACRAMENTI. — Paratur genuflexorium cum strato et pulvinis viridis vel violacei coloris, pro diversitate temporum; si Episcopus sit Cardinalis, loco viridis coloris, utendum est colore rubro (Caer. Episc., L. I, cap. XII, n. 8).

Sex cerei super Altare accenduntur.

852. — Dispositio ad Altare maius pro Missa solemnii pontificali ad Thronum.



A = abacus. — a = parvus abacus pro paramentis Presbyteri Assistentis et Diaconorum Assistentium. — + = basis pro Cruce Archiepiscopali. — Scabella pro: Presbytero Assistente, 1; Diacono primo Assistente, 2; Diacono secundo Assistente, 3; Diacono Missae, 4; Subdiacono Missae, 5; Ministro mitrae, 6; Ministro baculi, 7; Ministro libri, 8; Ministro candelae, 9; Caeremoniario primo, 10; Caeremoniario secundo, 11.

ARTICULUS II.

De Episcopo Ordinario celebrante Missam solemnem pontificalem ad Thronum.

853. — Episcopus in accessu ad Ecclesiam se gerit more solito (v. n. 519 et seqq.); adoratione peracta ad Altare SS. Sacramenti, procedit ad Secretarium, vel ad Altare maius, ubi Cruci Altaris reverentiam peragit et breviter in Faldistorio orat, dein accedit ad Thronum et aliquantulum, tecto capite, quiescit. Ad nutum Caeremoniarum primi, caput detegit, surgit et ad Altare conversus secreto recitat: *Pater noster* etc., *Ave Maria* etc.; quibus completis, se signans cantat: *Deus, in adiutorium* etc.

854. — Psalmo intonato, sedet et caput cooperit. Tum legit Antiphonam: *Ne reminiscaris*, etc., cui tempore paschali addit: *Alleluia*, et Psalmos praeparationis ad Missam alternatim cum Assistentibus; interim, dimissis calceis ordinariis, induit caligas et sandalia. Recitando has preces Episcopus satisfacit obligationi Horae Tertiae (S. C. Concilii, *Lincien.* — Divini Officii — 17 April. et 10 Iul. 1921).

Repetita Antiphona, caput detegit, surgit et, iunctis manibus, versus Altare recitat: *Kyrie, eleison* etc., *Pater noster*, etc., Versiculos et Orationes; quibus absolutis, legere potest, nisi memoria illas teneat, Orationes ad paramenta, scilicet:

Ad caligas: *Calcea, Domine, pedes meos in praeparationem evangelii pacis, et protege me in velamento alarum tuarum.*

Cum exuitur cappa: *Exue me, Domine, veterem hominem cum moribus et actibus suis: et indue me novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, et sanctitate veritatis.*

Cum lavat manus: *Da, Domine, virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam immundam; ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire.*

Ad amictum: *Impone, Domine, galeam salutis in capite meo ad expugnandas omnes diabolicas fraudes, inimicorum omnium versutias superando.*

Ad albam: *Dealba me, Domine, et a delicto meo munda me: ut cum his, qui stolas suas dealbaverunt in sanguine Agni, gaudiis perfruar sempiternis.*

Ad cingulum: *Praecinge me, Domine, cingulo fidei et virtute castitatis lumbos meos et exstingue in eis humorem libidinis; ut iugiter maneat in me vigor totius castitatis.*

Cum accipit Crucem pectoralem: *Munire digneris me, Domine Iesu Christe, ab omnibus insidiis inimicorum omnium, signo sanctissimae Crucis tuae: ac concedere digneris mihi indigno servo tuo, ut sicut hanc Crucem, Sanctorum tuorum reliquiis refertam, ante pectus meum teneo, sic semper mente retineam et memoriam passionis, et sanctorum victorias Martyrum.*

Ad stolam: *Redde mihi, Domine, obsecro, stolam immortalitatis, quam perdidisti in praevagatione primi parentis: et, quamvis indignus accedere praesumo ad tuum sacrum mysterium cum hoc ornamento, praesta, ut in eodem in perpetuum merear laetari.*

Ad tunicellam: *Tunica iucunditatis, et indumento laetitiae induat me Dominus.*

Ad dalmaticam: *Indue me, Domine, indumento salutis et vestimento laetitiae; et dalmatica iustitiae circumda me semper.*

Ad chirothecas: *Circumda, Domine, manus meas munditia novi hominis, qui de coelo descendit: ut, quemadmodum Iacob dilectus tuus, pelliculis haedorum operis manibus, paternam benedictionem, oblato patri cibo potuque gratissimo, impetravit; sic et oblata per manus nostras salutaris hostia, gratiae tuae benedictionem merear. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui in similitudinem carnis peccati pro nobis obtulit semetipsum.*

Ad planetam: *Domine, qui dixisti: Iugum meum suave est, et onus meum leve: praesta, ut illud portare sic valeam, quod possim consequi tuam gratiam.*

Ad mitram: *Mitram, Domine, et salutis galeam impone capiti meo: ut contra antiqui hostis omniumque inimicorum meorum insidias inoffensus evadam.*

Ad anulum cordis: *Cordis et corporis mei, Domine, digitos virtute decora, et septiformis Spiritus sanctificatione circumda.*

Ad manipulum: *Merear, precor, Domine, manipulum portare mente flebili: ut cum exultatione portionem accipiam cum iustis.*

Iuxta Caeremonialis praescriptionem singulae Orationes ad singula paramenta dicendae sunt (L. II, cap. VIII, n. 9), et ideo formulas hic retulimus ut Episcopus memoriae illas tradat, nam difficile est in praxi ut eodem tempore quo paramentis induitur Orationes legere possit.

Si vero allatas Orationes Episcopus facile memoriae infigere nequit, tunc, ut iam diximus, precibus praeparationis absolutis, omnes simul Orationes ad paramenta legere potest.

855. — Precibus praeparationis absolutis vel etiam Orationibus ad paramenta completis, sedet, Crucem, cappam et anulum dimit-

tit; caput tegit et manus lavat; quibus abstersis, benedicit Ministros lotionis, deinde biretum Caeremoniario tradit ac surgit. Tum per Ministros Missae induitur amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola, pluviali et formali; sedet et mitram auriphrygiatam accipit.

856. — Decantata Antiphona post Psalmos, Episcopus surgit cum mitra et consistit facie ad Subdiaconum Capitulum canentem versa. Absoluto Responsorio, stans (Caer. Episc., L. II, cap. VIII, n. 18) mitram deponit et, facie ad populum versa, cantat: *Dominus vobiscum, Oremus* et Orationem, facie ad Altare versa; post Orationem repetit: *Dominus vobiscum*. Decantato a duobus Cantoribus: *Benedicamus Domino*, Episcopus non dicit: *Fidelium animae* etc., sed sedet et pluviale deponit; surgit, assumit tunicellam et dalmaticam, dein iterum sedet, chirothecas accipit; mox surgit, planeta induitur et iterum sedet; si Pallio uti potest, tunc osculatur Crucem in medio eiusdem Pallii a parte posteriori et illud induit ac postea mitram pretiosam, annulumque recipit (D. 3747 ad 1); quibus acceptis, dicit Orationem: *Merear*, etc., quae ad manipulum recitatur, cum dici nequeat eo tempore quo manipulum accipit.

857. — Omnibus paramentis pontificalibus assumptis, Episcopus, si in Secretario, incensum in thuribulum imponit et illud benedicit; tum surgit et, accepto baculo, de Throno descendit medius inter Diaconos Assistentes, reverentiam Cruci Altaris peragit et procedit ad Altare maius benedicens astantes.

Si vero Secretarium non adsit, assumptis paramentis pontificalibus incensum non imponit (Caer. Episc., L. II, cap. VIII, n. 25; D. 2776 ad 2).

858. — Cum Episcopus ante Altaris gradum pervenerit, tradit baculum Ministro, mitram dimittit, dein, profunda reverentia Cruci facta, Missam, more solito, incipit.

Dicto: *Indulgentiam* etc., osculatur Crucem manipuli; quo assumpto, Missam prosequitur. Altari deosculato, Episcopus statim faciem convertit ad cornu Evangelii, ambabus manibus, tangit Evangeliorum librum ab inferiori parte et deosculatur principium textus Evangelii currentis, dein ad cornu Epistolae tantillum se vertens, sinistram infra pectus ponit ac dextera accipit cochlear, ter sumit ac in tribus distinctis locis thus in thuribulum iniicit, dicens: *Ab illo benedicaris, in cuius honore cremaberis. Amen*; quae verba ita distribuere potest ut ad primam impositionem dicat:

Ab illo benedicaris; ad secundam: in cuius honore; ad tertiam: cremaberis. Amen. Tunc cochlear Diacono reddit, et sinistra super Altare posita, thus ardens, cum dextera in modum Crucis signat (Rit. in celebr. Miss., Tit. IV, n. 4; Caer. Episc., L. I, cap. XXIII, n. 1 et 2; D. 2515 ad 10).

859. — Post haec, accepto ab eodem Diacono thuribulo, ita ut sinistrae digitis catenulas prope manubrium, aut digito minimo interiecto superiorem annulum stringat, dexteraque ipsas catenulas iuxta operculum contineat, ad Altare sese convertit, ac, demissa subter pectus sinistra, Cruci profunde se inclinat, sublevansque thuribulum ter adolet Crucem recta ac aequali linea ut in tabula sub n. 873 in fine, n. 1, 2, 3 notatur, ita ut ad unumquemque ductum tantillum quiescat, nihil dicens.

Si inter Altaris candelabra sitae fuerunt Sanctorum Reliquiae, vel Imagines, Episcopus, incensata Cruce, illique reverentia peracta, antequam e medio discedat, eas prius quae sunt ex parte Evangelii duobus thuribuli ductibus adolet, septimo candelabro tamen viciniores primum, reliquas deinde, sed nullo se modo inclinans. Cruci reverentia iterata, et Reliquias aut Imagines quae ex parte sunt Epistolae similiter incensat. Mox, nulla prorsus praemissa inclinatione, Altare tribus vicibus incensat, thuribulum super mensam, prope sex candelabra ducendo recta linea, aequalique distantia, et in medio Altaris ad extremum Epistolae cornu procedendo, ubi postea, manu dimissa, inferiorem lateris partem prius, deinde superiorem, semel tantum ducto in utraque thuribulo, adolet. Inde, facie pene ad medium Altaris obversa, thuribulum elevat supra mensam, cuius triplici ductu, iuxta quod antea factum est, anteriorem oram thurificat ad medium Altaris interim progrediendo; quo cum venerit, tertium se inclinat, statimque incedens in mensae parte posteriore quidquid in antecedenti praestitit, peragit. Quo facto, in cornu Evangelii consistens, iterum facie quasi ad Altaris medium conversa, tribus ductibus partem anteriorem mensae, brachium quantum opus est protrahendo, incensat. Postea manu aliquantulum demissa, ter quoque, dum pergat ad medium, frontem Altaris thurificat: in medium autem, facta debita reverentia, continuo usque ad cornu Epistolae eam reliquae frontis incensationem prosequitur. Ibi Diacono, utraque manu, reddit thuribulum, mitram accipit et stans, manibus iunctis, in cornu Epistolae incensatur, postea Diaconum benedicit. Tum se ad Altare convertit et ex eodem loco, in cornu Epistolae, reverentiam Cruci peragit; accepto baculo, descendit de Altari per

viam breviorē, et medius inter Diaconos Assistentes, Chorum salutans, ad Thronum procedit.

860. — Cum ad Thronum pervenerit sedet, Ministro tradit baculum, mitram deponit, surgit et Introitum legit signans se Crucis signo, tum *Kyrie, eleison*, etc., cum suis Assistentibus recitat; si cantus longius pertrahatur, Episcopus sedet, accipit mitram auri-phrygiatam et gremiale. Circa finem cantus, gremiale aufertur, mitram dimittit, surgit et, cantu absoluto, Hymnum Angelicum intonat, facie ad Altare conversa. Cum dicit: *Gloria in excelsis*, manus extendit et elevat usque ad humeros, absque ulla capitis et oculorum elevatione; cum dicit: *Deo*, palmas iungit et caput inclinat; deinde Hymnum, submissa voce, iunctisque manibus, cum Assistentibus prosequitur, solitas non omittens inclinationes ad: *Adoramus te; Gratias agimus tibi; Iesu Christe; Suscipe deprecationem nostram;* et iterum ad: *Iesu Christe;* dum vero profert: *Cum Sancto Spiritu* etc., sinistra infra pectus posita, dextera se signat, dein sedet, mitram et gremiale accipit. Dum cantantur verba quae inclinationem exposcunt, caput cum mitra inclinat.

861. — Hymno absoluto, Episcopus surgit, mitram et gremiale deponit; stans versus populum, elevatis et statim iunctis manibus, cantat: *Pax vobis;* deinde ad Altare conversus, extensis et statim iunctis manibus, cantat: *Oremus*, iterumque, extensis manibus, canit Orationem, ad cuius conclusionem idest: *Per Dominum nostrum* etc., iungit manus easque sic retinet ad finem usque, caput flectens Cruci Altaris ad verba: *Iesum Christum*. Si vero Oratio concluditur per verba: *Qui tecum* etc., vel: *Qui vivis* etc., manus iunguntur ad: *in unitate*, sine ulla capitis inclinatione. Cum in Oratione nominatur nomen Iesu, Episcopus caput versus Crucem Altaris inclinat. Quod etiam facit versus Missale quando legitur nomen B. Mariae, vel Sanctorum de quibus dicitur Missa, vel fit Commemoratio, et in Oratione pro Papa quando nomen Summi Pontificis nominatur. Si vero in loco principali Altaris habetur Statua, vel Imago, ipsius B. Mariae, aut Sancti de quo dicitur Missa, vel Commemoratio fit, tunc non ad Missale, sed versus Imaginem vel Statuam caput inclinatur (D. 3767 ad 25).

Oratione, vel Orationibus absolutis, Episcopus sedet, mitram et gremiale accipit.

862. — Episcopus, dum Subdiaconus legit Epistolam, ad nomen Iesu caput flectit versus Altare, ad nomen autem Mariae et Sancti,

de quo Missa celebratur, vel specialis fit Commemoratio (minime vero in initio Epistolae vel etiam Evangelii), inclinatur illud versus librum Subdiaconi vel Diaconi, nisi in loco principali Altaris habeatur Statua, vel Imago B. Mariae V., aut Sancti ad quam inclinare caput debet (D. 3767 ad 25). Si porro genuflectendum sit, genuflectit super pulvinum apud Cathedram collocatum.

863. — Decantata Epistola, ponit super Epistolarium manum dexteram quam Subdiaconus deosculatur, deinde iungit manus ante pectus et Subdiacono, more solito, benedicit. Postea sedens cum mitra legit ex Missali Epistolam, Graduale, Tractum, vel *Alleluia*, vel Sequentiam et alia usque ad finem Evangelii, manus super gremiale deponens usque ad: *Munda cor meum*, etc.; cum vero dicit: *Munda cor meum*, etc., iungit manus et sic eas tenet usque ad finem Evangelii signando tamen textum et deinde seipsum in fronte, in ore et pectore ut alias.

Si infra lectionem occurrant verba ad quae genuflectendum est, Episcopus non genuflectit (D. 2184 ad 4); genuflectit vero in pulvinari apud Cathedram collocato cum haec verba canuntur, et in casu si verba haec occurrant in Graduali, etc.; tunc legit Epistolam, etc., postquam surrexerit.

864. — Lectione absoluta, manum suam Diacono praebet osculandam, dein imponit et benedicit incensum; dum Diaconus benedictionem petit, respondet: *Dominus sit in corde tuo, et in labiis tuis: ut digne et competenter annunties Evangelium suum: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.* Cum profert: *In nomine Patris*, etc., sinistra pectori admota, dextera signum Crucis versus Diaconum efformat.

Cum Diaconus canit: *Dominus vobiscum*, Episcopus, depositis gremiali et mitra, surgit vertens se ad Diaconum; «... accepto baculo pastoralis...», signat se in fronte, ore, et pectore...; tum ipse retinet baculum inter ambas suas manus iunctas, stans versus Diaconum cantantem » (Caer. Episc., L. II, cap. VIII, n. 46).

Completo Evangelii cantu, Episcopus baculum Ministro reddit (D. 3368 ad 4), osculatur librum in initio textus Evangelii dicens: *Per evangelica dicta deleantur nostra delicta*, ponens utramque manum super Missale; dein, iunctis manibus et detecto capite, thurificationem accipit.

865. — Si sermo habendus est, quem, Episcopo celebrante, ab eo fieri convenit (Caer. Episc., L. II, cap. VIII, n. 48), et regulariter esse debet de Evangelio currenti (ibi L. I, cap. XXII, n. 2), id faciet,

vel in propria Sede, vel apud ipsum Altare, sedens in Faldistorio, vel si concionem audiendi causa exegerit commoditas, in pulpito, sive ambone. Accepta thurificatione, sedet, mitram accipit et, absque ulla oratione, homiliam vel legit, vel memoriter dicit, et in casu, si placet, baculum retinere potest. Si homiliam legit, tunc deponit chirothecas, ut expedite folia vertat.

Si vero accedere debet vel ad Altare, vel ad pulpitem, tunc, accepta mitra, surgit, accipit baculum et ad Altare, vel ad pulpitem procedit medius inter Diaconos Assistentes. Cum pervenerit ante infimum Altaris gradum, vel scalae pulpiti, baculum dimittit, Altare vel pulpitem ascendit et sedet medius inter Diaconum et Subdiaconum; si ad pulpitem vadit et sermonem vel legit vel memoriter dicit, stans, ut commode audiri possit, pariter inter Missae Ministros consistit.

866. — Sermonem completo, Episcopus surgit cum mitra et, confessione a Diacono facta, sedet dum Indulgentia publicatur; mitram deponit, surgit et, iunctis manibus, elata voce versus populum dicit: *Precibus, et meritis Beatae Mariae semper Virginis, Beati Michaelis Archangeli, Beati Ioannis Baptistae, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum, misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris, perducatur vos ad vitam aeternam.* Responso: *Amen*, dicit: *Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus.*

Responso a Choro: *Amen*, sedet, mitram accipit; iterum surgit et elevans oculos manusque, quas ante faciem suam iungit, accipit sinistra baculum pastorem ac trinam benedictionem impertit dicens: *Et benedictio Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti descendat super vos, et maneat semper.*

Si Episcopus uti Cruce potest, tunc, publicata Indulgentia, mitram dimittit, surgit et caput Cruci profunde inclinatur, deinde dicit, ut supra, *Precibus* etc., et sic, detecto capite, solemniter benedicit.

867. — Si sermo habendus sit, sive per Canonicum sive per Clericum saecularem aut regularem, Episcopus, thurificatione accepta, sedet, mitram accipit, manum suam Concionatori osculandam praebet et dum ille benedictionem petit, respondet: *Dominus sit in corde tuo, et in labiis tuis, ut digne et fructuose annunties verba sancta sua. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.* Et cum Concionator ipse Indulgentias poscit ei respondet: *Consuetas*, vel: *Quinquaginta dierum*; si fuerit Archiepiscopus: *Centum dierum*; si Cardinalis: *Ducentorum dierum.*

Absolute sermone, Episcopus se ut supra gerit.



868. — Benedictione impertita post sermonem, vel si sermo habendus non sit, Episcopus, thurificatione accepta post Evangelium, in Sede stans conversus ad Altare, manus extendens ac iungens et caput inclinans ad Crucem intonat: *Credo in unum Deum* ex libro, et prosequitur, submissa voce, cum Assistentibus; ad: *Iesum Christum*, caput inclinatur et dicens: *Et incarnatus est* etc., genuflectitur in pulvino; ad: *Simul adoratur*, iterum caput inclinatur. Cum vero dicit: *Et vitam venturi saeculi. Amen*, sinistra infra pectus demissa, se interim signat dextera, dein sedet, mitram et gremiale accipit. Ad: *Iesum Christum; Et incarnatus... et homo factus est; Simul adoratur*, caput cum mitra inclinatur.

869. — Decantato a Choro Symbolo, Episcopus dimittit mitram, gremiale, dein surgit; versus populum cantat: *Dominus vobiscum*, et versus Altare: *Oremus*, ac postea Offertorium legit; quo absolute, sedet, mitram accipit, deponit anulum et chirothecas, manus lavat; quibus abstersis, anulum reassumit, surgit, accipit baculum, et ad Altare accedit. Cum ante infimum gradum pervenerit, deponit baculum et mitram, atque, facta Cruci reverentia, ascendit ad Altare illudque in medio osculatur; de manu Diaconi accipit Patenam, Hostiam offert ac super corporale deponit. Patenam vero aliquantulum subter corporale, sicut in Missa privata, recondit. Ad vini infusionem signum praebet ut Diaconus infundere intermittat. Postmodum, elevata a Subdiacono ampulla dictoque: *Benedicite*, etc., Episcopus, posita sinistra super Altare, dextera signum Crucis producit versus illam, simulque Orationem inchoat: *Deus qui humanae* etc., quam, manibus iunctis, absolvit. Calicem exinde de manu Diaconi apprehendens, offert, more solito una cum Diacono, ac suo loco collocat, ut alias. Cum porro Diaconus Calicem palla cooperit, Episcopus sinistram pedi eius superimponit ne evertatur, dexteram vero Altari admovet; quod semper efficit quoties Calix cooperiendus vel detegendus sit. Calice oblecto, recitat ex more: *In spiritu humilitatis* etc.

870. — Post: *Veni, sanctificator* etc., Episcopus, manibus iunctis ante pectus, absque ulla reverentia, se paululum convertit ad Diaconum a dextris stantem, incensum iniicit in thuribulum eodem modo ac antea Introitum, sed loco: *Ab illo benedicaris* etc., recitat formulam: *Per intercessionem beati Michaelis Archangeli, stantis a dextris Altaris incensi, et omnium electorum suorum, incensum istud dignetur Dominus bene dicere, et in odorem suavitatis accipere. Per Christum*

Dominum nostrum. Amen; quae verba ita distribuere potest ut ad primam impositionem dicat: *Per intercessionem beati Michaëlis Archangeli;* ad secundam: *stantis a dextris altaris incensi;* ad tertiam: *et omnium electorum suorum;* et, reddito prius chocleari Diacono, ac, manu sinistra super Altare posita, prosequitur: *incensum istud dignetur Dominus bene* ✠ *dicere,* ac continuat formulam dicens: *et in odorem suavitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.* Deinde, accepto a Diacono thuribulo, more solito, nullam tunc reverentiam exhibens, incensat Oblata, tres cum thuribulo (quod semper aequaliter elevatum tenebit) efformans Cruces super Calicem simul et Hostiam per lineam rectam et transversam, pronuncians ad primam Crucem: *Incensum* ✠ *istud;* ad secundam: *a te* ✠ *benedictum;* ad tertiam: *ascendat* ✠ *ad te, Domine.* Mox ante Hostiam ad unius circiter digiti latitudinem a corporali demittens thuribulum, tres efformat circulos ad instar coronae circum Calicem et Hostiam; duos priores, bis ducendo thuribulum a cornu Epistolae ad cornu Evangelii, tertium vero semel a cornu Evangelii ad cornu Epistolae, ac interim dicit ad primum circulum: *et descendat super nos;* ad alterum: *misericordia;* ad tertium: *tua,* prout ex sequenti delineatione in qua Cruces et circuli apparent inter se distantes, sed id ex necessitate factum est, quia in eadem linea incidi nequibant verba in quolibet Cruce ac circulo proferenda.

871. — Ordo incensandi Oblata.




872. — Tum, facta profunda Cruci reverentia, adolet Crucem et Altare, ut ante Introitum dictum est, proferens interim: *Dirigatur, Domine, oratio mea, sicut incensum, in conspectu tuo: elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis: ut non declinet cor meum in verba malitiae, ad excusandas excusationes in peccatis.* Episcopus verba haec « taliter distribuatur, ut eodem tempore finiantur verba et thurificatio » (Caer. Episc., L. I, cap. XXIII, n. 11).

Advertendum tamen est, quod Episcopus, dum procedens Altare thurificat, pedem semper Altari proximum prius movere debet, nec plures facere passus, quam det thuribuli tractus.

Si in Altari Sanctorum Reliquiae, vel Imagines, non fuerint, Episcopus, incensata Cruce illique facta reverentia, progreditur ad Altaris incensationem. At vero si una tantum Reliquia sive Statua insignior in medio Altaris sit exposita, tunc Episcopus Crucis post incensationem et reverentiae exhibitionem, ibidem consistens, duplici illam tractu, quin se inclinet, thure, antequam Altare, adolebit. Quod si Reliquia illa vel de S. Cruce, vel de alio Passionis esset Instrumento, aut aliqua Iesu Statua (ex. gr. Infantis, Redemptoris), triplici eam ductu, post Crucem, et eodem prorsus modo quo incensatur Crux cum Imagine Crucifixi thurificabit (D. 3288).

Si vero in eminenti Altaris loco Statua alicuius Sancti, de quo Festum agitur, sit exposita, Episcopus, Cruce thurificata et reverentia eidem exhibita, illam duplici ductu incensat.

873. — Ordo thurificandi Altaris.



874. — Quoniam nec a Caeremoniali Episcoporum nec a Rubricis Missalis indicatur quomodo singuli thuribuli ductus distribuuntur, verborum distributio communiter recepta, iuxta schema insertum, haec est:

PRO INCENSATIONE CRUCIS

1. *Dirigatur.* 2. *Domine.* 3. *Oratio mea.*

PRO INCENSATIONE RELIQUIARUM: 4 — 5 — 6 — 7

iuxta communiorem Auctorum sententiam et praxim communem Romae servatam, nihil dicitur in Reliquiarum incensatione.

Si Reliquiae non sint in Altari, proceditur immediate ad ductum 8.

8 sicut
9 incensum
10 in conspectu tuo

11 elevatio
12 manuum

13 mearum
14 sacrificium
15 vespertinum

16 Pone, Domine
17 custodiam
18 ori meo

19 et ostium
20 circumstantiae

21 labiis
22 meis
23 ut non declinet

24 cor meum
25 in verba
26 malitiae

27 ad excusandas
28 excusationes
29 in peccatis

875. — Incensatione Altaris absoluta, Episcopus, reddens, utraque manu, thuribulum Diacono, subiungit: *Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris, et flammam aeternae charitatis. Amen.* In eodem cornu Epistolae Episcopus mitram accipit; iunctis manibus, thurificatur, Diaconum benedicit, statim manus lavat, more solito, legens ex Canone Pontificali Psalmum 25: *Lavabo* etc., et antequam dicat Versum: *Gloria Patri* etc., mitram dimittit, ac Missam prosequitur usque ad Orationem: *Domine Iesu Christe, qui dixisti* etc., inclusive, quemadmodum in privata, praeterquam cantabit Praefationem; *Per omnia saecula* etc., cum: *Pater noster* etc.; ac alterum: *Per omnia saecula* etc., cum: *Pax Domini* etc.

876. — Recitata Oratione: *Domine Iesu Christe, qui dixisti* etc., Episcopus osculatur Altare et, ad Presbyterum Assistentem a dextris suis stantem conversus atque sinistram genam suam sinistrae ipsius Presbyteri Assistentis appropinquans, dat ei pacem dicendo: *Pax tecum*, sicque eum amplexando ut manus prope illius humeros apponat. Data pace Presbytero Assistenti, eandem successive Diaconis Assistentibus et Missae Ministris dat.

877. — Postea Missam, more solito, prosequitur usque ad ablu-tionem; qua sumpta abstersisque labiis, purificatorium super os Calicis ponit, se confert ad cornu Epistolae, mitram accipit et manus lavat; quibus tersis, mitram deponit et legit Antiphonam quae dicitur «*Communio*». Tum, loco ac more solito, cantat: *Dominus vobiscum, Oremus* et Orationem, vel Orationes, post Communionem. His exple-

tis, Altaris medium adit, ubi, repetito: *Dominus vobiscum*, subsistit versus populum donec cantatum fuerit: *Ite Missa est*; deinde se vertit per latus Epistolae ad Altare.

878. — Postquam recitaverit: *Placeat* etc., Altare in medio osculatur, manibus hinc inde extensis, «... tunc enim Episcopus, qui non utitur Cruce, accepta mitra, stans in medio Altaris, pollice dexteræ manus format sibi signum Crucis in pectore, cantans: *Sit nomen Domini benedictum*, interim sinistram super Altari retinens, et dum a Choro respondetur: *Ex hoc nunc et usque in saeculum*, etiam ipsam manum dexteram super Altari tenet; deinde dicens: *Adiutorium nostrum in nomine Domini*, eadem dextera manu signat se signo Crucis a fronte ad pectus, et a sinistro humero in dexterum, tangens se in unoquoque verbo, videlicet, dum dicit: *Adiutorium*, in fronte; *nostrum*, infra pectus; *in nomine*, in sinistro humero; *Domini*, in dextero, et iterum ipsam manum dexteram super Altare imponit, donec a Choro respondeatur: *Qui fecit coelum et terram*. Deinde dicens: *Benedicat vos omnipotens Deus*, elevat ad coelum simul oculos, et manus, quas ante faciem iungit, et, accipiens manu sinistra baculum, dum dicit; *Pater*, vertit se ad latus Epistolae, et ibi signat populum; et dicens: *et Filius*, vertit se directe ad populum in medio Ecclesiae existentem, signans iterum; dicens vero: *et Spiritus Sanctus*, vertit se totum ad latus Evangelii, et ibi tertio signat populum, perficiendo circulum» (Caer. Episc., L. I, cap. XXV, n. 5).

879. — Si Episcopus uti Cruce potest tunc, deosculato Altari, se ad populum vertit absque mitra, et, sinistra infra pectus posita, cantat: *Sit nomen Domini* etc., interim formans dextero pollice, sibi in pectore Crucis signum; eoque formato manus ante pectus iungit postquam cantaverit: *Adiutorium nostrum* etc. Accepto baculo, dum dicit: *Pater*, signat populum versus latus suum sinistram; dicens: *et Filius*, signat ante faciem suam et dum dicit: *et Spiritus Sanctus* versus latus suum dexterum signat.

Si Indulgentiae publicatae non fuerunt, quod evenit quando sermo non est habitus, Episcopus vero stat, baculum in manu sinistra tenens, conversus ad populum.

880. — Benedictione data, vel Indulgentia publicata, si Episcopus uti Cruce nequit, mitram deponit, perficit circulum et, facie ad cornu Evangelii versa, dicit: *Dominus vobiscum*, ac faciens ibidem signum Crucis super Altare et deinde in fronte, ore et pectore dicit: *Initium Sancti Evangelii* etc. Mox accipit mitram; ad populum

versus etiam baculum accipit, in planum descendit et, reverentia Cruci facta, procedit ad Thronum, interim ita recitans Evangelium S. Ioannis ut ad verba: *Et Verbum caro* etc., genuflectere possit in pulvino collocato apud cathedram; si dum haec verba profert adhuc procedit, non genuflectit.

Si aliud Evangelium loco S. Ioannis legendum sit, Episcopus illud, more solito, legit in cornu Evangelii, eoque absoluto, accedit ad medium Altaris, accipit mitram et baculum atque ad Thronum procedit, ut supra diximus.

881. — Si vero Episcopus cum s. Pallio celebraverit, benedictione data, vel publicata Indulgentia, per Diaconum Missae illud super Altare deponit, nisi benedictio papalis immediate, Missa Pontificali absoluta, impertiatur (D. 3605 ad IX).

882. — Cum Episcopus Evangelium S. Ioannis solverit, vel ad Thronum pervenerit, lecto alio Evangelio, baculum Ministro tradit, sedet, mitram et paramenta dimittit.

Cappa et Cruce pectorali reassumptis, biretum accipit et legit Antiphonam: *Trium puerorum* etc., Canticum: *Benedicite omnia* etc., cum Psalmo 150: *Laudate Dominum* etc., alternatim cum suis Assistentibus; interim per cubicularium sandalia et caligas dimittit, atque calceos usuales reassumit. Repetita Antiphona: *Trium puerorum* etc., caput detegit, surgit et, iunctis manibus, versus Altare, recitat: *Kyrie, eleison* etc., *Pater noster* etc., Versiculos et Orationes; quibus absolutis, de Throno descendit, ad Faldistorium procedit et se gerit ut sub n. 527 diximus.

ARTICULUS III.

De Presbytero Assistente ad Missam solemnem pontificalem ad Thronum.

883. — Presbyter Assistens, de cuius officio generatim diximus sub n. 538 et 539, cum ceteris Canonicis, more solito, ad associandum Episcopum procedit et in accessu ad Ecclesiam se gerit ut supra tradidimus (v. n. 522 et 524).

Cum ad Secretarium pervenerit, genuflectit in plano, ad sinistram secundi Diaconi Assistentis; surgit cum Episcopo, eum sequitur ad Thronum et in scabello suo sedet. Ad nutum Caeremoniarum primi surgit et ante suum scabellum, super quod biretum deponit,

sistit; ad: *Deus, in adiutorium etc.*, se signat; ad: *Gloria Patri etc.*, se versus Altare inclinat.

Cum Episcopus, Psalmo intonato, sedet, ipse perstat et cum Diaconis Assistantibus Episcopo respondet, scilicet recitat alternatim Psalmos et Versiculos praeparationis ad Missam.

884. — Cappa ab Episcopo dimissa, Presbyter Assistens ex digito eiusdem Episcopi annulum educit, prius manum dein annulum deosculans, et super lancem, a Clerico sustentam, deponit; deinde mantile accipit ac extendit in gremio Episcopi, alterum mantile accipit illudque, cum osculis, eidem porrigit ad tergendas manus. Depositis mantilibus in lance, de Throno descendit; una cum Diaconis Assistantibus, debitis cum reverentiis, pergit ad amictum et pluviale assumendum.

Ad nutum Caeremoniarum secundi, una cum iisdem Diaconis Assistantibus, sed ultimo loco, accedit ad Thronum, debitis cum reverentiis Altari et Episcopo; quum Missae Ministri, Episcopo parato, recedunt, ascendit Thronum et, si Psalmi Horae Tertiae nondum sint absoluti, sedet in suo scabello.

885. — Dum Antiphona a Choro canitur, ad nutum Caeremoniarum primi, cum Diaconis Assistantibus, surgit antequam Episcopus surgat. Circa finem Responsorii, se ante Episcopum confert, reverentiam peragit, Breviarium a Ministro libri accipit et super caput suum apertum sustinet. Oratione ab Episcopo decantata, Breviarium Ministro libri tradit, reverentiam Episcopo peragit, ad scabellum suum se confert, ibique consistit. Postquam Episcopus mitram accepit, Presbyter Assistens in eius digitum inducit annulum, prius illud dein manum deosculans (D. 3747 ad 1), ac postea naviculam a Thuriferario accipit et praebens cochlear Episcopo dicit: *Benedicite, Pater Reverendissime*, vel si Episcopus sit Cardinalis: *Benedicite, Eminentissime et Reverendissime Pater*. Ad nutum Caeremoniarum primi, de Throno descendit et ad Altare maius procedit, peracta Altari Secretarii reverentia, ante Episcopum ad dexteram Diaconi Missae.

Si Secretarium non adsit, incensum non ministrat (Caer. Episc., L. II, cap. VIII, n. 25; D. 2776 ad 2), et, ad Caeremoniarum secundi nutum, praecedat Episcopum ad Altare.

886. — Cum ad Altare pervenerit, ad Episcopi dexteram sistit (v. n. 947); Altari profunda reverentia facta, respondet Episcopo cum Ministris Missae et cum dicit: *Misereatur tui etc.*; *tibi Pater*; et *te Pater*, caput versus Episcopum profunde inclinat.

Dicto ab Episcopo: *Oremus*, Presbyter Assistens ad Episcopi sinistram transit, cum eo ad Altare ascendit, anteriores fimbrias eius vestis aliquantulum elevans, ubi, manu sinistra, librum, a Subdiacono porrectum, sustinet; dextera vero initium textus Evangelii occurrentis Episcopo osculandum indicat. Postquam Episcopus librum osculatus fuerit, illum Subdiacono demittit et immediate in planum descendit, ibique inter Diaconos Assistentes sistit.

887. — Altari thurificato, Episcopum ad Thronum praecedat et ante scabellum suum stat. Cum Episcopus Introitum incipit, se quoque signat; ad: *Kyrie, eleison etc.*, cum Diaconis Assistantibus respondet et, sedente Episcopo, ipse etiam sedet, tecto capite.

Cum cantatur ultimum *Kyrie etc.*, ad nutum Caeremoniarum primi, surgit cum aliis Assistantibus, se ante Episcopum confert, reverentiam peragit, Canonem Pontificalem accipit et super caput suum apertum sustinet. Decantatis verbis: *Gloria in excelsis Deo*, librum Ministro tradit; Episcopo reverentia iterata, ad scabellum suum revertitur, ubi consistit, iunctis manibus, Hymnum cum Episcopo et Diaconis prosequitur, non omittens solitas inclinationes, et in fine se signat. Hymno recitato, sedet, tegit caput, quod detegit et inclinat dum cantantur verba: *Adoramus te; Gratias agimus tibi; Iesu Christe; Suscipe deprecationem nostram*; et iterum ad: *Iesu Christe*.

888. — Hymno a Choro decantato, surgit, se ante Episcopum confert, reverentiam ei peragit, Missale accipit et super caput sustinet. Oratione, vel Orationibus ab Episcopo decantatis, Missale Ministro tradit; Episcopo reverentia peracta, ad scabellum suum pergat, sedet et caput tegit.

Cum Subdiaconus, Epistola cantata, accedit ad Thronum, Presbyter Assistens surgit; stat dum Episcopus legit Epistolam cum reliquis, ei respondet et se signat ad initium Evangelii. Si occurrant verba ad quae genuflectendum est, non genuflectit. Si immediate, lecto ab Episcopo Evangelio, Diaconus ad Thronum accedat, ille consistit; si vero aliquod temporis spatium intercedat, ut evenit quando Sequentia a Choro canitur, tunc sedere potest. Profecto de Throno Diacono, more solito, incensum ministrat.

Ad Evangelii cantum stat versus Diaconum et in eodem loco genuflectit, si genuflectendum est. Cantu absoluto, de Throno descendit, thuribulum accipit, et Episcopum triplici ductu incensat cum profunda reverentia ante et post.

889. — Si sermo habendus est et ipse Episcopus eum faciat in Sede sua, tunc Presbyter Assistens sedet ad sinistram Cathedrae, apud secundum Diaconum Assistentem, ut Episcopus commode populum respicere possit; si vero sermonem ad Altare facit, Presbyter Assistens sedet in scabello in cornu Evangelii collocato; si Episcopus sermonem in ambone facit, tunc et ipse in ambonem vadit et sedet, congruo in loco ad sinistram Subdiaconi.

890. — Facta confessione a Diacono post sermonem (Caer. Episc., L. II, cap. VIII, n. 50), Presbyter Assistens publicat Indulgentiam sequenti formula: «*Reverendissimus in Christo Pater, et Dominus, Dominus N. Dei, et Apostolicae Sedis gratia huius sanctae N. Ecclesiae Episcopus (vel Archiepiscopus) dat, et concedit omnibus hic praesentibus quinquaginta (vel centum) dies de vera Indulgentia in forma Ecclesiae consueta; rogate Deum pro felici statu Sanctissimi Domini nostri N. divina Provvidentia Papae N., Dominationis suae Reverendissimae, et Sanctae Matris Ecclesiae*».

Si Episcopus sit Cardinalis, Presbyter pronunciat sequentem formulam: «*Eminentissimus et Reverendissimus in Christo Pater et Dominus, Dominus N. Tituli sancti N., sanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis N. Dei, et Apostolicae Sedis gratia huius sanctae Ecclesiae N. Episcopus (vel Archiepiscopus) dat, et concedit omnibus hic praesentibus bis centum dies de vera Indulgentia, etc.*» ut supra.

«Non videtur damnanda consuetudo legendi formulam vulgari sermone, post publicationem idiomate latino, prout fit in lectione Brevis Apostolici pro Papali Benedictione ab Episcopis largienda... et in relativa publicatione indulgentiae, eidem Benedictioni adnexae ex ratione quam suggerit ipsum Pontificale Romanum *ad populi intelligentiam*» (Ephem. Litur., Ann. 1918, pag. 107).

891. — Benedictione impertita post sermonem, vel, si sermo habitus non fuerit, incensato Episcopo post Evangelium, Presbyter Assistens se ad scabellum suum confert; si Symbolum dicendum est se gerit ut supra ad Hymnum Angelicum. Decantatis verbis: *Credo in unum Deum*, Ministro Canonem Pontificalem tradit et, Episcopo iterata reverentia, ad scabellum suum revertitur ubi consistit, iunctis manibus; Symbolum cum Episcopo et Diaconis Assistentibus prosequitur, inclinans caput ad: *Iesum Christum*; ad: *Et incarnatus est*, genuflectit; ad: *Simul adoratur*, iterum caput inclinatur et in fine se signat. Recitato Symbolo, sedet, tegit caput quod detegit et inclinatur ad verba quae inclinationem exposcunt necnon ad: *Et incarnatus est* etc.

892. — Decantato a Choro Symbolo, surgit, se ante Episcopum confert et se gerit ut ad Orationem, sed postquam Episcopus cantaverit: *Oremus*, Missale Ministro tradit.

Mitra ab Episcopo accepta, e digito eiusdem Episcopi annulum extrahit ac in lance deponit; deinde accipit mantile et extendit in gremio Episcopi, alterum mantile accipit illudque eidem porrigit ad tergendas manus. Depositis mantilibus in lance, in digitum Episcopi inducit annulum, prius illum, dein manum deosculans, ac postea de Throno descendit, accipit a Ministro libri Missale et illud in legili, in cornu Evangelii collocato, ponit apertum eo loco in quo continentur ea quae Episcopus lecturus est; ibique extra dictum cornu, facie ad cornu Epistolae versa, expectat Episcopum et postea ad eius sinistram accedit, apud librum assistit, ex illo indicat quae legenda et canenda sunt.

893. — Presbyter Assistens incensum non ministrat et dum Episcopus Altare adolet, prope Missale, iunctis manibus, consistit usque dum Episcopus, post incensationem lateris Epistolae Altaris, in medium redierit; tunc, facta Cruci reverentia una cum Episcopo et Diacono, Missale cum legili accipit, in planum in cornu Evangelii descendit; peracta thurificatione illius cornu, Missale reponit in loco suo. Tunc, facta Altaris Cruci reverentia, se confert ad cornu Epistolae, ubi, stans a dextris Episcopi manus lavantis, mantile ei porrigit ad manus abstergendas; mox ad Missale redit, ibique ad Diaconum conversus, incensatur.

894. — Lectis ab Episcopo Secretis, tradit Missale Ministro libri et ab eo Canonem Pontificalem accipit, quem loco Missalis reponit. Praefatione absoluta, mediocriter inclinatus, una cum Episcopo, submissa voce, dicit: *Sanctus* etc.; ad verba: *Benedictus* etc., erectus signum Crucis facit.

Advertat Episcopum ut in fine primae Orationis Canonis loco: *Antistite nostro*, dicat: *Et me indigno servo tuo*. Ad verba: *Quam oblationem* etc., flectit utrumque genu in suppedaneo, ad sinistram Episcopi, nec assurgit donec Episcopus, post alteram elevationem, Calicem super corporale deposuerit. Ad Missale iterum assistit, et genuflectit quoties Episcopus genuflectit.

895. — Dicit: *Agnus Dei* etc., ter pectus sibi percutiens (D. 3535 ad 3); quo recitato, et, genuflexione peracta, se recipit ad Episcopi dexteram, «ipse vero Assistens, dicta per Celebrantem Oratione; *Domine Iesu Christe, qui dixisti* etc., genuflectit, et statim

surgit » (Caer. Episc., L. II, cap. VIII, n. 75), Altare osculatur non tangens mensam et pacem ab eo recipit, appropinquans sinistram genam sinistrae Episcopi, et, utraque manu infra brachia, seu brachia sua supponit Episcopi brachiis (D. 2915 ad 7) et Episcopum complectitur respondens: *Et cum spiritu tuo*. Tum statim genuflexionem peragit, de Altari descendit, et, comitante Caeremoniario secundo, pergunt ad Chorum ad pacem dandam, sequenti ordine.

Si praebendae distinctae non sint, primo accedit ad digniorem ex praesentibus in Choro, non ei se inclinatur, ponit utramque manum super eius humeros, sinistram genam suam sinistrae ipsius dignioris appropinquans dat pacem dicens: *Pax tecum*. Responso a digniore: *Et cum spiritu tuo*, sibi invicem caput inclinatur, deinde Presbyter Assistens accedit ad Canonicum digniorem qui exstat in altera Chori parte, et se ut supra gerit.

Si praebendae distinctae sunt, tunc, ut supra, accedit ad digniorem ex praesentibus in Choro et ei pacem praebet, dein ad primum Canonicum Presbyterum, si dignior sit una ex Dignitatibus, ac postea ad primum Canonicum Diaconum, tandem ad primum Canonicum Subdiaconum in eadem Chori parte stantem; pace huic data, transit ad alteram Chori partem et se ut supra gerit.

Si aderint Canonici Episcopi, Presbyter Assistens ad digniorem ex eis accedit et pacem dat, supponens brachia sua brachiis Episcopi; dein accedit ad Episcopum qui in altera consistit parte, ac postea pacem praebet primo Canonico, in eadem parte, tandem Canonico primo qui in parte Episcopi dignioris adsit.

Si vero adsint Episcopi in sedibus extra Canonicorum sedilia, tunc Presbyter Assistens eis pacem praebet ante Chorum, quamvis inter Canonicos adsit Canonicus Episcopus qui, sive ob gradum sive ob electionem, praecedentia gaudeat super alios Episcopos praesentes.

« Data pace, quibus per ipsum danda est, dat eam ultimo loco Caeremoniario, qui eum duxit, et redit ad Altare » (Caer. Episc., L. I, cap. VII, n. 6), ubi, ante medium genuflexione facta, ad Episcopi sinistram ascendit.

896. — Pretioso Sanguine sumpto, Presbyter Assistens tradit Ministro libri Canonem Pontificalem et ab eo accipit Missale quod super legile ponit et transfert ad cornu Epistolae (D. 2097 ad 5), ubi illud aperit ad « *Communio* » Missae currentis; dein Episcopo mantile ministrat et ad Missale consistit, ibique in suppedaneo persistit infra benedictionem, qua impertita, eodem loco, si sermo habitus non

fuit, Indulgentias publicat, formula supra allata (v. n. 890), facie ad populum conversa.

897. — Publicata Indulgentia, vel, benedictione ab Episcopo impertita, se cum Episcopo vertit ad Altare, reverentiam Cruci facit et per gradus laterales ad Thronum, ante Episcopum pergunt.

Si vero aliud Evangelium legendum est, Indulgentia publicata, Missale ad cornu Evangelii transfert et ad lectionem Evangelii assistit; qua absoluta, discedit ut supra.

898. — Quum Episcopus in Thronum ascenderit et Evangelium S. Ioannis solverit, Presbyter Assistens reverentiam ei peragit et cum Diaconis Assistentibus discedit ad paramenta deponenda; habitu canonicali reassumpto, ad Chorum revertitur et se aliis Canonicis conformat.

ARTICULUS IV.

De Diaconis Assistentibus ad Missam solemnem pontificalem ad Thronum.

899. — **Diaconi Assistentes**, de quorum officio generatim iam diximus sub n. 540 et seqq., cum ceteris Canonicis, more solito, procedunt ad associandum Episcopum (v. n. 519 et seqq.). Cum Episcopus ad Secretarium pervenerit, genuflectunt ad latera Faldistorii et super illud Episcopi cappam extendunt; **Diaconus primus** accipit a Caeremoniario biretum. Surgente Episcopo, et ipsi surgunt, eum ad Thronum comitantur ac **primus** Episcopo sedenti biretum porrigit; **ambo** sedent, tecto capite. Ad nutum Caeremoniarii surgunt et **primus** biretum Episcopi accipit; ad: *Deus, in adiutorium etc.*, **ambo** se signant.

900. — Cum Episcopus, Psalmo intonato, sedet, **primus** biretum porrigit; **ambo** stantes cum Presbytero Assistente, Episcopo respondent, scilicet alternatim recitant cum eo Psalmos et Versiculos praeparationis ad Missam. Quum Episcopus repetita Antiphona: *Ne reminiscaris etc.*, surgit, **Diaconus primus** accipit biretum ipsius Episcopi, eique reddit postquam cappam et anulum dimiserit.

Diaconus primus, lotis ab Episcopo manibus, biretum Episcopi accipit et Caeremoniario tradit, de Throno **ambo** descendunt, facta prius Episcopo reverentia; cum Presbytero Assistente pergunt ad paramenta assumenda.

901. — Ad nutum Caeremoniarii secundi, **unus** post **alium** ad Altare procedunt (v. n. 581), ad Thronum accedunt et cum Ministri

Missae, Episcopo parato, recedunt, Thronum ascendunt; si Psalmi Horae Tertiae nondum sunt absoluti, sedent.

Dum Antiphona a Choro canitur, ad nutum Caeremoniarii primi, **ambo** surgunt et circa finem Responsorii **Diaconus secundus** mitram aufert (v. n. 543).

Cantato: *Benedicamus Domino*, post Orationem, si planum solii amplum sit, **Diaconi Assistentes** recedunt aliquantulum et loca Missae Ministris cedunt, alias de Throno descendunt et ante eius gradum sistunt, donec Episcopus Missae paramentis per Diaconum et Subdiaconum induatur.

902. — Episcopo parato, **Diaconi Assistentes** ad eius latera accedunt, assistunt ad impositionem et benedictionem incensi, cum Episcopo ad Altare maius, tecto capite, procedunt; si vero Secretarium non adsit, ad Altare accedunt, capite detecto.

Quo cum pervenerint, aliquantulum recedunt et loca Presbytero Assistenti et Diacono cedunt: **primus Diaconus** se retrahit post Presbyterum Assistentem, **alter** post Diaconum Missae (v. n. 947) et inter se confessionem faciunt ita submissa voce ut se invicem tantum intelligant, incipiens **Diaconus primus** et respondens **alter**. Confessione peracta, **ambo** accedunt ante infimum Altaris gradum, ibique sistunt donec Episcopus Altare thurificaverit; tunc **primus Diaconus**, mitra a Ministro accepta, accedit ad Episcopum in cornu Epistolae eamque ei imponit (v. n. 543) et statim descendit. Episcopo thurificato, **ambo** ad eius latera accedunt, ex eodem loco Altari reverentiam cum eo peragunt et ad Thronum procedunt, ubi **Diaconus secundus** mitram Episcopo aufert. Ad Introitum **uterque** se signat et alternatim cum Episcopo recitat: *Kyrie* etc.; dein si cantus longius pertrahatur **Diaconus primus**, Episcopo sedenti, mitram imponit et gremiale super genua eius extendit; tum **ambo**, tecto capite, sedent.

Quum cantatur ultimum *Kyrie*, ad nutum Caeremoniarii primi **ambo** surgunt cum Presbytero Assistente; **secundus Diaconus** prius gremiale dein mitram aufert. Decantatis verbis: *Gloria in excelsis Deo*, **ambo**, iunctis manibus, Hymnum prosequuntur, non omittentes solitas inclinationes, et in fine se signant, deinde **primus Diaconus** mitram imponit, gremiale super Episcopi genua extendit ac postea **ambo**, tecto capite, sedent; caput detegunt et inclinant dum verba canuntur: *Adoramus te; Gratias agimus tibi; Iesu Christe; Suscipe deprecationem nostram*; et iterum ad: *Iesu Christe*,

903. — Hymno a Choro decantato, surgunt; **Diaconus secundus** prius gremiale ac postea mitram aufert; **uterque** indicat Episcopo Orationem, vel Orationes cantandas; quibus absolutis, Episcopo sedenti, **primus Diaconus** imponit mitram et super genua gremiale extendit, deinde **ambo**, tecto capite, sedent.

Quum Subdiaconus, Epistola cantata, accedit ad Thronum, **uterque** surgit et stat dum Episcopus Epistolam cum reliquis legit, ei respondet et se signat ad Evangelii initium atque, si occurrant verba ad quae genuflectendum est, non genuflectit. Si immediate lecto ab Episcopo Evangelio, Diaconus ad Thronum accedat, **ambo** consistunt; si aliquod spatium intercedat, ut evenit quando Sequentia a Choro canitur, tunc sedere possunt, tecto capite.

Cum Diaconus pervenit ad locum ubi Evangelium canendum est, **secundus Diaconus** gremiale ac mitram aufert; ad Evangelii cantum **ambo** stant versus Diaconum, se signant, inclinant et genuflectunt, prout oportet.

904. — Si sermo habendus est, **Diaconus primus** mitram Episcopo imponit; si ab ipso Episcopo sermo habeatur in Sede, tunc **ambo** sedent suis in locis; si vero Episcopus ad Altare, vel ad pulpitum accedat, eum comitantur et **dignior** a dextris Diaconi Missae sedet, **alter** a sinistris Subdiaconi. Si tamen sermo ab alio habeatur, tunc **ambo** perstant donec Episcopus benedictionem Concionatori impertiatur, dein sedent. Sermone absoluto, surgunt et, publicata Indulgentia, **Diaconus secundus**, si Episcopus est in Sede sua, mitram aufert, quam **dignior** iterum imponit, nisi Celebrans uti Cruce possit, dum a Choro respondetur: *Amen*, post: *Indulgentiam*, etc.

Benedictione impertita, si Episcopus non est in sua Sede, **Diaconi Assistentes** cum eo ad Thronum pergunt; quo cum pervenerint, **secundus Diaconus** mitram aufert.

905. — Si Symbolum dicendum sit, tunc postquam Episcopus cantaverit: *Credo in unum Deum*, **ambo** cum eo, submissa voce, Symbolum prosequuntur, inclinantes caput ad: *Iesum Christum*; ad: *Et incarnatus est* etc., genuflectunt; ad: *Simul adoratur*, iterum caput inclinant et in fine se signant. Recitato Symbolo, **Diaconus primus** mitram Episcopo imponit et super eius genua gremiale extendit, deinde **ambo** sedent, tecto capite. Ad verba quae inclinationes exposcunt, detegunt et inclinant caput.

906. — Decantato a Choro Symbolo, surgunt; **Diaconus secundus** gremiale et mitram aufert, quam **dignior**, Offertorio ab Episcopo

lecto, imponit; dein, extracto a Presbytero Assistente annulo, chirothecam a dextera extrahit, dum **alter** a sinistra chirothecam alteram pariter extrahit. Lotis ab Episcopo manibus, **ambo** cum eo ad Altare procedunt. Quo cum pervenerint se retrahunt et ante eius infimum gradum consistunt ut in initio Missae, facta Confessione.

Thurificato Altari, **primus Diaconus** accedit ad Episcopum, in cornu Epistolae, et ei mitram imponit, quam aufert antequam Episcopus dicat Versum: *Gloria Patri* etc., post Psalmum 25: *Lavabo* etc.

Diaconus primus incensatur immediate post Presbyterum Assistentem, **alter** post digniorem; **ambo** genuflectunt, cum Episcopus profert verba: *Qui pridie* etc., et genuflexi manent donec ipse Episcopus a genuflexione surgat, post Calicis elevationem.

907. — **Primus Diaconus**, dum Presbyter Assistens pacem recipit, absque genuflexione, Altare ascendit et sistit retro post Presbyterum Assistentem, ne eum descendentem impediatur; iunctis manibus, unico genu, peragit genuflexionem, Altare non osculatur, pacem ab Episcopo accipit, appropinquans sinistram genam sinistrae eius et complectitur eum utraque manu infra brachia, seu brachia sua supponit brachiis Episcopi (D. 2915 ad 7) respondens: *Et cum spiritu tuo*. Tum genuflexionem iterum peragit et se ad suum confert locum. Dum ille pacem accipit, **alter** similiter retro post illum ascendit, et pacem eodem modo accipit.

908. — **Uterque** caput profunde inclinat ad benedictionem; qua impertita, si Evangelium S. Ioannis legendum sit, ascendunt Altare et cum Episcopo descendunt atque ad Thronum procedunt; si vero aliud Evangelium est legendum, tunc, lectione absoluta, pariter ad Altare ascendunt et se ut supra gerunt.

909. — Cum Episcopus in Thronum ascenderit et Evangelium S. Ioannis absolverit, **Diaconi Assistentes** statim Ministris Missae locum cedunt; Episcopo reverentia peracta, cum Presbytero Assistente discedunt ad paramenta deponenda; habitu canonicali reassumpto, iterum ad Thronum revertuntur et, cum Missae Ministri discesserint, ad latera Episcopi accedunt, eique respondent, scilicet alternatim Canticum cum Psalmo et Versiculis in gratiarum actione post Missam, recitant.

Precibus absolutis, de Throno cum Episcopo descendunt et se gerunt ut in recessu Episcopi ab Ecclesia (v. n. 527 et 528).

ARTICULUS V.

De Diacono Missae ad Missam solemnem pontificalem ad Thronum.

910. — Diaconus, de cuius officio generatim diximus sub n. 545 et 547, cum ceteris Canonicis, more solito, procedit ad associandum Episcopum (v. n. 519 et seqq.); cum ad Secretarium pervenerit, brevi oratione facta cum aliis Canonicis, pergit ad paramenta induenda, recitans, si lubet, Orationes pro Sacerdote Missam celebraturo praescriptas; quo casu cum dalmaticam sumit profert: *Indue me, Domine, indumento salutis, et vestimento laetitiae et dalmatica iustitiae circumda me semper*. Manipulum autem non assumit. Ad nutum Caeremoniarii secundi, post Subdiaconum ad Altare procedit; reverentia Cruci et Episcopo facta, sedet super scamnum, ad Subdiaconi dexteram, vel consistit sicut Chorus.

Si vero numerus Canonicorum magnus sit, tunc Diaconus pergere potest ad paramenta sumenda dum Canonici procedunt ad Episcopum associandum, et ante eiusdem Episcopi adventum accedit cum Subdiacono ad Altare et super scamnum suum sedet; quo in casu, quum Episcopus ad Faldistorium venerit, surgit eique profunde se inclinat.

Ad: *Deus, in adiutorium* etc., se signat et ad: *Gloria Patri* etc., se ad Altare convertit et sic manet per totum Hymnum; quo absoluto, consistit ut prius, et perstat donec Subdiaconus revertatur, dein sedet.

911. — Dum Episcopus manus lavat, Diaconus procedit cum Subdiacono ad Thronum; cum Diaconi Assistentes de Throno descendunt, accedit ad Episcopi dexteram et, Subdiacono adiuvante, illum induit sequenti modo.

Singula paramenta a Caeremoniario primo accipit; amictum circa extremitates et cordulas accipit, eum, iuxta parvam Crucem, osculatur et Episcopo eum in medio, ubi Crux adest, osculandum offert; albam super Episcopi caput immittit, deinde circa collum et brachia aptat; cingulo albam constringit, eamque ita aptat ut circumcirca aequaliter defluat; deosculata in parte Cruce pectorali, Episcopo osculandam offert et eius collo imponit ita ut ante pectus pendeat; accepta stola, etiam eam, iuxta Crucem, osculatur, tum Episcopo offert deosculandam in Cruce, eamque super humeros eius ita applicat ut nec collum tegat, nec transversa sit in modum Crucis, sed aequaliter ante pectus pendeat; pluviali Episcopum induit,

tandem et mitram imponit (v. n. 542); deinde, debitis peractis reverentiis, cum Subdiacono de Throno descendit, ad locum suum pergit et, si Psalmi Horae Tertiae nondum sint absoluti, sedet.

912. — Ad: *Sicut erat* etc., in fine tertii Psalmi, surgit cum Subdiacono et consistit. Decantato: *Benedicamus Domino*, iterum cum Subdiacono ad Thronum pergit et, quum Diaconi Assistentes descendunt, accedit ad Episcopi dexteram.

Diaconus exiit pluviali Episcopum, quod Caeremoniario tradit; una cum Subdiacono tunicellam accipit et super caput imponit, tum chordulas, super dexterum humerum positas, constringit, dein dalmaticam apprehendit, eodemque modo imponit. Tum capit dexteram chirothecam et in dextera manu imponit, prius manum, mox chirothecam osculando, ac postea planetam accipit et Episcopo imponit.

Si Episcopus Pallio uti eo die potest, tunc Diaconus Pallium ex lance sumit et offert Episcopo sedenti osculandum in Cruce posteriori, scilicet quae in medio Pallii a parte posteriori est, et advertat, dum illud capit, ut partem duplicem Pallii capiat dextera manu, simplicem vero sinistra, illudque una cum Subdiacono aptat, ut humeros Episcopi aequaliter ambiat, et pars duplex Pallii ponatur super sinistro humero Episcopi. Quo facto, idem Diaconus capit unam ex tribus spinulis, videlicet pulchriorem eamque infigit Cruci anteriori Pallii ante pectus existenti et istam firmat tribus ocellis sericeis nigri coloris, qui sunt in ipsa Cruce, ac tali modo ut spinulae extremas sit versus dexteram Episcopi et gemma ad sinistram; spinulam aliam in Cruce sinistri humeri infigit et gemma adest versus humerum Episcopi, extremas versus pectus, tertiam Subdiaconus infigit. « Spinulae taliter infigendae sunt ut... Crucem pertranseant, non autem perforent Pallium, neque planetam tangant; non enim figuratur ad retinendum Pallium, sed ad mysterium Passionis significandum (Sac. Caer. S. R. Eccl., L. III, cap. XV).

Tum Diaconus a Ministro accipit mitram et Episcopo eam imponit; dein cum Subdiacono descendit in planum, ubi manipulum accipit. Incenso imposito, ad nutum Caeremoniarum primi, ad Altare maius procedit, ante Episcopum, a sinistris Presbyteri Assistentis, tecto capite.

Si Secretarium non adsit, manipulo assumpto, pariter ad Altare procedit, ad sinistram Presbyteri Assistentis, sed detecto capite.

913. — Quum ad Altare pervenerit, sistit ante infimum gradum versus cornu Evangelii, facie ad cornu Epistolae versa, nam in eodem

loco aufert Episcopo mitram (v. n. 543); dein ad eiusdem sinistram (v. n. 947), facta Altari profunda reverentia, respondet Episcopo cum Presbytero Assistente et Subdiacono; cum dicit: *Misereatur tui; tibi Pater*, et: *te Pater*, caput versus Episcopum profunde inclinat. Dicto ab Episcopo: *Indulgentiam*, etc., Diaconus aliquantulum recedit ut Subdiaconus Episcopo manipulum imponat; quo facto, ad sinistram Episcopi revertitur et cum ille dicit: *Oremus*, ad eius dexteram transit; simul cum eo ad Altare ascendit, elevans sinistra manu anteriorem vestis fimbriam eiusdem aliquantulum a suo latere.

Deosculato ab Episcopo textu Evangelii, Diaconus, se paulum retrahens, locum praebet Thuriferario a quo, dextera manu, naviculam accipit; hac sinistra ad nodum confestim prehensa, cum apertura ad Episcopum conversa dexteraeque pollice et indice cochlear, absque incenso, super naviculae oram prominens tenendo cum oculis offert dicens: *Benedicite, Pater Reverendissime*, vel si Episcopus sit Cardinalis: *Benedicite, Eminentissime et Reverendissime Pater*, eique ministrat naviculam ut thus in thuribulum iniiciat deosculando et cochlear in manubri extremo et Episcopi dexteram in parte exteriori, dum iste cochlear in manu capit; postmodum dexteram operculo naviculae, ne claudatur, apponit. Iniecto thure, recipit cochlear, osculatus prius Episcopi manum, deinde cochlear: et hoc in navicula reposito, naviculam ipsam Thuriferario tradit. Mox accipit thuribulum, dextera comprehendens in summitate catenulas, quas osculatus in laevam manum Episcopi admittit, sinistra vero catenulas ipsas iuxta operculum continens, quas eiusdem Episcopi dexterae, cum huius osculo, tradit. Dextera subinde infra pectus posita, cum sinistra posteriorem planetae fimbriam circa humerum dexterum Episcopi paululum sublevat, eumque in Altaris incensatione comitatur, Cruci se inclinans cum eo. Altari thurificato, thuribulum cum oculis recipit et in planum descendit; ibi, accepta ab Episcopo mitra, eum triplici ductu incensat, profunda, ante et post, reverentia facta, ac tandem thuribulum tradit Thuriferario. Cum Subdiacono ad scamnum in cornu Epistolae pergit et consistit, detecto capite, iunctisque manibus, vel sedet, tecto capite, prout Episcopus stat vel sedet, etiam si Presbyter et Diaconi Assistentes stare debent.

Ad Introitum se signat; *Kyrie* etc., alternatim cum Subdiacono recitat; Episcopo sedente, sedet. Quum ultimum cantatur *Kyrie*, surgit, et, decantatis ab Episcopo verbis: *Gloria in excelsis Deo*, Hymnum cum Subdiacono prosequitur, non omittens solitas incli-

nationes et in fine se signat. Hymno recitato, sedet, tegit caput, quod detegit et inclinatur dum canuntur verba: *Adoramus te; Gratias agimus tibi; Iesu Christe; Suscipe deprecationem nostram*, et iterum ad: *Iesu Christe*.

Hymno a Choro decantato, surgit et consistit ad cantum Orationis vel Orationum; quibus absolutis, sedet infra cantum Epistolae, Gradualis, etc.

914. — Dum Episcopus Evangelium legit, vel circa finem cantus Sequentiae, si ea locum habeat, Diaconus accipit a Caeremoniario Evangeliarium, quod ante pectus elevatum tenet, utraque manu, ad inferiores angulos cum apertura ad suam sinistram conversa; ad Altare procedit, ante infimum gradum Cruci reverentiam peragit, ascendit et in medio Altaris librum clausum deponit (D. 4077 ad 3) cum apertura cornu Evangelii versa; dein per gradus laterales ad Thronum pergit, ibique consistit ante infimum gradum; Episcopo reverentiam peragit, ascendit, inclinatus osculatur eiusdem dexteram, tum descendit, reverentiam iterat et revertitur per planum ad medium Altaris ubi, genuflexus super infimum eius gradum, capite inclinato iunctisque manibus, secreto dicit: *Munda cor meum, ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiae Prophetae calculo mundasti ignito: ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

Postea surgit, ascendit ad Altare, accipit Evangeliarium, uti supra, descendit et apud infimum gradum, versus cornu Epistolae, expectat ad dexteram Subdiaconi donec sit tempus eundi. Ad nutum Caeremoniarii secundi, cum aliis reverentiam Cruci peragit et procedit ad Thronum, solus incedens, post Subdiaconum; quo cum pervenerit, ante Episcopum sistit et profunde inclinatus benedictionem petit dicens: *Iube, domne, benedicere*; inclinatus manet donec benedictionem acceperit; tum profundam reverentiam Episcopo iterat et procedit ad Evangelium cantandum eodem ordine quo ad Thronum accesserit.

Cum venerit ad locum ubi solet decantari Evangelium (v. n. 958-960), Diaconus aperit librum, quem ponit in manibus Subdiaconi, vel in legili collocat, dein aperit, et, iunctis manibus, cantat: *Dominus vobiscum*; postea, disiungens manus, ponit sinistram super Evangeliarium (D. 2572 ad 11) et pollice dextero, quem dimovet a reliquis digitis extensis iunctisque invicem, signat principium textus Evangelii, interim cantans: *Sequentia*, vel *Initium*, deinde seipsum signat,


sinistra infra pectus posita, in fronte, ad verba: *sancti Evangelii*; in ore, nihil dicens; in pectore ad verba: *secundum N.* Dum a Choro canitur: *Gloria tibi, Domine*, thuribulum accipit, videlicet sinistra manu catenulas prope manubrium, easdemque iuxta operculum dextera constringendo: tum sinistra pectori admota, dextera thuribulum aliquantum sublevat, ter librum ipsum incensat in medio scilicet, a dextris et a sinistris ipsius Evangeliarium: dextera vero pars libri correspondet sinistrae Diaconi; sinistra dexterarum; dein thuribulum Caeremoniario tradit et, iunctis manibus, Evangelium canere incipit. Ad nomen Iesu, Mariae et Sancti, cuius Festum celebratur vel fit specialis Commemoratio, erga librum flectit caput; si vero nomen Sancti cuius Festum, vel Commemoratio, agitur, occurrit in titulo, caput non flectit (D. 3767 ad 25). Itemque, cum opus fuerit, genuflectit.

Completo Evangelii cantu, manu dextera, indicat Subdiacono principium Evangelii; si vero Evangeliarium collocatum fuerit in legili, tunc de eo sumit et apertum tradit Subdiacono, eique initium sacri textus monstrat, deinde pergit ad scamnum suum.

915. — Si sermo habendus est, Diaconus, demonstrato Evangelii textu Subdiacono, accedit ante infimum Altaris gradum, ibique Episcopum expectat, cum eo ad Altare ascendit et sedet in scamno ad eiusdem dexteram; si sermonem Episcopus in ambone facit, tunc et ipse ad pulpitem pergit, sedet congruo in loco, apud eiusdem Episcopi dexteram; si Episcopus sermonem in Sede dicit, ipse sedet in consueto scamno in latere Epistolae.

Diaconus, si sermo habitus est ad Altare, eo expleto, descendit in planum; Episcopo reverentia peracta, transit ad cornu Evangelii; si sermo ad Sedem, pergit ad Thronum et sistit ante eius infimum gradum ad sinistram Cathedrae; si sermo habitus est in ambone, consistit in eodem loco; in omnibus casibus conversus ad Episcopum, Confessionem cantat; dicens: *Tibi Pater; Te Pater*, profunde se inclinatur.

916. — Tonus ad « Confiteor ».



Confi-te-or De-o omni-po-tenti, be-a-tae Ma-ri-ae semper Vir-
 gi-ni, be-a-to Micha-ë-li Archange-lo be-a-to Io-anni Bap-
 tistae, sanctis Aposto-lis Petro et Paulo, omni-bus Sanctis,
 et ti-bi, pa-ter, qui-a pec-ca-vi nimis co-gi-ta-ti-o-ne, ver-bo
 et o-pe-re: me-a culpa, me-a culpa, me-a ma-xima culpa.
 Ide-o pre-cor be-a-tam Ma-ri-am semper Vir-gi-nem, be-a-tum
 Micha-ë-lem Archange-lum, be-a-tum Io-annem Bap-ti-stam,
 sanctos A-posto-los Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et te,
 pa-ter, o-ra-re pro me ad Domi-num De-um nostrum.

917. — Benedictione ab Episcopo impertita, Diaconus pergunt ad suum scamnum. Postquam Episcopus decantaverit verba: *Credo in unum Deum*, iunctis manibus, Diaconus cum Subdiacono Symbolum prosequitur inclinans caput ad: *Iesum Christum*; ad: *Et incarnatus est* etc., suo in loco genuflectit; ad: *Simul adoratur*, iterum caput inclinat et in fine se signat. Recitato Symbolo, sedet, caput tegit, quod detegit ad verba quae inclinationes exposcunt et ad: *Et incarnatus est*.

Ad verba: *Crucifixus etiam* etc., caput detegit, surgit, « accedit ad abacum, et capit bursam » (Caer. Episc., L. I, cap. IX, n. 3), quam extensam et quodammodo supinam, utroque pollice et indice circa orbem distento, ac reliquis digitis subter eam iunctis, hinc inde sustinens, elevatamque usque ad oculos cum apertura ad se conversa, ad Altare defert, debitis cum reverentiis Episcopo et Altari peractis. De bursa, quam sinistra e superiori latere super mensam premit, dextera corporale extrahit; deinde bursam ad Evangelii cornu collocat, et ambabus manibus in medio Altaris corporale explicat; Altaris Cruci reverentia tantum peracta, per gradus laterales se ad locum suum confert.

918. — Decantato a Choro Symbolo, surgit; cum Episcopus procedit ad Altare et ipse accedit, ante infimum gradum consistens, versus cornu Epistolae; Episcopo reverentia facta, mitram ei aufert, tum cum eo reverentiam profundam Cruci peragit et ad eius dexteram ascendit elevans, sinistra manu, anterioris vestis Episcopi fimbriam aliquantulum a suo latere.

Ad Altare in cornu Epistolae consistens, Calicem a Subdiacono delatum discooperit, Patenam cum hostiis de eius manu apprehendit, ex quibus unam accipiens, cum ea tangens alteram ac Patenam et Calicem, intus et extra, frangit atque Sacristae praegustandam praebet. Mox Patenam cum altera hostia in manus Episcopi, cum osculis, porrigit et dum Episcopus recitat Orationem: *Suscipe, sancte Pater* etc., infundit parum vini et aquae ex ampullis in aliquem cyathum et Sacristae ebibendum praebet; dein ipse Diaconus « Calicem tergit Purificatorio » (Caer. Episc., L. II, cap. VIII, n. 62); accepto de manu Subdiaconi urceolo vini, infundit vinum in Calicem, quantum sufficit, Episcopo inspiciente; immissis a Subdiacono nonnullis aquae guttulis, extergit purificatorio guttas Calici intus adhaerentes, debitis cum osculis, more solito, Calicem Episcopo porrigit, dein digitis dexterae sub Calicis pede admotis oculisque ad Crucem elevatis recitat cum Episcopo: *Offerimus tibi, Domine*, etc.

919. — Calicem postmodum ab Episcopo Altari superpositum palla cooperit; quo peracto, Patenam Subdiacono tradit et, pronuntiato ab Episcopo: *Veni, sanctificator* etc., eidem ministrat ad impositionem incensi et ad thurificationem Altaris, ut in initio Missae (v. n. 913); sed dum Oblata incensantur, extremis dexteræ digitis, pedem Calicis tenet, ne evertatur, et sinistra posteriorem planetæ fimbriam, circa humerum dexterum Episcopi parum subleuat; cum vero Crux est incensanda, Calicem ad cornu Epistolæ, intra Corporale, statuit, et, Cruce thurificata, Calicem in medio Altaris reponit, ut prius. Postquam Episcopus mitram acceperit, eum, triplici ductu, incensat, tum paulisper expectat donec Presbyter Assistens mapulam Episcopo ministraverit, eundem, duplici ductu, incensat, deinde, eodem modo, Diaconos Assistentes, tandem Chorum (v. n. 591). Canonicis incensatis, ad Altare revertitur, Subdiaconum incensat, ac postea thuribulum tradit Thuriferario et ipse, stans post Episcopum in gradu Altaris infra suppedaneum, thurificatur.

920. — Infra Praefationem, si Chori incensatio peracta sit, a tergo Episcopi stat; ad verba: *Domino Deo nostro*, et ad nomina Iesu et Mariæ, si occurrant, caput inclinat. Pariter cum nominatur S. Ioseph, in eius Festis, nec non nomen Sancti cuius Festum celebratur, si propria habeat Praefatio, et per eorum Octavas, caput inclinat (D. 4057 ad 5).

Circa finem Praefationis ad dexteram Episcopi accedit et cum eo recitat: *Sanctus* etc. Quo dicto, non descendit retro post Episcopum, sed sistit in suppedaneo ad dexteram, aliquantulum post eum. Quum vero Episcopus dicit: *Benedixit*, in suppedaneo genua flectit, ac cum sacra elevatur Hostia, dextera manu pectori admota, sinistra infimam posteriorem planetæ partem in medio capiens, aliquantulum attollit eamque dimittit, antequam Episcopus genuflectat (Caer. Epist., L. I, cap. IX, n. 5; L. II, cap. VIII, n. 69; D. 3535 ad 2). Peracta ab Episcopo genuflectione, surgit cum eo, ac pallam a Calice detrahit; mox iterum genuflexus, ad elevationem Calicis similiter posteriorem extollit planetæ fimbriam, ac dum Episcopus Calicem demittit, assurgit, et, suo loco depositum palla cooperit; tandem, facta cum Episcopo genuflectione, sistit ut prius. Ad: *Supplices te rogamus* etc. minime se inclinat, nec ad: *Omni benedictione*, se signat; nec ad: *Nobis quoque peccatoribus*, pectus percutit (D. 3535 ad 3). Factis ab Episcopo signis Crucis ad verba: *vivificas, benedicis*, super Hostiam et Calicem, Diaconus Calicem detegit, genuflectit et surgit cum Episcopo; denique ad: *Per ipsum*, etc., duobus dexteræ digitis pedem

Calicis firmat (Caer. Epist., L. I, cap. IX, n. 5), et, Hostia super Corporali reposita, iterum Calicem contegit, genuflectit cum Episcopo et simul surgit, ibi consistens.

Cum Episcopus incipit: *Pater noster*, Diaconus, facta genuflectione, ad secundum descendit gradum, post Episcopum; ad: *Et dimitte nobis* etc., iterata genuflectione, ascendit denuo ad Celebrantis dexteram, accipit Patenam de manu Subdiaconi, detegit purificatorio, illam osculatur et porrigit, cum manus osculo, Episcopo. Quum Celebrans Hostiæ Patenam supponit, Diaconus Calicem detegit, genuflectit et surgit cum Episcopo, atque parum inclinatus cum eodem recitat: *Agnus Dei* etc.; ad: *miserere nobis*, et ad: *dona nobis pacem*, pectus percutit (D. 3535 ad 3), deinde genuflectionem peragit et ad sinistram Episcopi transit.

921. — Dum Diaconus primus Assistens pacem accipit, Diaconus Missae, genuflectione facta, descendit in planum ad dexteram Subdiaconi; cum secundus Diaconus Assistens item pacem accipit, ipse, absque genuflectione, Altare ascendit, post secundum Diaconum Assistentem, ne eum descendentem impediat; iunctis manibus, unico genu peragit genuflectionem, Altare non osculatur et pacem ab Episcopo accipit appropinquans sinistram genam sinistrae eius, et complectitur Episcopum, utraque manu, infra brachia, seu brachia sua supponit brachiis Episcopi (D. 2915 ad 7), respondens: *Et cum spiritu tuo*. Tum statim genuflectionem iterum peragit, ad Episcopi sinistram transit et cum Presbyter Assistens revertitur, ipse debitis cum genuflectionibus, ad dexteram Episcopi accedit. Quum vero Episcopus dicit ter: *Domine, non sum dignus* etc., mediocriter se inclinat, sed nihil dicit, nec pectus percutit (D. 3535 ad 3); dum Episcopus, utraque Specie, se communicat, erga Altare Diaconus se inclinat, minime vero tempore intermedio.

Pretioso Sanguine ab Episcopo sumpto, Diaconus infundit vinum in Calicem pro purificatione, deinde in digitorum ablutionem ministrat vinum et aquam; ante lotionem, Episcopo, in cornu Epistolæ, mitram imponit, quam, lotionem peracta, ei aufert, deinde sistit in gradu secundo, retro post Episcopum. Lecta «*Communionem*», per eundem secundum gradum se confert cum Episcopo ad Altaris medium et post: *Dominus vobiscum*, redit cum ipso ad cornu Epistolæ, ubi ad Orationem, vel ad Orationes, stans a tergo eiusdem Episcopi, flectit cum eo caput. Completis Orationibus, iterum cum Episcopo se ad medium Altaris confert, ubi ab eodem Episcopo decantato: *Dominus vobiscum*, ita se volvit per latus, suum dexterum ad popu-

lum ut terga vertat Episcopo, sicque stans, iunctis manibus, cantat: *Ite Missa est.*

922. — Dicta ab Episcopo Oratione: *Placeat* etc., Diaconus mitram ei imponit; infra benedictionem inclinatus consistit in cornu Evangelii, facie ad Episcopum conversa; benedictione impertita et publicata Indulgentia, si publicanda sit, mitram Episcopo aufert.

Si Episcopus uti Cruce potest, mitram ad benedictionem non imponit; si uti s. Pallio potest, data benedictione et publicata Indulgentia, si publicanda, extrahit illi s. Pallium, quod super Altare deponit.

Postquam Episcopus Altare signaverit, mitram ei imponit et, Cruci Altaris reverentia peracta, per laterales gradus ante Episcopum, ad sinistram Presbyteri Assistentis, ad Thronum procedit. Si aliud Evangelium, loco S. Ioannis, legendum sit, tunc Diaconus mitram Episcopo imponit; absoluta Evangelii lectione, se ut supra gerit.

923. — Cum ante infimum Throni gradum pervenerit et Episcopus S. Ioannis Evangelium absolverit, manipulum deponit; Diaconis Assistentibus recedentibus, ad dexteram Episcopi accedit. Cum Episcopus baculum deposuerit, Diaconus mitram aufert, dein, Subdiacono adiuvante, Episcopum exiit; stolam, Crucem pectoralem, necnon amictum Episcopo deosculanda exhibens, ac postea una cum Subdiacono, reverentia Episcopo peracta, de Throno descendit, ad scamnum suum pergit et perstat donec Subdiaconus, caligis ac sandaliis super abacum depositis, redierit; statim cum eo, debitis cum reverentiis Episcopo et Altari, ad Sacristiam pergit sacra paramenta depositurus.

ARTICULUS VI.

De Subdiacono Missae

ad Missam solemnem pontificalem ad Thronum.

924. — Subdiaconus, de cuius officio generatim diximus sub n. 546 et 547, cum ceteris Canonicis more solito procedit ad associandum Episcopum (v. n. 519 et seqq.). Cum Episcopus ad Secretarium pervenerit, brevi oratione facta, cum aliis Canonicis procedit ad paramenta induenda, recitans, si placet, Orationes pro Sacerdote Missam celebraturo praescriptas; quo casu cum tunicellam sumit profert: *Tunica iucunditatis, et indumento laetitiae, induat me Dominus.* Manipulum autem non assumit. Ad nutum Caeremoniarum

secundi, post eundem Caeremoniarum ad Altare procedit; reverentia Cruci et Episcopo facta, sedet super scamnum ad Diaconi sinistram, vel consistit sicut Chorus.

Si vero Canonicorum numerus magnus sit, tunc Subdiaconus pergere potest ad paramenta sumenda, dum Canonici procedunt ad Episcopum associandum; ante eiusdem Episcopi adventum accedit cum Diacono ad Altare et super scamnum suum sedet; quo casu cum Episcopus ad Falditorium venerit, surgit et profunde ei se inclinatur.

Ad: *Deus, in adiutorium* etc., se signat et ad: *Gloria Patri* etc., se ad Altare convertit et sic manet per totum Hymnum; quo absoluto, ad abacum accedit, caligas et sandalia super pelvim accipit, manibus velo coopertis, ad Thronum defert, debitis cum reverentiis. Postquam Cubicularius Episcopum calceis ordinariis exuerit, Subdiaconus « genuflexus induit primo in dextero, deinde in sinistro pede Episcopi » (Caer. Episc., L. II, cap. VIII, n. 7), vel, iuxta consuetudinem plurium Ecclesiarum, assistit dum Cubicularius caligis et sandaliis Episcopum induit (D. 4015 ad 2); dein, reverentiis peractis, ad locum suum pergit.

925. — Dum Episcopus manus lavat, Subdiaconus procedit cum Diacono ad Thronum; quum Diaconi Assistentes de Throno descendunt, accedit ad Episcopi sinistram et Diaconum adiuvat dum illum sacris paramentis induit, scilicet chordulas amictus, post tergum ducendo, manicam sinistram albae elevando, vittas mitrae a tergo elevando. Episcopo parato, cum Diacono, debitis cum reverentiis, de Throno descendit, ad locum suum pergit et, si Psalmi Horae Tertiae nondum sunt absoluti, sedet.

926. — Ad: *Sicut erat* etc., in fine tertii Psalmi, surgit; comite Caeremoniarum secundo, debitis cum reverentiis Altari et Episcopo, accedit ad locum ubi Epistola solet legi et, accepto libro, Capitulum canit; quo absoluto, librum Caeremoniarum reddit et ad locum suum se confert. Decantato: *Benedicamus Domino*, iterum cum Diacono ad Thronum pergit et quum Diaconi Assistentes descendunt, accedit ad Episcopi sinistram. Diaconum adiuvat dum pluviale Episcopum exiit; tunicellam, dalmaticam eum induit et constringit chordulas earum super humerum sinistram positas. Tum, sedente Episcopo, Subdiaconus imponit chirothecam in sinistra, prius manum et mox chirothecam osculando, dum interim Diaconus alteram in dextera imponit. Deinde adiuvat Diaconum dum planetam imponit, atque s. Pallium, si Episcopus eo utatur, elevans manu dextera partem

quae a tergo pendere debet; infigit tertiam spinulam Cruci posteriori, ita ut extremitas spectet Episcopi humerum sinistrum, gemma vero dexterum. Dum Episcopus mitram accipit, elevat a tergo eius vittas, deinde cum Diacono descendit in planum, ubi manipulum accipit et librum Evangeliorum, in quo manipulus Episcopi includitur, eumque tenet, utraque manu, ante pectus ita ut apertura libri sit ad suam sinistram. Incenso imposito, ad nutum Caeremoniarum primi, ad Altare maius procedit tecto capite, solus post Canonicos, sed ante Presbyterum Assistentem et Diaconum.

Si Secretarium non adest, Missali accepto, eodem ordine, ad Altare procedit, sed detecto capite.

927. — Cum ad Altare pervenerit tradit Caeremoniario primo Evangeliorum librum, ante infimum gradum sistit, ad sinistram Diaconi, sed parum retro (v. n. 947); facta Cruci Altaris profunda reverentia, cum Presbytero Assistente et Diacono respondet Episcopo; cum dicit: *Misereatur tui; tibi Pater*, et: *te Pater*, caput versus Episcopum profunde inclinatur. Cum Episcopus profert: *Indulgentiam*, etc., accipit manipulum ex libro Evangeliorum et, prolatis verbis: *Misericors Dominus*, accedit ad Episcopum, ante Diaconum, manipulum non in Cruce, sed in latere, osculatur, Episcopo reverentiam peragit eique osculandum praebet, mox sinistro brachio Episcopi, manum eiusdem deosculans applicat, ipsumque religat; Episcopo reverentia peracta, ad pristinum locum recedit.

928. — Responso: *Et cum spiritu tuo*, in fine Confessionis, a Caeremoniario primo accipit Evangeliorum librum, ascendit Altare, a sinistris Presbyteri Assistentis, ibi consistens in cornu Evangelii, librum aperit in folio textus Evangelii currentis et, deosculandum praebet, tenens librum ipsum in medio ab utroque eius latere, ambabus suis manibus. Cum Episcopus librum deosculatus fuerit, Subdiaconus eum claudit et Caeremoniario tradit, dein consistens tantillum ad Altare conversus, fere ad sinistram latus Episcopi, ad impositionem incensi assistit. Sinistra manu pectori admota, cum dextera fimbriam posteriorem planetae, circa sinistram Episcopi humerum, paululum sublevat, et Episcopum in Altaris thurificatione comitatur, Cruci se cum eo inclinans. Altari thurificato, in planum, per latus Epistolae, descendit, ubi consistit ad Diaconi sinistram dum Episcopus incensatur; dein cum eodem Diacono ad scamnum in cornu Epistolae pergat et perstat, detecto capite iunctisque manibus, vel sedet, tecto capite, prout Episcopus stat vel sedet, etiamsi Presbyter et Diaconi Assistentes stare debent.

Ad Introitum se signat; *Kyrie* etc., alternatim cum Diacono recitat et, Episcopo sedente, sedet. Cum ultimum cantatur *Kyrie*, surgit; decantatis ab Episcopo verbis: *Gloria in excelsis Deo*, Hymnum cum Diacono prosequitur, non omittens consuetas inclinationes, et in fine se signat. Hymno recitato, sedet, cooperit caput, quod detegit et inclinatur dum canuntur verba: *Adoramus te; Gratias agimus tibi; Iesu Christe; Suscipe deprecationem nostram*, et iterum ad: *Iesu Christe*. Hymno a Choro decantato surgit.

929. — Circa finem ultimae Orationis, Subdiaconus accipit a secundo Caeremoniario librum Epistolarum et illum ante pectus tenens ita ut eius apertura ad suam sinistram sit, comite eodem Caeremoniario, facta Altari et Episcopo profunda reverentia, accedit ad locum ubi Epistola cantari solet, ibique ipsemet librum sustinens cantat Epistolam, caput inclinans ac genuflectens, cum opus fuerit; caput inclinandum non est quando nomen alicuius Sancti, de quo Missa celebratur, aut fit specialis Commemoratio, occurrit in titulo Epistolae (D. 3767 ad 25).

Si pro cantu Epistolae adhibetur legile, Subdiaconus librum super illud ponit, manus autem extensas tenens in extremitate inferiori eiusdem libri.

Epistola absoluta, librum clausum deferens, ut supra, ad Thronum, debitis cum reverentiis, procedit, illudque ascendit; profunde inclinatus porrigit Episcopo librum super eius genibus, et manum illius dexteram super eodem libro positam reverenter deosculatur. Benedictione accepta, de Throno descendit, Episcopo reverentiam iterum peragit, librum Caeremoniario tradit et ad suum scamnum revertitur, ubi sedet.

930. — Quum Diaconus surgit et ipse surgit; quando Diaconus, manu Episcopi deosculata, ad Altare procedit et ipse ad Altare accedit ac sistit ante infimum gradum, versus cornu Evangelii. Ad nutum Caeremoniarum secundi, facta cum aliis reverentia Altari, ad Thronum, post Ceroferarios et ante Diaconum, procedit ibique sistit inclinatus a sinistris paulo post Diaconum, qui stat in medio; inclinatus manet donec Diaconus benedictionem acceperit. Tunc eodem ordine, quo ad Thronum accesserit, pergat ad locum ubi Evangelium canendum sit (v. n. 958-960) ibique stans accipit a Diacono, ambabus manibus ad partem inferiorem librum apertum, et sic ante pectus elevatum tenet uti facies oculique eius a libro tegantur, iugiter consistens usque ad finem Evangelii, quin se signet, inclinet, aut genuflectat (Caer. Episc., L. I, cap. X, n. 3).

931. — Si ad Evangelium canendum legile adhibetur, Subdiaconus consistit post legile et ad extremitates superiores libri manus apponit, iugiter consistens, usque ad finem cantus quin se signet, inclinet, aut genuflectat cum repraesentat legile immobile (*loc. cit.*). Si vero Evangelium canendum est in ambone, tunc Subdiaconus consistit a latere dextero Diaconi, porrigit ei thuribulum et folia vertit cum opus sit (*loc. cit.*, et L. II, cap. VIII, n. 45 et 46).

932. — Cantu Evangelii absoluto, Subdiaconus, nulla prorsus facta reverentia, defert librum apertum ad Episcopum et ei osculandum offert, dein librum claudit, profundam Episcopo reverentiam peragit, de Throno descendit, librum Caeremoniario tradit, ac postea pergit ad scamnum suum, sed, si sermo habendus est ad Altare, accedit ante infimum eius gradum, ibique Episcopum expectat, cum eo Altare ascendit, et sedet in scamno ad Episcopi sinistram; si Episcopus sermonem in Sede dicit, Subdiaconus sedet in consueto scamno in latere Epistolae; si sermonem Episcopus in ambone facit, tunc et ipse ad pulpitem pergit, sedet congruo in loco apud eiusdem Episcopi sinistram. Sermone completo, Subdiaconus, si sermo habitus est ad Altare, descendit in planum et pergit ad scamnum suum.

933. — Benedictione ab Episcopo impertita, si sermo habitus est in ambone, procedit cum Diacono ad suum scamnum et, decantatis per Episcopum verbis: *Credo in unum Deum*, Subdiaconus, iunctis manibus, cum Diacono Symbolum prosequitur, inclinans caput ad: *Iesum Christum*; ad: *Et incarnatus est* etc., suo in loco genuflectit; ad: *Simul adoratur*, iterum caput inclinat et in fine se signat. Recitato Symbolo, sedet et caput tegit, quod, ad verba quae inclinationes exposcunt, detegit et ad: *Et incarnatus est* etc.

Ad verba: *Crucifixus* etc., surgit et perstat donec Diaconus ex Altari revertatur.

934. — Decantato a Choro Symbolo, Subdiaconus surgit et, dum Episcopus manus lavat, procedit ad abacum; illic, renibus ad populum versis, velum oblongum circa humeros accipit; deinde, sinistra nuda, Calicem ad nodum apprehendit, illumque parte veli contegit. Tum manum dexteram super ipsum velum et Calicem leviter apponit et accedit ante infimum Altaris gradum, in cornu Epistolae. Cum Episcopus ad medium Altaris pervenerit, Subdiaconus per gradus laterales ad Altare, in cornu Epistolae, ascendit. Remoto a Diacono velo, Calicem in cornu Epistolae ponit, pallam deponit, et Diacono Patenam cum Hostiis tradit; iunctis manibus, perstat,

nam Acolythus ampullas vini et aquae ministrat Diacono dum in cyathum effundit, sed, Calice per Diaconum terso, ipse ampullam vini eidem Diacono ministrat; tum ampullam aquae accipit, quam versus Episcopum elevans, parum inclinatus dicit: *Benedicite, Pater Reverendissime*, facto autem ab Episcopo super ampullam Crucis signo, paucas aquae guttas effundit in Calicem; postea de manu Diaconi recipit ampullam vini, et utranque Acolytho tradit.

Post: *Offerimus* etc., accipit inter pollicem et reliquos digitos dexteræ, absque purificatorio, Patenam sibi a Diacono extremitate veli a latere suo dextero pendente coopertam, ad pectus eam declinat; tum, per sinistram suam se revertens, descendit in planum ante medium Altaris, ubi, reverentia peracta, consistit cum Patena ante faciem elevata.

Ad: *Orate, fratres*, applicita ad pectus Patena, respondet: *Suscipiat Dominus* etc., quin se inclinet. Quum Diaconus, Choro incensato, eum thurificaturus est, reclinata Patena, ut supra, ita ad Diaconum se vertit ut latus sinistram Altari obversum habeat, eique caput flectit ante et post incensationem. In fine Praefationis non ascendit ad Altare; quum Diaconus, paulo ante Consecrationem, genuflectit, et ipse, Patena ad pectus demissa, super infimum Altaris gradum genua flectit sic manens donec Episcopus, post Calicis elevationem, a genuflexione surrexerit; tunc se erigit, ac Patenam uti antea elevatam sustinet.

Sub finem Orationis Dominicae scilicet ad verba: *Et dimitte nobis* etc., facta ibidem genuflexione, Altaris gradum conscendit, accedit ad cornu Epistolae et Diacono Patenam coopertam praebet; dimisso velo humerali, genuflexionem peragit, ad pristinum locum descendit, ubi, absque genuflexione, perstat etiam ad: *Agnus Dei* etc.

935. — Dum Diaconus pacem accipit, Subdiaconus, genuflexione peracta, Altare ascendit, sistit retro post eundem Diaconum, ne eum descendentem impediatur; iunctis manibus, unico genu peragit genuflexionem, Altare non deosculatur, pacem ab Episcopo accipit, appropinquans sinistram genam sinistrae eius et complectitur Episcopum, utraque manu infra brachia, seu brachia sua supponit brachiis Episcopi (D. 2915 ad 7) respondens: *Et cum spiritu tuo*, et ibi perstat donec Presbyter Assistens ad sinistram Episcopi redierit, Diaconus vero ad dexteram; tum ipse genuflexionem peragit et ad pristinum descendit locum. Si interim Diaconus ad Episcopi dexteram non redierit, Subdiaconus discooperit Calicem, necnon vinum et aquam ministrat.

936. — Sumpta ab Episcopo digitorum ablutione, Subdiaconus reverentiam Altari facit, ascendit ad cornu Evangelii, Calicem detegit, plicat corporale, omnia colligit ac componit, velum parvum et bursam super Calicem reponit eumque ad abacum defert, debita Cruci reverentia facta, dein ad locum suum redit, ubi, etiam infra benedictionem, inclinatus perstat, si Diaconus Missae consistat in cornu Evangelii; si vero Diaconus Missae consistat ante infimum Altaris gradum, versus cornu Epistolae, tunc ipse consistit versus cornu Evangelii et, benedictione impertita, si Evangelium S. Ioannis legendum sit, permanet in eodem loco; si aliud Evangelium, tunc assistit ad lectionem; qua absoluta, reverentiam Altari peragit, ad Thronum procedit ante Presbyterum Assistentem et Diaconum.

937. — Cum Subdiaconus ante infimum Throni gradum pervenerit et Episcopus Evangelium S. Ioannis solverit, manipulum deponit; Diaconis Assistentibus recedentibus, ad sinistram Episcopi accedit, eique manipulum exuit, quem osculandum porrigit, deinde Diaconum adiuvat Episcopum exuentem, tandem una cum Diacono, reverentia Episcopo peracta, de Throno descendit, ad abacum pergit de quo velum ac bacile sumit, et ad Thronum revertitur; Episcopo reverentia facta, genuflexus eius sandalia et caligas detrahit (D. 2634), vel, iuxta plurium Ecclesiarum consuetudinem, assistit dum Cubicularius caligas et sandalia detrahit (D. 4015 ad 2) easque velo coopertas ad abacum defert; quibus depositis, statim cum Diacono, debitis reverentiis Altari et Episcopo peractis, pergit ad Sacristiam paramenta depositurus.

ARTICULUS VII.

De Canonicis deque Choro ad Missam solemnem pontificalem ad Thronum.

938. — **Canonici**, habitu choralis induti, more solito, associant Episcopum (v. n. 519), et cum ad Secretarium pervenerint, facta brevi oratione, suis in locis, vel ibidem paramenta assumunt vel, ad nutum Caeremoniarum secundi, procedunt ad Sacristiam attiguam Secretario (v. n. 593).

Si adsint **Canonici Episcopi**, suis in locis, Clericis adiuvantibus, deponere possunt Crucem pectoralem necnon mantelletum et assumere amictum, Crucem pectoralem atque pluviale, dein sedent absque mitra.

Cum **Canonici** ad sua loca pervenerint, facta brevi oratione, consistunt et **Canonici Episcopi**, si adsint, surgunt. Secreto recitant *Pater* et *Ave*, deinde se signant ad: *Deus, in adiutorium* etc.; ad: *Gloria Patri* etc., profunde se inclinant Altaris Cruci. Incepto primo Versu Psalmi, sedent et caput cooperiunt, quod in fine cuiuslibet Psalmi detegunt et inclinant.

Cum autem Episcopus, repetita Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., surgit, et **Chorales** surgunt, nam « Cum... Episcopus surgit, singuli chori, tam Canonorum, et Beneficiatorum, quam Laicorum et Celebrantis consurgere debent » (Caer. Episc., L. I, cap. XVIII, n. 12). Accepto ab Episcopo pluviali, si Psalmi Horae Tertiae nondum sint absoluti, sedent; iterum surgunt, repetita Antiphona post Psalmos, et sic perstant donec tempus sit ad Altare maius procedendi, vel, si Secretarium non adsit, donec Episcopus, recitato *Kyrie* etc., sedeat.

Cum Episcopus ad Altare accedit faciunt ei profundam reverentiam; quum ipse Missam incipiens se signat, **omnes** se signant et Confessionem faciunt **bini** et **bini**, et etiam **terni**, si impar sit numerus; incipit qui **dignior** est, **alter** vero respondet; **dignior** dicit: *Vobis fratres; Vos fratres; Misereatur vestri; alter: Tibi Pater; Te Pater; Misereatur tui*. Alternatim *Kyrie* etc., dicunt; quo recitato et Episcopo prius sedente, **omnes** sedent. Circa finem ultimi *Kyrie* surgunt et ad intonationem Angelici Hymni ad verbum: *Deo*, caput inclinant; **bini** Hymnum prosequuntur; caput inclinant ad: *Adoramus te; Gratias agimus tibi; Iesu Christe; Suscipe deprecationem nostram*; et iterum ad: *Iesu Christe* et in fine se signant. Hymno absoluto, postquam Episcopus sederit, **omnes** sedent, caput cooperiunt quod detegunt necnon inclinant dum a Cantoribus ea verba quae inclinationes exposcunt canuntur. Hymno a Choro decantato, surgunt et iterum sedent post Orationem, vel Orationes.

Si a Subdiacono canuntur verba quae genuflexionem exposcunt, **omnes** surgunt, genuflectunt; pariter se gerunt dum similia verba a Cantoribus canuntur post Epistolam. Cum Diaconus ante Evangelium cantat: *Dominus vobiscum*, surgunt **omnes** et versus Diaconum consistunt, se signant, cum opus sit, se inclinant et versus Altaris Crucem genuflectunt.

Si sermo habendus sit, sedent suis in locis et, eo expleto, surgunt; infra benedictionem **Canonici** sistunt, **ceteri** genuflectunt.

Ad intonationem Symboli persistunt et ad verbum: *Deum*, caput inclinant; **bini** Symbolum prosequuntur et caput inclinant ad: *Iesum Christum; Simul adoratur; genu dexterum tantum flectunt ad:*

Et incarnatus est etc., atque in fine se signant. Symbolo absoluto, postquam sederit Episcopus, **omnes** sedent, caput tegunt, quod detegunt et inclinant dum a Cantoribus ea verba canuntur quae inclinationes exposcunt. Similiter caput detegunt necnon profunde inclinant ad verba: *Et incarnatus est* etc.

Symbolo a Choro decantato, **omnes** surgunt; cum Episcopus de Throno descendit et eos salutatur, se ei profunde inclinant; cum idem Episcopus ad Altare pervenerit, tunc sedent, iterum omnes surgunt cum Diaconus incipit Chori thurificationem et se gerunt ut sub n. 597 diximus. Cum **Canonici** incensati fuerint, si tempus detur, sedent dum **Beneficarii** incensantur.

Ad Praefationem omnes stant, et caput inclinant post: *Gratias agimus*, ad verba: *Deo nostro*; pariter caput inclinant quoties Episcopus in Praefatione nominat Iesum, Mariam, S. Ioseph, in eius Festis nec non nomen Sancti cuius Festum celebratur, si propria habeat Praefatio, et per eorum Octavas. Praefatione absoluta, **bini** alternatim trisagium recitant et ad: *Benedictus* etc., se signant, deinde genuflectunt donec Episcopus post Calicis elevationem a genuflexione surrexerit.

939. — Pro danda et accipienda pace haec observentur. **Primus cuiuscunque ordinis**, si praebendae sint distinctae, alias **primus cuiusque lateris**, accipit a Presbytero Assistente pacem et eam praebet Canonico subsequenti. Qui pacem dat, manus quasi supra accipientis humeros ponit et suam genam sinistram sinistrae alterius propinquat dum dicit interea: *Pax tecum*, et se, tantum pace data, inclinatur. Qui vero pacem accipit, brachia sua dantis brachiis supponit et genam suam sinistram sinistrae alterius quodammodo adiungat, respondens: *Et cum spiritu tuo*, et se, ante et post, inclinatur.

940. — Post SS. Sanguinis sumptionem **omnes** sedent; ad: *Dominus vobiscum*, surgunt et usque ad finem perstant. **Canonici** ad benedictionem profunde se inclinant, **Beneficarii** vero genuflectunt.

Cum Episcopus dimittit paramenta, **Canonici** procedunt, debitis cum reverentiis, ad Sacristiam, sua quoque paramenta deposituri, dein ad Chorum revertuntur et se gerunt ut sub n. 527 et 528 diximus.

941. — DE DUOBUS CANTORIBUS. — **Duo Cantores** ad: *Sicut erat* etc., post: *Deus, in adiutorium* etc., debitis cum genuflexionibus Episcopo et Altari, accedunt ad medium Chori et canunt Hymnum: *Nunc, Sancte*, etc.; quo absoluto, **Cantor prior** Antiphonam intonat, statim subiungit intonationem Psalmi: *Legem* etc., dein, consuetis

genuflexionibus peractis, **ambo** ad sua revertuntur loca. Reliqui Psalmi a Cantoribus intonari debent.

Dum Capitulum canitur, **duo Cantores**, iterum ad medium Chori accedunt; responso a **Choralibus**: *Deo gratias*, Responsorium breve et Versiculum alternatim cum Choro decantant. Absoluta Oratione et responso a **Choro**: *Et cum spiritu tuo*, canunt: *Benedicamus Domino*, deinde ad sua se conferunt loca.

942. — DE MINISTRO DE S. PALLIO. — Beneficiatus iam designatus, absoluto secundo Psalmo Horae Tertiae, si Celebrans s. Pallio ea die uti potest, accedit ad Sacristiam, sumit amictum, albam, cingulum et tunicellam, deinde revertitur ad Chorum. Dum Praelatus Missae paramenta accipit, accedit ante infimum Altaris gradum; genuflexione cum Acolyto ad suam sinistram consistente peracta, ascendit Altare ex quo sumit lancem cum s. Pallio, quod detectum, elevatum ambabus manibus, reverenter ad Thronum defert et, sine oculis, lancem Diacono offert.

Acceptis a Diacono spinulis, Beneficiatus, debitis cum genuflexionibus Episcopo et Altari, super abacum deponit lancem cum velo, ad Sacristiam revertitur, ubi paramenta deponit ac postea ad Chorum accedit.

943. — DE SACRISTA. — Sacrista, habitu in quo reperitur indutus, dum Episcopus manus lavat, lecto Offertorio, accedit ad abacum et sequitur Subdiaconum ad Altare; accipit a Diacono hostiam fractam eamque assumit, dein haurit aquam et vinum de cyatho ac postea ad suum se confert locum.

ARTICULUS VIII.

De Caeremoniario primo ad Missam pontificalem ad Thronum.

944. — Caeremoniarius primus, de cuius officio generatim diximus sub n. 548 et seqq., omnibus rite dispositis ad Missam solemnem pontificalem, dato signo cum campana, iuxta locorum consuetudinem, Canonicos et alios de more invitat ad associandum Episcopum, illosque praecedit (v. n. 519 et seqq.).

Cum Episcopus ad Secretarium pervenerit, facta brevi oratione in Faldistorio, ad Thronum eum praecedit cum Presbytero Assistente et Diaconis Assistentibus ac sedent omnes.

Canonicis paratis et in suis locis stantibus, innuit ut omnes surgant et Episcopo incipiendi signum dat.

945. — Incepto Psalmo, Caeremoniarius Episcopo signum sedendi dat et praemoneat Assistentes ut consistant. Precibus praeparationis, vel etiam Orationibus ad paramenta, completis, Caeremoniarius aufert Episcopo sedenti Crucem pectoralem eique osculandam praebet ac postea deponit in lance a Clerico sustentata. Cappa ab Episcopo dimissa, innuit ut Presbyter Assistens ex digito eiusdem Episcopi annulum educat et super lancem a Clerico sustentam deponat.

Ad lotionem manuum Laici et Clerici omnes, praeter Canonicos et Praelatos, assistentes, ministrantes aut circumstantes, non alii de Choro, genuflectere debent. Absternis ab Episcopo manibus, Caeremoniarius a primo Diacono accipit biretum quod Cubiculario eiusdem Episcopi tradit, dein singula paramenta a Clericis accipit et, absque osculis, Diacono Missae tradit.

Episcopo parato, si Psalmi Horae Tertiae nondum sint absoluti, sedent omnes et dum a Choro canitur Antiphona innuit ut omnes surgant; praemoneat Diaconum secundum ut, absoluto Responsorio, mitram auferat Episcopo stanti (Caer. Episc., L. II, cap. VIII, n. 18).


Decantato a Choro: *Benedicamus Domino*, Episcopus non dicit: *Fidelium animae* etc.; Caeremoniarius, acceptum a Diacono Missae pluviale Episcopi, Acolythro tradit, dein singula paramenta a Clericis accipit, et, ut supra, absque osculis, Diacono Missae porrigit.

946. — Si Secretarium adsit, Episcopus, omnibus paramentis pontificalibus assumptis, incensum in thuribulum imponit; alias directe cum suis Assistentibus ad Altare procedit (*l. c.*, n. 25; D. 2776 ad 2) sequenti ordine:

1. Subdiaconus solus, gerens librum Evangeliorum;
2. Presbyter Assistens et ad sinistram eius Diaconus Missae;
3. Episcopus, medius inter Diaconos Assistentes;
4. Caudatarius;
5. Minister de mitra et ad eius sinistram Minister de baculo.

Cum omnes ad Altare pervenerint servabunt ordinem ut in sequenti numero.

947. — Dispositio ad Confessionem.



S. D. E. P. A.

Caer. I.

D. II. A.

D. I. A.

Caud.

Min. bac.

Min. cand.

Min. lib.

Min. mit.

948. — Caeremoniarius a Subdiacono accipit Evangeliorum librum, quem infra Confessionem stans ad sinistram eiusdem Subdiaconi, sed paulum retro, tenet, utraque manu, ante pectus cum apertura ad suam sinistram versa. Ad: *Indulgentiam*, etc., accedit ad Subdiaconum, qui e libro manipulum sumit et ad: *Oremus*, Caeremoniarius porrigit Subdiacono librum, quem recipit et Clerico tradit postquam ab Episcopo deosculatus fuerit.

Altari thurificato, praeit ante omnes ad Thronum. Recitato ab Episcopo: *Kyrie* etc., innuit ut omnes sedeant, si cantus longius pertrahatur, et in casu, dum a Choro ultimum *Kyrie* cantatur, signum surgendi dat.

Dum a Choro Angelicus Hymnus canitur, Episcopo caput inclinandi, aliisque detegendi, necnon inclinandi signum dat ad: *Adoramus te; Gratias agimus tibi; Iesu Christe; Suscipe deprecationem nostram*; et iterum ad: *Iesu Christe* (D. 1563 ad 1); quum autem postrema Hymni verba concinuntur, nempe: *Cum Sancto* etc., signum surgendi dat.

Oratione vel Orationibus absolutis, sedent omnes. Dum a Subdiacono Epistola canitur, vel etiam a Diacono Evangelium, signum dat Episcopo caput inclinandi, aliis vero detegendi et inclinandi adversus Altare; ad nomen autem Mariae et Sancti, de quo Missa celebratur, vel specialis fit commemoratio (minime vero in titulo Epistolae vel Evangelii), inclinandi illud versus librum Subdiaconi vel Diaconi, nisi in loco principali Altaris habeatur Statua, vel Imago,


Sancti, ad quam caput inclinandum est (D. 3767 ad 25). Si porro genuflectendum sit, omnes suo in loco genuflectunt.

Decantata Epistola innuit ut Presbyter Assistens et Diaconi Assistentes assurgant. Si infra lectionem Epistolae, Gradualis atque Evangelii occurrant verba ad quae genuflectendum sit, praemoneat Episcopum et Assistentes ut non genuflectant (D. 2184 ad 4), sed id peragant, suis in locis, dum haec verba canuntur vel a Diacono, vel a Subdiacono, vel a Choro, et, cum tempus sit, innuit ut Caudatarius apud Cathedram pulvinum collocet; Cantorum Magistrum etiam praemoneat ne illorum cantus incipiatur, nisi lectio Evangelii ab Episcopo absoluta fuerit.

Circa finem lectionis Evangelii, Diacono signum dat ad Thronum accedendi, nisi canenda sit a Choro Sequentia; quo in casu circa eius finem signum dat.

Si absoluto Evangelii cantu, sermo habendus est et Episcopus in Sede dicat, innuit ut Caudatarius transferat scabellum Presbyteri Assistentis ad sinistram Cathedrae; si sermo ad Altare habeatur, tunc Clericos praemoneat ut, cum Diaconus librum Evangeliorum ab Altari acceperit, Faldistorium et scamna in suppedaneo disponantur ut in sequenti numero.

949. — Dispositio ad sermonem si ad Altare habendus sit.



F = Faldistorium. - Scabellum pro: Presbytero Assistente. 1; Diacono I Ass., 2; Diacono II Ass., 3; Diacono, 4; Subdiacono, 5; Ministro mitrae, 6; Ministro baculi, 7; Ministro candelae, 8; Ministro libri, 9. - Caud. Crucif. = loca ubi Caudatarius et Crucifer (si adsit) sedere possunt.

950. — Evangelii cantu absoluto et Episcopo thurificato, si sermo ad Altare habendus est, ad Altare, more solito, proceditur; si sermonem in ambone Episcopus dicit, tunc servetur ordo sequens: Si Episcopus uti potest Cruce, praecedit Crucifer, dein incedit Diaconus cum Subdiacono, post eos Presbyter Assistens, dein Episcopus medius inter Diaconos Assistentes; Caudatarius sustinens caudam sequitur Episcopum, tandem sequuntur Ministri mitrae, baculi, libri et candelae.

Si sermo habendus est per Canonicum, vel per alium Clericum, praemoneat Assistentes ut consistant, dum Episcopus benedictionem Concionatori impertit.

Decantatis ab Episcopo verbis: *Credo in unum Deum*, innuit ut Caudatarius apud Cathedram pulvinar collocet.

Dum a Choro Symbolum cantatur, Episcopo inclinandi, aliisque detegendi, necnon inclinandi, caput signum dat ad: *Iesum Christum; Et incarnatus est; Simul adoratur*. Quum verba canuntur: *Et vitam venturi etc.*, surgendi signum dat.

Circa finem Secretarum innuit ut Minister de libro ascendat ad Altare et Canonem Pontificalem ad Presbyterum Assistentem deferat; priusquam Episcopus cantum Praefationis incipiat, Caeremoniarius ipse de eiusdem capite pileolum detrahit et deponit super lancem ab Acolytha sustentam.

Quum Episcopus profert verba: *Qui pridie etc.*, signum genuflectendi dat.

Pacem accipit ab Episcopo Presbyter Assistens, praemisso Altaris osculo, dein Diaconus primus Assistens, secundus, Diaconus et Subdiaconus, qui omnes Altare non deosculantur. Caeremoniarius pacem accipit a secundo Caeremoniario.

Pretioso Sanguine sumpto, Caeremoniarius sumit de lance pileolum Episcopi et reponit ei in capite.

Si Episcopus uti Cruce potest, praemoneat Cruciferum ut, decantatis verbis: *Ite Missa est*, coram Episcopo consistat pro benedictione; si Episcopus, eo die, uti potest etiam s. Pallio, praemoneat Diaconum ut, benedictione impertita, et publicata Indulgentia, si publicanda, illud Episcopo auferat et super Altare deponat.

Dum Episcopus paramentis exuitur, ea a Diacono accipit et Clericis tradit. Cappa ab Episcopo reassumpta, Crucem pectoralem ei imponit (v. n. 527).

ARTICULUS IX.

De Caeremoniario secundo ad Missam pontificalem ad Thronum.

951. — Caeremoniarius secundus, de cuius officio generatim diximus sub n. 548 et seqq., cum Canonici ad associandum Episcopum procedunt, moneat Clericum ut cum vasculo aquae benedictae ad ianuam Ecclesiae pergat ibique ad sinistram subsistat et, aspersione absoluta, ac vasculo suo loco reposito, invitet Canonicos ad paramenta sumenda. Curet etiam Caeremoniarius ut tempestive et campanae et organa pulsantur in accessu Episcopi ad Ecclesiam (v. n. 523).

Si numerus Canonicorum magnus sit, tunc curet ut Ministri Missae paramenta, absque manipulis, assumant et eos ad Secretarium ducit ante Episcopi adventum; si vero Diaconus et Subdiaconus cum aliis Canonicis pergunt ad associandum Episcopum, tum Caeremoniarius eos ad sumenda paramenta invitat statim cum, brevi oratione facta, ad Secretarium pervenerint.

Cum Episcopus ad Faldistorium venerit, praemoneat sacros Ministros ut ipsi surgant, se ei inclinent et consistant.

Incepto primo Psalmo, invitat Subdiaconum ad caligas et sandalia accipienda de abaco eumque ad Thronum, debitis cum reverentiis, ducit; caligis et sandaliis acceptis ab Episcopo, Subdiaconum ad suum reducit locum, deinde innuit Clerico ut ex abaco lancem accipiat pro Cruce pectorali nec non annulo, et aliis duobus Clericis ut Faldistorium de medio Presbyterii tollant; postea suppedaneum Altaris conscendit, prope medium consistit, sed aliquantulum versus cornu Epistolae, et, sublato velo quo paramenta tegebantur, ea Clericis distribuit, tandem baculum ac mitram suo cuique Ministro porrigit.

Dum Episcopus manus lavat, ducit Missae Ministros ad Thronum. Quum Presbyter Assistens et Diaconi Assistentes de Throno descendunt eos ducit ad paramenta accipienda; quibus assumptis, ad Thronum eos reducit; inde Diaconum et Subdiaconum, Episcopo parato, ad sua loca ducit.

Ad: *Sicut erat* etc., in fine tertii Psalmi, accipit librum Capituli, accedit ad Subdiaconum et cum eo ad locum ubi Epistola legi solet, pergit; Capitulo absoluto, accipit librum, Subdiaconum ad scamnum reducit et librum super abacum reponit.

Decantato: *Benedicamus Domino*, Missae Ministros ad Thronum iterum ducit, dein suppedaneum Altaris conscendit et, ut supra, paramenta Clericis tradit atque suo Ministro s. Pallium, si ea die Episcopus illo uti potest; deinde Missale cum manipulo Episcopi accipit, ad Thronum pergit, et Missale Subdiacono tradit. Si in Secretario, ordinat Processionem ut in sequenti numero.

952. — Ordo Processionis ad Altare maius:

1. Thuriferarius;
2. Subdiaconus Crucifer, cum Imagine Crucifixi versa ad populum, medius inter Ceroferarios;
3. Clerici Seminarii, Clerus et Beneficarii Ecclesiae Cathedralis;
4. Crucifer, si Praelatus uti Cruce potest, cum Imagine Crucifixi ad illum versa, medius inter Ceroferarios;
5. Canonici;
6. Subdiaconus deferens Missale;
7. Presbyter Assistens et ad eius sinistram Diaconus;
8. Episcopus, medius inter Diaconos Assistentes;
9. Caudatarius;
10. Ministri de mitra et de baculo;
11. Ministri de libro et de candela;
12. Familiares Episcopi.


Si numerus Canonicorum et ceterorum de Clero parvus sit, tunc Crucifer Praelati incedere potest, post Thuriferarium, loco Subdiaconi Cruciferi.

953. — Cum Episcopus ad Introitum se signat, Caeremoniarius innuit Ministris Missae ut se signent, itemque quando Episcopus *Kyrie* etc., recitat, ut et ipsi alternatim recitent ac, Episcopo sedente, et ipsi sedeant. Cum a Choro ultimum decantatur *Kyrie*, signum surgendi dat. Decantatis per Episcopum verbis: *Gloria in excelsis Deo*, angelicum Hymnum recitat, signum caput inclinandi dans Missae Ministris ad verba: *Adoramus te; Gratias agimus tibi; Iesu Christe; Suscipe deprecationem nostram;* et iterum ad: *Iesu Christe*. Episcopo sedente, signum sedendi dat. Quum autem allata verba a Choro canuntur, signum caput detegendi atque inclinandi dat (D. 1563 ad 1); cum vero postrema verba Hymni canuntur scilicet: *Cum Sancto* etc., signum eis surgendi pariter dat.

Dum Episcopus Orationem cantat, Caeremoniarius sumit ex abaco librum Epistolarum et circa finem ultimae Orationis tradit illum Subdiacono, quem ducit ad locum in quo solet cantari Epistola. Accepta ab Episcopo mitra, Caeremoniarius innuit Subdiacono ut Epistolae lectionem incipiat; qua absoluta, eum ducit ad Thronum. Postquam Subdiaconus descenderit de Throno et reverentiam Episcopo fecerit, librum ab eo recipit, illum ad suum ducit locum et librum super abacum reponit.

Dum Episcopus legit Evangelium, vel circa finem cantus Sequentiae, si ea locum habeat, sumit ex abaco Evangeliarium quod Diacono tradit et illum ad Altare ducit, sed sistit ante infimum gradum; cum tempus sit, ad Thronum comitatur Diaconum et iterum ad Altare reducit; interim innuit Ceroferariis ut candelabra accipiant et ante infimum Altaris gradum accedant.


954. — Dispositio ante infimum Altaris gradum ante Evangelii cantum.



S. D.
Cer. II. Thur. Caer. II. Cer. I.

955. — Circa finem ultimi Versus Gradualis, vel: *Alleluia*, sive Tractus, vel Sequentiae, Caeremoniarius signum ad Thronum accedendi dat eo ordine quo procedunt ad locum ubi Evangelium cantandum est, nempe: Caeremoniarius ipse praecedit, mox Thuriferarius, dein sequuntur Ceroferarii, postea Subdiaconus, iunctis manibus, immediate ante Diaconum (Caer. Episc., L. I, cap. X, n. 3); cum ante infimum Throni gradum pervenerint, sistunt ac genuflectunt, exceptis Diacono et Subdiacono.

956. — Dispositio ad Thronum dum Diaconus petit benedictionem pro Evangelii cantu.




S. D.
Cer. II. Cer. I.
Th. Caer. II.

957. — Benedictione ab Episcopo impertita, Caeremoniarius praecedit omnes ad locum ubi Evangelium solet decantari, scilicet vel ad idem cornu, vel ad ambonem.


Si in Evangelii cornu, Evangelium canendum est inter Altare et Thronum, si competens inter utrumque sit distantia et locus congruus. Advertat Caeremoniarius ut Diaconus consistat facie cornu Evangelii aliquantulum conversa, uti Celebrans stat in Missa privata ad Evangelii lectionem; Subdiaconus medius inter Ceroferarios consistat, vertens renes non ad Altare, sed versus partem dexteram, quae pro Aquilone figuratur.

Si Evangelium in ambone canendum sit, tunc Subdiaconus consistit ad dexteram Diaconi et, loco Caeremoniarii secundi, ei ministrat videlicet porrigens thuribulum et vertens folia.


958. — Dispositio ad cantum Evangelii.



Cer. I. S. Cer. II.
D.
Th. Caer. II.




959. — Dispositio ad Evangelii cantum si inter Altare et Thronum locus congruus non sit.



Cer. I. D. Cer. II.

Th. S. Caer. II.



Cer. I. S. Cer. II.
D.
Th. Caer. II.

960. — Dispositio ad Evangelii cantum in ambone.

961. — Evangelio absoluto, Caeremoniarius ad Thronum ducit Subdiaconum, Thuriferarium et Ceroferarios, nam Diaconus pergit ad scabellum suum; deosculatum librum ab Episcopo, a Subdiacono accipit et super abacum defert.

962. — Si sermo habendus est ab Episcopo, eo absoluto, Caeremoniarius porrigit Diacono librum continens Confessionem, et Presbytero vero Assistenti tabulam cum formula Indulgentiarum.

Si vero sermo habendus est a Canonico, vel ab alio Clerico, tunc Caeremoniarius Concionatorem ad Thronum invitat eumque ante Episcopum ducit. Si Sermocinator Canonicus sit, praemoneat illum ut inclinatus benedictionem petat, alias, genuflexus. Benedictione ab Episcopo accepta illum in ambonem ducit. Sermone absoluto et Confessione a Diacono facta, Caeremoniarius tradit Concionatori tabulam cum formula Indulgentiarum; qua publicata, reducit eum ad suum locum, dein accedit apud Missae Ministros.

963. — Decantatis per Episcopum verbis: *Credo in unum Deum*, Symbolum recitat, signum dans caput inclinandi ad: *Iesum Christum*, et genuflectendi ad: *Et incarnatus* etc., atque iterum caput inclinandi ad: *Simul adoratur*, necnon signandi in fine. Episcopo sedente, innuit Sacris Ministris ut ipsi sedeant. Dum a Choro cantantur verba supra allata, signum caput detegendi et inclinandi dat.

Ad verba: *Crucifixus* etc., innuit Diacono ut accedat ad abacum, bursam capiat (Caer. Episc., L. I, cap. IX, n. 3) et ad Altare deferat. Quum postrema verba Symboli canuntur, nempe: *Et vitam* etc., signum surgendi dat.

Offertorio ab Episcopo lecto, innuit Clerico ut lancem pro chirothecis de abaco sumat et ad Thronum pergat; atque ante Praefationis cantum aliam sumat lancem pro Episcopi pileolo et apud Caeremoniarium primum pergat; Clericum alium moneat ut legile ex abaco accepto, super Altaris mensam in cornu Evangelii illud statuatur; etiam Clericos designatos pro funalibus moneat ut tempestive illa accendant, ad: *Sanctus* ad Presbyterium procedant, et, elevatione completa, ad Sacristiam revertantur.

Ad: *Pax Domini* etc., accedit ante infimum Altaris gradum et expectat donec Presbyter Assistens descendat, deinde eum comitatur ad pacem distribuendam (v. n. 895) et ultimo loco pacem ab eodem accipit (Caer. Episc., L. I, cap. VII, n. 6); qua accepta, mox eam dat primo cuiusque partis in Choro qui pacem a Presbytero Assistente non acceperunt; ac postea ad Altare reversus pacem dat Caeremoniario primo, tum primo Clerico ex Ministris inferioribus.

Dum Episcopus pretiosum Sanguinem sumit, innuit Clerico ut Episcopi pileolum, in lance repositum, ad Caeremoniarium primum deferat.

Si Indulgentia publicata non fuerit, Caeremoniarius, impertita ab Episcopo benedictione, tabulam cum eius formula Presbytero Assistenti porrigit.

Quum Episcopus, Missa absoluta, ad Thronum accedit, et ipse accedit; monet Missae Ministros ut manipulum deponant, dein Presbyterum Assistentem et Diaconos Assistentes ducit ad deponenda paramenta; quibus depositis, iterum ad Thronum eos ducit; moneat Clericum ut paramenta Episcopi accepta a Clericis, super Altare deponat.

Paramentis ab Episcopo dimissis, ducit Diaconum ad scabellum suum, Subdiaconum vero ad abacum; velo et bacili acceptis a Subdiacono, eum iterum ad Thronum ducit.

Caligis et sandaliis a Subdiacono super abacum repositis, Missae Ministros ad Sacristiam comitatur.

Curet Caeremoniarius ut omnia, quae super Altare et abacum sunt, a Clericis in Sacristiam deferantur.

ARTICULUS X.

*De Ministro libri et candelae
ad Missam solemnem pontificalem ad Thronum.*

964. — **Ministri libri et candelae**, de quorum officio generatim diximus sub n. 554 et 555, cum aliis ad associandum Episcopum procedunt.

Dum Episcopus accedit ad Thronum, acceptis Breviario et candelae, accedunt ante infimum Throni gradum. Recitato: *Pater* et *Ave*, ascendunt planum Solii, et, decantato per Episcopum: *Deus, in adiutorium* etc., de Throno descendunt; **ambo** recedunt in parte sinistra eiusdem Throni donec absolutus sit versus: *Gloria Patri* etc., deinde ad abacum pergunt ubi **Minister libri** deponit Breviarium et sumit Canonem Pontificalem. Incepto primo Versu Psalmi, iterum **ambo** ad Thronum accedunt et librum ac candelam genuflexi tenent, dum Episcopus legit Psalmos praeparationis. Dum Subdiaconus accedit ad caligas et sandalia induenda, **Minister candelae** recedit aliquantulum ad sinistram, **Minister libri** ad dexteram. Surgente Episcopo, et **ipsi** surgunt. Precibus praeparationis absolutis, si Episcopus Orationes ad paramenta memoriter recitet, vel iam legerit, tunc ad abacum pergunt ac postea ad Sacristiam procedunt ad induenda pluvialia. Si vero Episcopus Orationes legit dum paramenta assumit, tunc de Throno descendunt et dum Episcopus manus lavat consistunt in plano ad dexteram eiusdem Throni, dein ad eum accedunt; Episcopo parato, se ad abacum conferunt et ut supra gerunt.

Ad: *Sicut erat* etc., Responsorii post Capitulum una cum Ceroferariis ad Thronum accedunt. **Minister libri** Breviarium Presbytero Assistenti tradit; decantato ab Episcopo: *Dominus vobiscum*, post Orationem, recipit Breviarium et una cum **Ministro candelae** ac Ceroferariis ad abacum revertitur.

Si Episcopus dum paramenta sumit, Orationes legit, tunc, accepto Canone Pontificali, ad Thronum **ambo** accedunt. Paramentis ab Episcopo assumptis, ad nutum Caeremoniarii secundi, ad Altare maius incedunt, post Ministros mitrae et baculi.

Cum ad Altare pervenerint, procedunt ad abacum, ubi deponunt librum et candelam, deinde genuflectunt circa medium Presbyterii, **Minister libri** versus Epistolae latus, **alter** versus latus Evangelii, ad dexteram Ministri baculi (v. n. 947).

Altaris incensatione peracta, **ambo** ad abacum accedunt et, accepto Missali, ad Thronum pergunt; mitra ab Episcopo deposita, ad eum accedunt. Lecto ab eodem Episcopo Introitu, de Throno descendunt et ad dexteram eiusdem Throni sistunt, donec ultimum *Kyrie* cantatur a Choro; quo absoluto et **Minister libri** accepto a Clerico Canone Pontificali, **ambo** ad Episcopum rursus accedunt. **Minister libri** tradit Presbytero Assistenti Canonem, quem recipit postquam Episcopus decantaverit verba: *Gloria in excelsis Deo*, et illum ante Episcopum sustinet. Angelico Hymno absoluto, ad abacum **ambo** pergunt, ubi Canonem et candelam deponunt; dein, suis in locis, sedent et aliis de Choro se conformant.

Ad postrema Hymni verba, nempe: *Cum Sancto* etc., surgunt, ad abacum accedunt, Missale et candelam sumunt et ad Thronum se conferunt. **Minister libri** Missale Presbytero Assistenti tradit a quo recipit Oratione vel Orationibus absolutis, deinde cum **Ministro candelae** de Throno descendit; **ambo** persistere possunt ad dexteram Throni dum canitur Epistola. Quum Subdiaconus Episcopi manum deosculatus est, ad Episcopum iterum accedunt et genuflexi manent usque ad Evangelii lectionem inclusive; qua absoluta, ad abacum pergunt et Missale ac candelam deponunt.

Decantato Evangelio, si sermo habendus est, **Minister libri** accipit Canonem Pontificalem et, vel ad Altare, vel ad ambonem una cum **Ministro candelae** procedit; **ambo** sedent, suis in locis. Sermone absoluto, surgunt; Confessione a Diacono facta, ad Episcopum accedunt et ipse **Minister libri** Canonem sustinet; dum Episcopus canit: *Et benedictio Dei*, recedunt et infra benedictionem genuflectunt.

Incensato Episcopo post Evangelium, vel, benedictione impertita si sermo habitus fuit, ad Thronum **ambo** accedunt; **Minister libri** Canonem Presbytero Assistenti tradit, a quo recipit decantatis ab Episcopo verbis: *Credo in unum Deum*, et illum ante eundem Episcopum sustinet. Symbolo absoluto, **ambo** ad abacum procedunt, ubi Canonem et candelam deponunt ac postea, suis in locis, sedent et aliis de Choro se conformant.

Dum a Cantoribus canuntur verba: *Et vitam* etc., surgunt et ad abacum procedunt; **Minister libri** Missale accipit et cum **Ministro candelae** ad Thronum accedit atque Missale Presbytero Assistenti tradit, quod recipit quum Episcopus decantaverit: *Oremus* et ante illum sustinet dum Offertorium legit; quo lecto, de Throno **ambo** descendunt et recedunt in dexteram eius partem.

Postquam Presbyter Assistens ad manuum lotionem mantile ministraverit, **Minister libri** tradit ei Missale, procedit ad abacum,

sumit Canonem Pontificalem, et illum ad Crucis basim collocat apertum ad: *Suscipe, sancte Pater*, etc., **Minister candelae** sequitur Episcopum ad Altare, candelam collocat ad dexteram Missalis, deinde se ad suum locum confert. Quum Episcopus thurificationem Altaris incipit, **Minister candelae** accedit ad cornu Evangelii, et quando Presbyter Assistens sumit Missale, ipse candelam accipit, in planum descendit et ad sinistram Presbyteri Assistantis consistit; peracta incensatione Evangelii cornu, Altare ascendit et candelam ut prius reponit.

Dum Episcopus legit Orationem: *Veni, sanctificator* etc., **Minister libri** ascendit Altare per gradus laterales in cornu Evangelii, Canonem accipit et transit ad cornu Epistolae illumque ante Episcopum, manus lavantem, sustinet, dein pristino in loco reponit.

Dicto ab Episcopo: *Orate, fratres*, **Minister libri** ascendit Altare, per gradus in cornu Epistolae, accipit Canonem Pontificalem, descendit, accedit ad cornu Evangelii, per gradus laterales iterum Altare ascendit, Canonem Pontificalem Presbytero Assistenti tradit, Missale accipit, quod super abacum reponit, deinde ad suum locum se confert et in reliquis, cum **Ministro candelae** aliis Clericis se conformat.

Sumpto pretioso Sanguine, **Minister libri** accedit ad abacum, sumit Missale, quod ad Altare defert et Presbytero Assistenti tradit a quo Canonem recipit et apertum ad: *Placeat* etc., ante Crucis basim collocat.

Minister candelae, quum Presbyter Assistens ad cornu Epistolae Missale transfert, candelam accipit et ad sinistram Missalis in cornu Epistolae deponit.

Dicto ab Episcopo: *Placeat* etc., si uti Cruce potest, **Minister libri** accipit Canonem et cum **Ministro candelae** se ante Episcopum confert. Benedictione impertita, si Evangelium S. Ioannis legendum sit, **ambo** recedunt; si aliud Evangelium, tunc **Minister candelae** deponit candelam ad Missalis dexteram. Evangelio absoluto, **Minister libri** Missale cum legili accipit et super abacum reponit, **Minister candelae** pariter candelam reponit super abacum; deinde **ambo** cum Ministris mitrae et baculi procedunt ad Sacristiam, ubi pluvialia dimittunt ac postea ad Altare revertuntur.

Cruce pectorali ab Episcopo reassumpta, **Minister libri** accipit Canonem, **alter** candelam, ad Thronum **ambo** procedunt et genuflexi manent dum Episcopus legit Canticum, necnon Psalmum in gratiarum actione; dum Subdiaconus accedit ad caligas et sandalia extrahenda, **Minister candelae** recedit aliquantulum ad sinistram, **alter** vero

ad dexteram. Surgente Episcopo, et **ipsi** surgunt; precibus absolutis, ad abacum pergunt, ubi Canonem et candelam deponunt, deinde cum aliis Episcopum comitantur ad domum episcopalem.

ARTICULUS XI.

*De Ministro mitrae et baculi
ad Missam solemnem pontificalem ad Thronum.*

965. — **Ministri mitrae** et **baculi**, circa quorum officium iam respective sub n. **556** et **557** generatim diximus, cum aliis ad associandum Episcopum procedunt.

Incepto primo Versu Psalmi Horae Tertiae, Ministri procedunt ad Sacristiam, pluvialia induunt, statimque ad Altare revertuntur, debitis cum genuflexionibus; sistunt ante infimum Altaris gradum, **Minister mitrae** in cornu Epistolae, **Minister baculi** in cornu Evangelii.

Cum Caeremoniarius secundus mitram auriphrygiatam **Ministro mitrae** tradiderit, **ambo**, genuflexione peracta, procedunt ad Thronum, ante infimum eius gradum genuflexionem iterant, et ante sua scamna consistunt.

Quum Episcopus pluviale induerit, **Minister mitrae** Diacono mitram tradit eamque a secundo Diacono Assistente recipit, absoluto Responsorio. A Clerico cui mitram auriphrygiatam tradidit, pretiosam accipit, quam Diacono porrigit postquam Episcopus planetam, vel s. Pallium, induerit.

Accepta ab Episcopo mitra, vel thure imposito, si Secretarium adsit, **Minister baculi**, cum solitis osculis, Episcopo baculum offert. Ad nutum Caeremoniarii secundi, ad Altare maius **ambo** incedunt post Caudatarium.

Cum Episcopus ante infimum Altaris gradum pervenerit, **Minister baculi** illum ab Episcopo recipit et **Minister mitrae** consistens apud Diaconum, stantem versus cornu Evangelii, mitram accipit; deinde **ambo** recedunt circa medium Presbyterii et in linea recta cum Ministris libri et candelae genuflectunt, **Minister mitrae** versus latus Epistolae ad dexteram Ministri libri, **alter** versus latus Evangelii ad sinistram Ministri candelae (v. n. **947**).

Altari thurificato, **Minister mitrae** illud ascendit et primo Diacono Assistente mitram tradit; cum vero Episcopus thurificationem acceperit, etiam **Minister baculi** ascendit, baculum ei porrigit; deinde **ambo** Episcopum ad Thronum sequuntur, ubi **Minister baculi**

illum recipit et **Minister mitrae** a secundo Diacono pariter mitram accipit, quam Clerico tradit et ab eo mitram auriphrygiatam accipit.

Recitato *Kyrie* etc., primo Diacono mitram porrigit, eamque a secundo recipit, cum a Choro decantatum fuerit ultimum *Kyrie*; **Minister mitrae** iterum eam porrigit Diacono primo, postquam Episcopus, recitato Hymno Angelico, sedet.

Absolute a Choro Angelico Hymno, recipit mitram, eamque Diacono primo porrigit, Oratione vel Orationibus absolutis.

Minister mitrae ante Evangelii cantum, mitram a secundo Diacono accipit, et, si sermo habendus sit ab Episcopo, tunc eam tradit Clerico a quo pretiosam accipit. Thurificatione ab Episcopo accepta, mitram primo Diacono tradit.

Minister baculi cum Diaconus cantat: *Dominus vobiscum*, Episcopo baculum porrigit, eumque recipit, absolute Evangelii cantu; si sermo habendus est ab Episcopo ad Altare, vel in ambone, tunc baculum offert postquam Episcopus mitram acceperit post thurificationem, eumque recipit quum Episcopus pervenerit ad Altare, vel in ambonem, nisi Episcopus recitet sermonem memoriter; quo in casu baculum, si placet, retinere potest; sermone absolute, Minister eum recipit.

Minister mitrae, publicata Indulgentia post sermonem, mitram accipit a secundo Diacono Assistente, si Episcopus in Sede, alias a Diacono Missae et dum a Choro respondetur: *Amen*, post: *Indulgentiam*, etc., mitram porrigit Diacono primo Assistenti, vel Diacono Missae, nisi Episcopus Cruce uti possit; quo in casu, mitram tradit, benedictione impertita.

Minister baculi illum Episcopo porrigit dum Episcopus ipse cantat: *Et benedictio* etc., ac postea illum recipit cum Episcopus pervenerit ad Thronum, vel, si iam in Sede, benedictione impertita.

Minister mitrae, si Episcopus uti Cruce possit et ad Altare, vel in ambone sit, tum, benedictione data, mitram Diacono Missae tradit eamque recipit a secundo Diacono Assistente cum Episcopus ad Thronum pervenerit, ac postea tradit Clerico, a quo auriphrygiatam accipit.

Recitato Symbolo, **Minister mitrae** eam primo Diacono porrigit et, absolute a Choro eiusdem cantu, a secundo Diacono mitram accipit et Clerico tradit a quo recipit mitram pretiosam, quam Diacono primo porrigit, lecto ab Episcopo Offertorio.

Cum Episcopus, lotis manibus, surgit, **Minister baculi** ei porrigit baculum quem recipit cum Episcopus ante infimum Altaris gradum pervenerit, et **Minister mitrae** accipit eam a Diacono Missae; deinde **ambo** consistunt ut in initio Missae, Confessione peracta.

Altari thurificato, **Minister mitrae** primo Diacono mitram pretiosam porrigit et ab eo recipit, recitato ab Episcopo Psalmo 25: *Lavabo* etc.

Ambo in reliquis se aliis Clericis conformant, sed pacem non accipiunt.

Ablutione digitorum ab Episcopo sumpta, **Minister mitrae** Diacono Missae mitram porrigit, quam recipit post lotionem et, si Episcopus Cruce uti nequit, iterum eidem Diacono porrigit, recitata ab Episcopo Oratione: *Placeat* etc.; mitram pariter ab eodem Diacono recipit vel, publicata Indulgentia, si publicanda est, vel benedictione impertita. **Minister baculi** dum Episcopus canit: *Benedicat vos*, ascendit suppedaneum et ei baculum porrigit ac in eodem suppedaneo genuflectit versus Epistolae cornu; benedictione impertita, in planum descendit, si Indulgentia iam publicata fuerit; alias, benedictione data, surgit, baculum recipit et si Evangelium S. Ioannis legendum est, se confert in cornu Evangelii ubi, incepto Evangelio, iterum Episcopo baculum porrigit; si vero aliud legendum est Evangelium, eo absoluto, baculum Episcopo offert.

Minister mitrae, si Episcopus uti Cruce potest et Evangelium S. Ioannis legendum est, incepto Evangelio, Missae Diacono mitram porrigit; si aliud Evangelium legendum sit, tunc eam tradit, absoluto Evangelio.

Quum Episcopus ad Thronum pervenerit, **Minister baculi** recipit baculum et **Minister mitrae** recipit a Diacono Missae mitram, quam super Altaris mensam deponit, deinde **ambo** una simul cum Ministris libri et candelae in Sacristiam redeunt, ibique pluviale deponunt ac postea ad Altare revertuntur et cum aliis Episcopum ad domum episcopalem comitantur.

ARTICULUS XII.

De aliis Ministris inferioribus ad Missam solemnem pontificalem ad Thronum.

966. — I. - DE CAUDATARIO. — Circa Caudatarii officium iam diximus sub n. 558 generatim, sed perlegat etiam Caudatarius in Capite secundo Partis secundae quae de accessu ad Ecclesiam Cathedrali et de recessu Episcopi ab ea notavimus. Antequam Canonici ad associandum Episcopum procedant, Caudatarius accedere potest ad domum episcopalem.

Quum Episcopus Crucem pectoralem dimiserit, precibus ad praeparationem Missae absolutis, eum adiuvat in deponenda cappa.

quam Cubiculario eiusdem Episcopi tradit, dein caudam talaris vestis expedit ac se ad sinistram Throni in planum confert.

Caudatarius pulvinum apud Cathedram, versus Altare, collocat quando genuflectendum est, dum Subdiaconus Epistolam cantat, vel quando decantantur a Choro, Epistola absoluta, verba quae genuflexiones exposcunt, item quando Diaconus similia verba canit, sed in his casibus a Caeremoniario primo admonitionem accipiet. Pulvinum item collocat dum Episcopus recitat Symbolum, antequam proferat verba: *Et incarnatus est*.

Dum a Choro canitur Hymnus Angelicus et Symbolum sedet in infimo gradu Throni, ad sinistram Cathedrae, et ad verba quae inclinationes exposcunt caput profunde inclinat; ad: *Et incarnatus est* etc., genuflectit.

Paramentis ab Episcopo depositis, Caudatarius firmat extremitatem inferiorem vestis talaris Episcopi, deinde cappam ei imponit.

II. - DE CRUCIFERO PRAELATI. — Crucifer (v. n. 559) cum aliis ad associandum Praelatum procedit et se gerit ut in accessu Episcopi ad Ecclesiam cathedralem (v. n. 520). Dum Praelatus paramenta sumit, si Secretarium adsit, ipse accipit amictum, albam, cingulum et tunicellam. Hora Tertia absoluta, et paramentis Missae a Praelato acceptis, ad nutum Caeremoniarii secundi, incedit, vel ante Canonicos, vel post Thuriferarium, medius inter Ceroferarios.

Cruce in basi reposita, sistit ad sinistram Cathedrae; cum sedendum sit, ante Thronum, una cum Caudatario accedit, Episcopo genuflexionem peragit et sedet in infimo gradu Throni, ad sinistram Cathedrae. Ad verba quae inclinationes exposcunt caput profunde inclinat, ut supra diximus de Caudatario.

Si sermo habendus est in ambone, thurificato Episcopo post Evangelium, Crucifer ante omnes ad eundem ambonem procedit et, congruo in loco, ad sinistram Episcopi consistit; si vero sermo ad Altare habendus est, ad Altare procedit et consistit versus cornu Epistolae.

Sermone absoluto in Sede, vel ad Altare, Crucifer, Confessione a Diacono peracta, accipit Crucem et se ante Episcopum confert; benedictione impertita, ad suum locum recedit Crucemque in basi reponit.

Decantato per Diaconum: *Ite Missa est*, Crucem accipit et ante Altare se confert; benedictione data atque Indulgentia, si publicanda, publicata, Crucem in basi reponit et procedit ad deponenda paramenta, deinde se gerit ut diximus sub n. 527.

III. - DE MINISTRO DE GREMIALI. — Minister de gremiali ipsum, ambabus manibus, explicatum tenet ante pectus cum primo Diacono offert et a secundo recipit, deinde congruo in loco complicatum reponit.

Gremiale porrigit primo Diacono postquam Episcopus mitram acceperit, recitato ultimo *Kyrie* etc., et recipit dum a Choro ultimum *Kyrie* canitur; offert, recitato ab Episcopo Hymno Angelico et accepta mitra; recipit circa finem Hymni; dein iterum porrigit, Oratione vel Orationibus decantatis, postquam Episcopus mitram acceperit, ac recipit, absoluta Evangelii lectione. Tandem illud Diacono praebet, recitato ab Episcopo Symbolo et mitra accepta ac recipit dum a Choro postrema Symboli verba canuntur.

Si Clericorum numerus exiguus sit, officium hoc persolvi potest a Caudatario.

IV. - DE THURIFERARIO. — De Thuriferarii officio generatim iam diximus sub n. 560. Si Secretarium adsit, dum Episcopus anulum accipit, sumptis Missae paramentis, Thuriferarius ad Thronum procedit; more solito, thuribulum ministrat pro impositione incensi, deinde ante omnes ad Altare maius pergit et ad abacum sistit, apud quem infra Confessionem genuflectit.

Quum Episcopus Altare ascendit, Thuriferarius per latus Epistolae et ipse ascendit, pene medium suppedanei ante Episcopum genuflectit, ibique Diacono naviculam ministrat et thuribulum elevatum tenet ut Episcopus commode incensum imponere possit, dein, thuribulo Diacono tradito et recepta navicula, in planum cornu Epistolae descendit. Dum Episcopus thurificatur, consistit aliquantulum post Diaconum, a quo postea ab eius latere dextero thuribulum recipit, et ad Sacristiam procedit.

Deosculata a Diacono Episcopi manu ante Evangelii cantum, Thuriferarius accedit ad Episcopum et thuribulum ministrat, dein accedit ante infimum Altaris gradum, sed aliquantulum retro, ac consistit versus Evangelii cornu, ad dexteram Ceroferarii secundi (v. n. 954). Ad nutum Caeremoniarii secundi, genuflexione peracta, procedit, post eundem Caeremoniarium, ad Thronum, ibi, e medio, versus dexteram Cathedrae, ut ceteri transeant, recedit et utroque genu ad sinistram Caeremoniarii genuflectit (v. n. 956) ac surgit, postquam Episcopus Diacono benedictionem dederit. Eodem ordine quo ad Thronum venerit, procedit ad locum in quo Evangelium cantari solet et sistit post Diaconum, versus eius sinistram (v. n. 958-960). Decantato per Diaconum: *Dominus vobiscum*, Caeremoniario thuribulum porrigit a quo similiter recipit, thurificato libro Evan-

gelii. Si Evangelium canendum sit in ambone, tunc Subdiacono thuribulum porrigit. Evangelii cantu absoluto, ad Thronum procedit, eodem ordine; ad dexteram Presbyteri Assistentis consistit, ei thuribulum tradit et pluvialis fimbriam elevat; recepto thuribulo, genuflexionem Episcopo peragit et ad Sacristiam procedit.

Cantato ab Episcopo: *Oremus*, ad Offertorium, debitis cum genuflexionibus, iterum ad Sacristiam pergit, inde cum thuribulo et navicula ad Altare revertitur. Quum Episcopus dicit: *Veni, sanctificator* etc., per gradus laterales cornu Epistolae ad dexteram Diaconi ascendit et se gerit ut ante Introitum. Episcopo thurificato, comitatur Diaconum, eum a sinistris praecedens, ad incensandum Presbyterum Assistentem, Diaconos Assistentes, deinde Chorum. Canonicis thurificatis, ad Altare Diaconum reducit ut Subdiaconum incenset et cum eo se inclinat ante et post quamlibet incensationem. Recepto postmodum thuribulo, stans in plano ante infimum gradum, in cornu Epistolae, Diaconum, retro stantem post Episcopum, incensat, duplici ductu, cum reverentia antea et postea; deinde ipse incensat illos quos Diaconus in Choro non incensaverit, vel, iuxta consuetudinem plurium Ecclesiarum, Subdiacono thurificato, Diaconus thuribulum tradit Beneficiato pluviali induto, qui eundem Diaconum incensat, dum Thuriferarius ad eius dexteram sublevat pluvialis fimbriam ac postea Beneficiatum ducit ad incensandos reliquos de Choro, tandem ab eo thuribulum recipit et, ultimo loco in Choro, eum thurificat; mox incensat, si consuetudo adsit, Caeremoniarios et Clericos; quibus incensatis, stans prope aditum Presbyterii, populum, triplici ductu, thurificat nimirum in medio, a parte Epistolae et a parte Evangelii, se antea et postea mediocriter inclinans. Paulo ante Consecrationem ipse Thuriferarius incensum in thuribulum imponit ac ter ad Elevationem incensat Hostiam et Calicem, scilicet dum Episcopus genuflectit, dum Hostiam et Calicem attollit et dum ea super Corporale reponit, profunde se inclinans antea et postea utramque thurificationem, deinde surgit; genuflexione facta, ad Sacristiam procedit thuribulum depositurus, mox ad Altare revertitur et se aliis conformat.

V. - DE CEROFERARIIS. — Ceroferarii, de quorum officio generatim iam diximus sub n. 561, si Ministri sacri paramenta assumunt dum Canonici procedunt ad Episcopum associandum, non eum associant, sed Ceroferarius primus Diaconum, alter Subdiaconum adiuvat se induentes. Ad nutum Caeremoniarii secundi, unus post alium, iunctis manibus, procedunt ad Altare ante eundem Caeremonia-

rium, et cum ante infimum Altaris gradum pervenerint, genuflexionem peragunt, deinde ad scamnum sacrorum Ministrorum accedunt, **prior** nimirum ad latus Altari proximius, **alter** ad aliud latus. Cum Ministri sacri sessuri sunt, dalmaticae et tunicellae **ambo** sublevant posteriorem fimbriam, quam post scamni tergum deponunt, deinde ad consuetum locum se conferunt et ita se gerunt quoties Ministri sacri sedent; quando biretum super scamnum exstat prius illud accipiunt, quod, absque osculis, eis porrigunt.

Si Ministri sacri Episcopum associant, **Ceroferarii** et ipsi procedunt ac se ut supra gerunt.

Cum Episcopus ad Altare pervenerit, genuflectunt et dum ad Thronum pergunt, surgunt, se ad medium Presbyterium conferunt ubi, facta Altari et Episcopo genuflexione, quomodo sub n. 627 tradidimus, amovent Faldistorium.

Ad: *Sicut erat* etc., Responsorii post Capitulum, una cum Ministris de libro et candela, debitis cum genuflexionibus, accedunt ad Thronum et ante infimum eius gradum sistunt; Oratione absoluta, cum iisdem Ministris genuflexionem peragunt, ad abacum revertuntur, ubi candelabra deponunt.

Dum Episcopus Missae paramenta assumit, **Ceroferarii** ex abaco accipiunt manipulos sacrorum Ministrorum et ad Thronum accedunt; cum Ministri sacri, Episcopo parato, de Throno descendunt, **Ceroferarius prior** Diacono manipulum imponit, **alter** Subdiacono. Si Secretarium adsit, ad nutum Caeremoniarum secundi candelabra accipiunt, ad aditum Presbyterii se conferunt, eodem Caeremoniarum innuente, post Thuriferarium, ad latera Cruciferi, procedunt ad Altare maius, ac super abacum candelabra deponunt.

Dum Diaconus ad Episcopi manum deosculandam accedit, ante Evangelii cantum, **Ceroferarii** ex abaco candelabra assumunt, procedunt ante infimum Altaris gradum et aliquantulum retro sistunt (v. n. 954). Ad nutum Caeremoniarum secundi, genuflexionem cum Thuriferario peragunt, dum Ministri sacri Cruci se inclinant et ad Thronum Thuriferarium sequuntur; cum ibi pervenerint, genuflectunt (v. n. 956) et sic perstant donec Diaconus benedictionem acceperit, ac postea, eo ordine quo ad Thronum venerant, ad locum ubi Evangelium solet decantari procedunt (v. n. 958-960). Evangelio absoluto, iterum ad Thronum accedunt; deosculato libro ab Episcopo, debitis cum genuflexionibus, pergunt ad abacum super quo candelabra deponunt; dein, si sermo habendus est ad Altare, Faldistorium in medio suppedaneo collocant et, sermo absoluto necnon benedictione impertita, suo in loco Faldistorium reponunt.

Quum Subdiaconus, lecto ab Episcopo Offertorio, ad abacum procedit Calicem recepturus, **Ceroferarius secundus** super humeros eius velum oblongum expandit, ac postea accipit cyathum. Interim **prior Ceroferarius** sumit pelviculam cum ampullis vini et aquae; **uterque** sequitur Subdiaconum ad Altare, super quod **Ceroferarius prior** deponit pelviculam cum ampullis, **alter** cyathum. Sumpto vino cum aqua a Sacrista, **Ceroferarius secundus** ad abacum defert cyathum, et cum Subdiaconus aquae guttulas infuderit in Calice, **prior** ad abacum pelviculam cum ampullis reportat.

Ceroferarius primus cum dicitur: *Sanctus* etc., et ad utramque elevationem, campanulam pulsat. Sub finem Orationis Dominicae **alter Ceroferarius** accedit ante infimum Altaris gradum, in cornu Epistolae, utraque manu velum humerale accipit, illud plicat ac super abacum reponit.

Dum Episcopus pretiosum Sanguinem sumit, **prior Ceroferarius** super pelviculam ad Altare defert ampullas aquae et vini easque, cum opus est, Diacono porrigit; ampullas receptas, ad abacum reportat. **Alter** vero, debitis cum genuflexionibus, parvum Calicis velum defert ad cornu Evangelii, dein ad locum suum revertitur.

Missa absoluta, ad Thronum **ambo** accedunt et Ministros sacros adiuvant in deponendis manipulis; quibus super abacum depositis, in medio Presbyterio Faldistorium collocant, modo descripto sub n. 632.

Caligis et sandaliis a Subdiacono super abacum repositis, cum Ministris sacris in Sacristiam redeunt iisdemque sacris se exuentibus vestibus servitium praestant.

VI. - DE ACOLYTHO. — Cum Canonici et alii ad Episcopum associandum procedunt, Acolythus vasculum aquae benedictae cum aspersorio accipit et se ad ianuam Ecclesiae confert, ubi ad eius sinistram consistit. Ad aspersionem genuflectit; qua absoluta, ad Sacristiam maiorem pergunt, ubi, congruo in loco, vasculum reponit, ac postea ad Secretarium, vel ad Altare maius, procedit.

Lectis ab Episcopo precibus pro Missae praeparatione, sumit ex abaco lancem, ad Thronum pergunt; a Caeremoniarum primo Crucem pectoralem accipit, a Presbytero Assistente anulum, dein accedit in dextera parte Throni; quando Clerici cum Episcopi paramentis accedunt, ipse se collocat inter Clericum cingulum ferentem et Clericum stolam deferentem ac se ut alii gerit, sed cum illi ad sua revertuntur loca, ipse ad abacum procedit super quo deponit lancem cum annulo.

Decantato a Choro: *Benedicamus Domino*, ad Thronum accedit, pluviale Episcopi a Caeremoniario primo accipit, et illud in Sacristiam defert, deinde ad abacum pergat, pelliculam cum annulo accipit, iterumque procedit ad Thronum ac in eius dextera parte sistit. Postquam Presbyter Assistens anulum ex lance sumpserit, ad abacum revertitur super quem lancem deponit.

Si Secretarium adsit et Clerus numerosus sit, nec non Celebrans Cruce uti potest, tunc Acolythus, deposita lance, accipit Crucem processionalem et se confert inter Ceroferarios, prope aditum Presbyterii, alias incedit cum ceteris Clericis, vel consistit suo loco. Cum Processio ad Altare maius pervenerit, Crucem consueto in loco deponit et ad suum se confert locum.

Dum Episcopus Introitum legit, Acolythus sumit ex abaco mitram auriphrygiatam eamque Ministro mitrae, a quo pretiosam accipit, porrigit.

Si sermo habendus est ad Altare, vel in ambone, absoluto cantu Evangelii, mitram pretiosam Ministro iterum defert a quo auriphrygiatam recipit et dum Episcopus Symbolum recitat, mitram auriphrygiatam rursus Ministro portat ac pretiosam recipit. Decantato a Cantoribus Symbolo, Acolythus sumit mitram pretiosam eamque Ministro defert atque ab eo auriphrygiatam recipit, quam super abacum deponit, dein accipit lancem et ad Thronum revertitur; a primo Caeremoniario accipit in lance chirothecas, quas ad abacum portat.

Dicto ab Episcopo: *Orate, fratres*, etc., ex abaco lancem sumit et accedit ante infimum Altaris gradum, in cornu Evangelii, ibique expectat donec Caeremoniarius primus in lance reposuerit pileolum, quem ad abacum defert; dum Episcopus pretiosum Sanguinem sumit, pileolum Caeremoniario primo, in cornu Evangelii consistenti, reportat.

Si Celebrans, eo die, uti s. Pallio potest, benedictione impertita, ex abaco lancem cum parvo velo sumit, accedit ad Altare, ex quo s. Pallium accipit, velo tegit et in Sacristiam defert.

Missa absoluta, sumit ex abaco lancem et accedit cum Clericis designatis pro paramentis ad Thronum. Accepta Cruce in lance, se collocat ad dexteram Throni et postquam Episcopus cappam reasumpserit, lancem praebet Caeremoniario primo.

VII. - DE CLERICIS PRO EPISCOPI PARAMENTIS. — Lectis ab Episcopo precibus in Missae praeparatione, dum Caeremoniarius secundus suppedaneum ascendit **Clerici sex**, iam designati, se gerunt ut ad Vesperas pontificales ad Thronum (v. n. 635).

Hora Tertia absoluta, **quatuor**, ut prius, accedunt ante infimum Altaris gradum et eodem modo, iam sub eodem numero descripto, accipiunt: tunicellam **primus**, **secundus** dalmaticam, **tertius** chirothecas in lance, planetam **ultimus** ac postea ad Thronum pergunt. Missa absoluta, **Clerici octo** ad Thronum accedunt ad paramenta accipienda (v. n. 636).

VIII. - DE CLERICIS INTORTICIA GESTATURIS. — Ante Praefationem, quatuor, sex aut ad summum octo Clerici procedunt ad Sacristiam, ubi acceptis intorticiis accensis, dicto *Sanctus* etc., vel incepto Canone, bini et bini sequendo Thuriferarium ante Altare redeunt, ibique genuflexionem peragunt et se collocant genuflexi hinc inde a lateribus Subdiaconi, vel si magis commodum ad latera Altaris. Qui in cornu Evangelii sunt intorticia manu sinistra tenent; qui vero in cornu Epistolae dextera manu intorticia sustinent.

Si in Presbyterium ex postica Altaris parte veniant, egrediuntur cum face in manu extrema per utrumque Altaris latus, divisi in aequali numero unus post alium.

Facta Calicis elevatione, surgunt, unicum flectunt genu (D. 4135 ad 3) et quo venerunt modo in Sacristiam recedunt.

In Ecclesiis Cathedralibus ubi Clericorum numerus exiguus est, pro paramentis sufficere possunt **tres** tantum **Clerici**. Prima vice, **primus Clericus** deferre potest amictum, albam, cingulum; **alter** stolam et pluviale; **tertius** formale in lance. Altera vice **prior Clericus** tunicellam et dalmaticam; **secundus**, chirothecas; **ultimus**, planetam. Et etiam **duo** tantum sufficere possunt, nam prima vice **Clericus unus** deferre potest pluviale cum stola, cingulo, alba, amictu; **alter**, formale in lance; secunda vice: **primus** deferre potest tunicellam, dalmaticam et planetam; **alter**, chirothecas.

CAPUT II.

DE BENEDICTIONE PAPALI

967. — Benedictio papalis sive Episcopus celebret, sive assistat, semper impertienda est, expleta Missa et quidem solemniter, nam haec benedictio est actio solemniter quasi alterius item solemniter continuatio vel complementum, et substituere non debet benedictionem in fine Missae.

Ex praescripto Pontificalis Romani danda est in Throno episcopali, sed si Episcopus a populo commode videri nequit, tunc impertiri ad Altare potest.

ARTICULUS I.

*Ritus benedictionis papalis
ab Episcopo Missam celebrante impertiendae.*

968. — I. - DE EPISCOPO. — Si infra Missam sermo habendus est, Episcopus, eo expleto, benedictionem consuetam non impertit, sed, si placet, populum de benedictione papali et de annexa Indulgentia plenaria edoceat quo melius ad eam populus ipse disponatur.

Benedictione in fine Missae impertita, Episcopus, more solito, se gerit (v. n. 880), sed s. Pallium, si ea die uti potest, non dimittit. Quum ad Thronum pervenerit, Ministro baculum tradit, sedet, manipulum annulumque dimittit, chirothecas et annulum reassumit; ad nutum Caeremoniarum primi, mitram dimittit et surgit, iunctisque manibus dicit: *Precibus et meritis* etc. (v. n. 866), sed loco: *Indulgentiam* etc., sequentem legit formulam: *Indulgentiam, absolutionem, et remissionem omnium peccatorum vestrorum, spatium verae, et fructuosae poenitentiae, cor semper poenitens, et emendationem vitae, perseverantiam in bonis operibus tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus.*

Dum a Choro respondetur: *Amen*, pariter se ut sub n. 866 notavimus gerit.

Benedictione impertita, sedet, et, nisi mitram retineat, eam accipit. Publicata Indulgentia plenaria, quum Ministri sacri ad Thronum pervenerint, paramenta, more solito, dimittit.

Si vero benedictio ad Altare impertienda est, tunc Episcopus, absoluto Evangelio in fine Missae, sedet in Faldistorio, in medio suppedanei collocato, mitram accipit, annulum dimittit, chirothecas et annulum reassumit; ad nutum Caeremoniarum se ut supra gerit, facie semper ad populum versa.

II. - DE PRESBYTERO ASSISTENTE. — Benedictione in fine Missae impertita, Presbyter Assistens non publicat consuetam Indulgentiam, et se gerit more solito, sed quum Episcopus ad Thronum pervenerit, annulum ei aufert, quod in eius digito inducit postquam chirothecas acceperit, deinde se ad suum locum in Choro confert, et aliis Canonicis conformatur. Benedictione donata et Indulgentia plenaria per aliquem Beneficiatum publicata, ut infra, pluviale et amictum

deponit, et, suo tempore, cum Diaconis Assistentibus ad Thronum accedit, more consueto.

III. - DE DIACONIS ASSISTENTIBUS. — Missa absoluta, cum Episcopus ad Thronum pervenerit, **Diaconi Assistentes** sistunt ante infimum eius gradum donec Ministri sacri de Throno descendant, deinde ad Episcopi latera accedunt; ad nutum Caeremoniarum primi, **Diaconus secundus** mitram Episcopo aufert, quam **prior** imponit, nisi Episcopus Cruce uti possit, dum a Choro respondetur: *Amen*, post *Indulgentiam*, etc.; quo in casu mitram imponit, benedictione impertita. Postquam Indulgentia plenaria publicata fuerit, **Diaconi Assistentes** de Throno descendant et more solito se gerunt (v. n. 909).

Si benedictio ad Altare impertienda est, pariter ad latera Episcopi accedunt, quando Diaconus et Subdiaconus de eodem Altari descendant.

IV. - DE MINISTRIS SACRIS. — Quum Episcopus, Missa absoluta, ad Thronum pervenerit, **sacri Ministri**, more solito, manipulum deponunt et ad latera Episcopi accedunt, **Subdiaconus** ei manipulum exiit ac osculando porrigit. Dimisso ab Episcopo annulo, **Diaconus** imponit chirothecam in dextera, **Subdiaconus** in sinistra; deinde **ambo** de Throno descendant et ad suum se conferunt scamnum. Publicata Indulgentia plenaria, iterum ad Thronum accedunt et se gerunt ut sub n. 923 et 937 respective notavimus.

Si benedictio ad Altare impertienda est, absoluto Evangelio in fine Missae, **Ministri sacri** manipulos deponunt ante infimum Altaris gradum, ac postea ad latera Episcopi accedunt; **Diaconus** mitram ei imponit et se **ambo** ut supra gerunt. Benedictione impertita, ad Thronum accedunt.

V. - DE BENEFICIARIO INDULGENTIAM PUBLICATURO. — Impertita ab Episcopo benedictione, Beneficiarius in loco in quo commode adstantes lectionem audire possint Indulgentiam plenariam latino et vernaculo idiomate publicat sequenti formula: *Attentis facultatibus ordinariis ab Apostolica Sede concessis, Reverendissimus in Christo Pater et Dominus, Dominus N., Dei et eiusdem Apostolicae Sedis gratia huius sanctae N. Ecclesiae Antistes, Summi Pontificis nomine, dat et concedit omnibus hic praesentibus vere poenitentibus, et confessis, ac sacra communione reffectis, Indulgentiam Plenariam in forma Ecclesiae consueta; rogate Deum pro felici statu Sanctissimi Domini nostri N. divina providentia Papae, Dominationis suae Reverendissimae et sanctae Matris Ecclesiae.*

Censuimus reformare modo allato formulam publicationis Indulgentiae Plenariae donec aliter vel a S. R. Congregatione disponatur vel in futura Pontificalis Romani editione typica provideatur.

VI. - DE CAEREMONIARIIS. — Si Episcopus s. Pallio, ea die, uti potest, **Caeremoniarius primus** eum praemoneat ut, benedictione in fine Missae impertita, s. Pallium non dimittat. **Caeremoniarius secundus** tabulam cum formula publicationis Indulgentiae Plenariae Beneficiario, iam designato, tradit.

VII. - DE MINISTRIS LIBRI ET CANDELAE. — Lecto ab Episcopo Evangelio in fine Missae, **Minister libri** ex abaco Pontificale Romanum sumit et una cum **Ministro candelae**, vel ad Thronum, vel ad Altare, procedit, prout Episcopus benedictionem impertiat vel in Sede, vel ad Altare; **ambo** se gerunt ut in benedictione post sermonem (v. n. 964).

VIII. - DE MINISTRIS MITRAE ET BACULI. — Si benedictio impertienda est in Throno, **hi Ministri**, more solito, ad Thronum se conferunt; si vero ad Altare impertienda est, tunc **Minister baculi**, absoluto Evangelio in fine Missae, Episcopo baculum non tradit et **ambo** se gerunt ut in benedictione post sermonem (v. n. 965).

IX. - DE ACOLYTHO DEQUE CLERICO PRO CHIROTHERICIS. — Dum Episcopus legit Evangelium in fine Missae, **Acolythus** sumit ex abaco lancem et cum **Clerico** deferente in lance chirothecas procedit vel ad Thronum vel ad Altare, prout Episcopus benedictionem impertiat vel in Sede vel ad Altare. Cum Episcopus sederit, **ambo** ei genuflexionem peragunt et ascendunt; **prior** in lance recipit a Presbytero Assistente anulum, **alter** Caeremoniario primo praebet lancem cum chirothecis. Reassumpto ab Episcopo annulo, **ambo** descendunt et, debitis cum genuflexionibus, ad abacum revertuntur.

Benedictione impertita, cum Clericis ad paramenta recipienda, **ambo** ad Thronum iterum accedunt; **Acolythus** sistit more solito, **alter** se confert ante Clericum qui planetam recepturus sit.

X. - DE CEROFERARIIS. — Si benedictio in Sede impertienda est, **Ceroferarii** ad Thronum accedunt et Ministros sacros in deponendis manipulis adiuvant, quos super abacum reponunt; si vero benedictio ad Altare impertienda est, tunc **Ceroferarii**, Episcopo legente Evangelio in fine Missae, Faldistorium accipiunt et in medio suppedaneo statuunt, deinde descendunt ante infimum Altaris gradum et se ut supra gerunt. Dum Episcopus, benedictione impertita, ad

Thronum procedit, Faldistorium accipiunt et in medio Presbyterio collocant.

XI. - DE CRUCIFERO. — Si Episcopus Cruce uti potest tunc Crucifer, accepta ab Episcopo mitra, coram eo se confert et, more solito, se gerit ad benedictionem.

ARTICULUS II.

*Ritus benedictionis papalis
ab Episcopo, Missae assistente, impertiendae.*

969. — Cum **Celebrans** et **Ministris acri**, Missa absoluta, ad scamnum pervenerint, adiuvantibus **Ceroferariis**, manipulos deponunt; interim, si benedictio ad Altare impertienda, **duo Clerici** in medio suppedaneo Faldistorium statuunt. Quo facto, **Caeremoniarius primus** innuit **Episcopo** et **Diaconis Assistentibus** ut ad Altare procedant.

Si vero **Episcopus** in Sede benedictionem impertiat tunc, manipulis a Celebrante et a Ministris sacris depositis, statim incipit: *Precibus et meritis* etc., et se ut in praecedenti Articulo gerit.

970. — Si vero **Episcopus** Missae cappa indutus adstiterit, tunc, lecto a Celebrante in fine Missae Evangelio, Crucem pectoralem et cappam dimittit atque assumit amictum, Crucem, stolam, pluviale nec non mitram; quae paramenta, ex abaco assumpta, tradita fuerunt **Clericis** a **Caeremoniario secundo**, durante Evangelii lectione.

Omnes se gerunt ut in praecedenti Articulo.

CAPUT III.

DE MISSA SOLEMNI CUM ASSISTENTIA EPISCOPI ORDINARII PLUVIALI INDUTI

ARTICULUS I.

De iis quae praeparanda sunt.

971. — De Ecclesiae et Altarium ornatu servandum est quod iam diximus in Capite XXXIV Partis I.

I. - IN SACRISTIA CAPITULARI. — Super praecipuam mensam disponuntur pro Celebrante: amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, planeta; pro Ministris sacris: duo amictus ac totidem albae cum

cingulis, dalmatica et tunicella, duo manipuli ac stola pro Diacono. Super aliam mensam: duo candelabra cum candelis pro Ceroferariis.

II. - IN SACRISTIA MAIORI, super aliquam mensam: thuribulum cum navicula, vasculum aquae benedictae cum aspersorio, funalia pro elevatione.

III. - IN SACRISTIA ALTARI MAIORI CONTIGUA, vel si possibile est, super abacum a tergo eiusdem Altaris, praeparantur duae vimpae.

IV. - AD ALTARE MAIUS. — Crux et sex tantum ponuntur candelabra, inter quae alterne statui possunt vel Sanctorum Reliquiae vel vascula cum floribus; aderunt quoque tres consuetae tabellae.

Super Altaris mensam disponuntur Episcopi paramenta, quae velo eiusdem coloris paramentorum cooperiuntur, scilicet: pluviale, stola, cingulum, alba, amictus, formale in lance, mitra pretiosa in cornu Evangelii.

Ad latus Epistolae super eandem mensam ponitur, iuxta Rubricas Missalis Romani, Missale apertum super legile (Rit. cel. Miss., Tit. II, n. 5); sed iuxta plurium Ecclesiarum consuetudinem, Missale apertum poni potest super abacum.

Apud Altare in cornu Evangelii collocatur baculus pastoralis in basi.

V. - IN CORNU EVANGELII. — Thronus ut in Missa pontificali (v. n. 851, A, a, III).

VI. - IN CORNU EPISTOLAE E REGIONE THRONI. — Supra tapetum aptatur scamnum oblongum pro Celebrante et Ministris sacris (v. n. 400, V).

VII. - IN MEDIO PRESBYTERIO. — Collocatur Faldistorium cum pulvinis eiusdem coloris Officii.

VIII. - SUPER ABACUM. — Calix cum suis ornamentis, scilicet purificatorio, patena, hostia, palla, bursa cum corporali; prope Calicem ponitur parvum velum plicatum; pelvicula cum ampullis vini et aquae; manutergium, eaque omnia velo humerali conteguntur, item ponitur, nisi super Altare adsit, Missale apertum super legile, Evangeliarium, Epistolarium, mitra auriphrygiata, Missale et scotula nec non Canon Pontificalis. Tabula cum formula Indulgentiae, lanx pro Cruce pectorali, campanula.

Quae omnia ita disponuntur ut relinquatur spatium pro collocandis Ceroferariorum candelabris.

Hinc inde abaci ponuntur duo scabella pro Ministris libri et candelae.

IX. - AD ALTARE SS. SACRAMENTI. — Paratur genuflexorium cum strato et pulvinis viridis vel violacei coloris, pro diversitate temporum; si Praelatus sit Cardinalis, loco viridis coloris, utendum est colore rubro (Caer. Episc., L. I, cap. XII, n. 8).

Sex cerei super Altare accenduntur.

ARTICULUS II.

De Episcopo Ordinario pluviali induto Missae solemnī assistente.

972. — Episcopus, more solito, procedit ad Ecclesiam (v. n. 519 et seqq.); reverentia Crucis Altaris maioris peracta, respondet inclinationi Celebrantis, dein in Faldistorio genuflectit, breviter orat ac postea surgit, ad Thronum ascendit ubi paulisper sedet. Ad nutum Caeremoniarii surgit; depositis bireto, Cruce et cappa magna, assumit amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, stolam, pluviale, formale, deinde sedet et mitram pretiosam accipit.

Ad nutum eiusdem Caeremoniarii, accipit baculum, surgit et medius inter Diaconos Assistentes ante infimum Altaris gradum procedit, ibique, depositis baculo et mitra, habens ad suam sinistram Celebrantem, more solito, ipsemet Missam incipit cui Celebrans respondet usque ad: *Amen*, post: *Indulgentiam*, etc. (D. 1275 ad 7); quo responso, «Episcopus stans in eodem loco Confessionem absolvit cum Diaconis Assistentibus» (DD. 3213 ad 8; 1583 ad 6).

Responso: *Et cum spiritu tuo*, per Diaconos Assistentes, Episcopus accipit mitram et baculum; Crucis Altaris reverentia peracta, ad Thronum procedit, ubi, dimisso baculo, imponit et benedicit incensum.

973. — Celebrante thurificato, Episcopus surgit cum mitra, incensatur, benedicit Presbyterum Assistentem, sedet, mitram deponit, iterum surgit et legit Introitum; alternatim cum suis Assistentibus et Canonicis recitat memoriter *Kyrie, eleison* etc., ac Angelicum Hymnum; quo absoluto, Episcopus Canonicos benedicit, quod sic semper in fine circuli observatur (Caer. Episc., L. I, cap. XXI, n. 3), deinde sedet et mitram auriphrygiatam accipit. Recitans Hymnum et dum idem a Choro cantatur, circa inclinationes se gerit ut sub n. 860 diximus.

Hymni cantu completo, mitram deponit, surgit; ad Orationis, vel Orationum cantum consistit, iunctis manibus, dein sedet et mitram accipit. Decantata Epistola, ponit super librum dexteram, quam Subdiaconus osculatur, dein iungit manus et Subdiaconum benedicit.

Postea sedens legit Epistolam et reliqua omnia usque ad Evangelium inclusive, ei praemittendo: *Munda cor meum* etc., *Iube, Domine*, etc., *Dominus sit* etc., et: *Dominus vobiscum* (D. 1476 ad 7), ut in Missa pontificali (v. n. 863). Evangelio lecto, manum Diacono deosculandam praebet, dein imponit et benedicit, more solito, incensum; benedictionem etiam Diacono impertit dicens: *Dominus* etc. (v. n. 864). Dum Diaconus cantat: *Dominus vobiscum*, Episcopus, dimissa mitra, surgit, baculum accipit; ad verba: *Sequentia*, vel: *Initium* etc., signat se in fronte, ore et pectore; consistit adversus Diaconum cantantem, retinens baculum inter ambas manus iunctas, et se gerit ut in Missa pontificali (*ibi*).

Decantatis a Celebrante verbis: *Credo in unum Deum*, Episcopus memoriter recitat Symbolum cum Assistentibus et Canonicis quos, recitato Symbolo, benedicit, deinde sedet, mitram auriphrygiatam accipit et se gerit ut in Missa pontificali (v. n. 868).

974. — Symbolo a Choro decantato, Episcopus mitram deponit, surgit et postquam Celebrans decantaverit: *Dominus vobiscum*, stans legit Offertorium; quo absoluto, sedet, mitram accipit; quum Subdiaconus elevat ampullam aquae benedictionem petens, Episcopus producens Crucis signum adversus eam dicit: *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen* (D. 3569, dub. II), ac postea imponit et benedicit incensum dicens: *Per intercessionem* etc. Dum Celebrans a Diacono incensatur, Episcopus surgit et, iunctis manibus, thurificatur, Presbyterum Assistentem benedicit, ac postea sedet; cum Praefatio inchoatur, dimissa mitra, surgit.

Praefatione absoluta, cum Assistentibus et Canonicis recitat: *Sanctus* etc., dein Canonicos benedicit, sedet; acceptis mitra et baculo, inter Diaconos Assistentes ad Faldistorium procedit; ibi baculum, mitram, necnon pileolum dimittit et genuflectit.

Post elevationem Hostiae et Calicis surgit, genuflectit, unico genu (D. 4135 ad 3); acceptis pileolo, mitra et baculo, ad Thronum revertitur, non benedicens Clerum; quo cum pervenerit, sedet, baculum, mitram ac pileolum dimittit (D. 2895 ad 3), vel potest etiam pileolum retinere, si consuetudo adsit (D. 3188), surgit et consistit; iunctis manibus ad Altare conversus: *Agnus Dei* etc., recitat cum Assistentibus et Canonicis, quos postea non benedicit. Pacem accipit a Presbytero Assistente, quam Diaconis Assistentibus dat.

975. — Pretioso Sanguine sumpto a Celebrante, Episcopus pileolum, si illud dimiserit, reassumit, legit Versiculum «*Communio*», dein sedet, et mitram accipit.

Quum Celebrans cantat: *Dominus vobiscum*, Episcopus, mitra deposita, surgit et consistit, iunctis manibus, ad Orationis, vel Orationum cantum.

Responso a Choro: *Deo gratias*, post: *Ite Missa est*, Episcopus benedictionem impertit eodem modo ut sub n. 569 notavimus, et dum Celebrans Indulgentias publicat sedet, dein deponit baculum ac mitram; infra Evangelii lectionem consistit, iunctis manibus, et ad: *Verbum caro* etc., genuflectit.

Evangelio absoluto, sedet, mitram accipit, benedicit Celebrantem eiusdemque Ministros ac postea paramenta deponit et se gerit ut sub n. 527 notavimus.

ARTICULUS III.

De Presbytero Assistente ad Missam solemnem cum assistentia Episcopi Ordinarii pluviali induti.

976. — Presbyter Assistens, de cuius officio generatim diximus sub n. 538 et 539, usque ad Confessionem inclusive se aliis Canonicis conformat; si vero est prima Dignitas, more solito, aspersionem Episcopo offert ad ianuam Ecclesiae. Confessione absoluta, pergit ad Thronum, incensum ministrat, dein sedet in scabello ad dexteram, prope Episcopi Sedem. Dum Celebrans thurificatur, surgit, de Throno descendit et cum Thuriferarius advenerit, thuribulum ab eo accipit ac, triplici ductu, more solito, Episcopum incensat, dein ad scabellum, prope Episcopi Sedem, revertitur.

Cum Canonici ad circulum veniunt, ipse de Throno descendit, et se confert ad locum suum in circulo inter Canonicos; Angelico Hymno recitato, revertitur ad scabellum suum in Throno. Recitans Hymnum et dum a Choro canuntur verba quae inclinationes exposcunt, se gerit ut sub n. 887 diximus.

Angelico Hymno a Choro decantato, surgit et ad Orationes, iunctis manibus, consistit; dum Subdiaconus canit Epistolam sedet; qua absoluta, surgit et se ut in Missa pontificali gerit (v. n. 888) usque ad Episcopi thurificationem inclusive, post Evangelii cantum.

Episcopo thurificato, se confert ad locum suum inter Canonicos pro circulo consistentes, et cum eis ad: *Et incarnatus est* etc., genuflectit. Symbolo recitato, ad suum scabellum, apud Episcopi Sedem, accedit, sedet, tegit caput, quod detegit et inclinat ad verba quae inclinationes exposcunt, nec non ad: *Et incarnatus est* etc.

977. — Symbolo a Choro decantato, surgit et consistit donec Episcopus Offertorium legerit, dein sedet. Postquam Episcopus aquam benedixerit, ipse surgit et, more solito, incensum ministrat, iterumque sedet. Altari thurificato, rursus surgit, de Throno descendit, a Diacono thuribulum accipit, Episcopum incensat, deinde ad scamnum suum revertitur, a Diacono thurificatur et sistit donec secundus Diaconus Assistens incensatur ac postea sedet. Ad Praefationem surgit et circa eiusdem finem se confert ad suum locum inter Canonicos in circulo. *Sanctus* etc. recitato, pergunt ad stallum suum in Choro ubi genuflexus perstat usque ad elevationem inclusive, deinde surgit et, iunctis manibus, consistit.

978. — Responso a Choro: *Sed libera nos a malo*, post: *Pater noster* etc., Presbyter Assistens cum aliis Canonicis ad circulum venit; recitato: *Agnus Dei* etc., immediate, absque genuflexione, suppedaneum ascendit, a dextris Celebrantis genuflexionem peragit, Altare deosculatur, more solito, pacem accipit, genuflexionem iterat et pacem directe ad Episcopum defert, supponens brachia sua brachiis eius, deinde ad suum stallum in Choro revertitur, ibique consistens pacem Subdiacono dat ac postea aliis Canonicis se conformat.

ARTICULUS IV.

De Diaconis Assistentibus ad Missam solemnem cum assistentia Episcopi Ordinarii pluviali induti.

979. — **Diaconi Assistentes**, de quorum officio generatim iam sub n. 540 et seqq. diximus, in habitu choralis procedunt cum aliis Canonicis ad associandum Episcopum (v. n. 519 et seqq.). Cum Episcopus ad Altare maius pervenerit, genuflectunt ad latera Faldistorii, super quod Episcopi cappam extendunt; **Diaconus primus** accipit a Caeremoniario ipsius Episcopi biretum. Surgente Episcopo, et **ipsi** surgunt, eum ad Thronum comitantur et **primus** Episcopo sedenti biretum porrigit; **ambo** sedent, tecto capite. Ad nutum Caeremoniarii primi, surgunt et **primus** Episcopi biretum accipit ac Caeremoniario tradit, dein, **secundo Diacono** adiuvante, Episcopum induit sequenti modo:

Dignior singula paramenta a Caeremoniario primo accipit: amictum circa extremitates et chordulas capit, eum iuxta Crucem osculatur ac Episcopo, ubi Crux adest, osculandum offert; **alter**, chordulas amictus post Episcopi tergum ducit; **primus** albam super

Episcopi caput immittit, deinde circa collum et brachia aptat; **secundus** manicam sinistram albae elevat; **primus** cingulum constringit et albam ita aptat ut circumcirca aequaliter defluat, dein osculata in parte Cruce pectorali, Episcopo osculanda offert eiusque collo imponit ita ut ante pectus pendeat; accipit stolam et etiam iuxta Crucem osculatur, tum Episcopo offert deosculandam in Crucem, eamque super humeros eius ita applicat ut nec collum tegat, nec transversa sit in modum Crucis, sed aequaliter ante pectus pendeat: pluviali, Episcopum induit, tandem ei mitram pretiosam imponit (v. n. 542); **alter Diaconus** vittas mitrae a tergo elevat; **ambo** sistunt et ad nutum Caeremoniarii primi cum Episcopo de Throno descendunt, sustinentes eius pluvialis fimbrias atque ad Altare procedunt.

980. — Quum ante infimum Altaris gradum **ambo** pervenerint, **Diaconus secundus** Episcopo mitram aufert et Ministro tradit dein cum **primo Diacono** recedit aliquanto (D. 2682 ad 15) et:

I. — Si Diaconus et Subdiaconus Missae Canonici sint, tunc **Diaconus primus** sistit versus cornu Epistolae, **alter** vero versus cornu Evangelii et in eorum medio Ministri Missae; **Diaconus primus** cum Diacono Missae Confessionem recitat, **Diaconus secundus** cum Subdiacono usque ad: *Amen* post: *Indulgentiam* inclusive (v. n. 994).

II. — Si Missae Ministri Canonici non sint, tum **Diaconi Assistentes** pariter aliquanto recedunt, sed **ambo** sistunt versus latus Epistolae, **Diaconus primus** ad dexteram **Diaconi secundi** et inter se Confessionem recitant usque ad: *Amen* inclusive, post: *Indulgentiam* (v. n. 995).

981. — Responso a Celebrante: *Amen*, post: *Indulgentiam*, etc., **Diaconi Assistentes** accedunt ad latera Episcopi eique respondent (DD. 3213 ad 8; 1583 ad 6). Dicto: *Et cum spiritu tuo*, **Diaconus primus** mitram pretiosam imponit Episcopo; **uterque** cum eo ad Thronum procedit, sustinens pluvialis fimbrias.

Dum Episcopus incensum in thuribulum imponit, **Diaconi Assistentes** sustinent fimbrias eius pluvialis; thure imposito, sedent et caput cooperiunt.

Dum Celebrans thurificatur, una cum Presbytero Assistente **ambo** surgunt; Episcopo thurificato, **dignior** pluvialis fimbriam elevat dum Episcopus benedicit Presbyterum, ac postea **alter** Episcopo sedenti mitram aufert (v. n. 542). Ad Introitum **uterque** se signat, folia vertit et cum Episcopo alternatim recitat: *Kyrie, eleison* etc., dein, si cantus longius pertrahatur, **Diaconus primus**, Episcopo sedenti, mitram auri-

phrygiatam imponit; tum **ambo**, tecto capite, sedent cum Presbytero Assistente.

Cum cantatur ultimum *Kyrie*, ad nutum Caeremoniarum primi **ambo** surgunt cum Presbytero Assistente, **secundus Diaconus** mitram Episcopo aufert; intonato a Celebrante Angelico Hymno, **Diaconi Assistentes** cum aliis Hymnum recitant; quo absoluto, **Diaconus primus** Episcopo sedenti mitram auriphrygiatam imponit, dein **ambo**, tecto capite, sedent; caput detegunt et inclinant ad verba quae inclinationes exposcunt (v. n. 902).

Hymno a Choro decantato, **Diaconi Assistentes** surgunt, **secundus** mitram Episcopo aufert; **ambo** ad Orationem, vel Orationes consistunt, iunctis manibus; quibus absolutis, **Diaconus primus** Episcopo mitram imponit, dein **ambo** sedent et caput cooperiunt.

Quum Subdiaconus post Epistolam ad Thronum accedit surgunt et se gerunt ut in Missa pontificali (v. n. 903).

Decantatis per Celebrantem verbis: *Credo in unum Deum*, **Diaconi Assistentes** cum Episcopo et aliis Symbolum recitant et se gerunt ut sub n. 905 diximus; lecto ab Episcopo Offertorio, **dignior** imponit ei mitram auriphrygiatam: quum Subdiaconus elevat ampullam aquae versus Episcopum, **ambo** surgunt et **primus Diaconus** elevat pluvialis fimbriam Episcopi benedictis; pariter **ambo** stantes assistunt ad incensi impositionem, deinde sedent.

982. — Altari thurificato, surgunt; **Diaconus primus** pluviale elevat, dum Episcopus Presbyterum Assistentem benedicit; duplici ductu incensatur post Presbyterum Assistentem, **alter** post Diaconum primum, deinde **ambo** sedent.

Dum Praefatio inchoatur surgunt; **Diaconus secundus** mitram Episcopo aufert, **ambo** cum Episcopo et aliis recitant: *Sanctus* etc., deinde **Diaconus primus** Episcopo sedenti mitram pretiosam imponit; **uterque**, fimbrias pluvialis attollens, cum eodem Episcopo ad Faldistorium procedit.

Cum ante Faldistorium Episcopus pervenerit et baculum pastorem dimiserit, **Diaconus secundus** mitram ei aufert, **primus** pileolum, dein **ambo** ad latera Faldistorii genuflectunt. Elevatione peracta, surgunt, genuflexionem, unico genu, peragunt; **Diaconus primus** pileolum et mitram Episcopo imponit; **ambo**, pluvialis fimbrias sustinentes, ad Thronum procedunt, ibique **Diaconus secundus** mitram et pileolum vel tantum mitram, si consuetudo adsit (D. 3188), aufert; **ambo** consistunt. Cum Episcopo et aliis recitant: *Agnus Dei* etc.

Dum Episcopus pacem accipit **Diaconi Assistentes** elevant plu-

vialis fimbriam. Postquam pacem Episcopus acceperit, **Diaconus primus** se ante illum confert, gradum Cathedrae conscendit et ab eodem Episcopo pacem accipit; reverentia ei peracta, ad suum locum pergit; ita se gerit **alter Diaconus**.

Pretioso Sanguine a Celebrante sumpto et lecto ab Episcopo Versiculo «*Communio*», **Diaconus primus** mitram et pileolum, si illud dimiserit, ei imponit; deinde **ambo** sedent.

Cum Celebrans cantat: *Dominus vobiscum*, surgunt; **secundus Diaconus** mitram Episcopo aufert, dein **ambo**, iunctis manibus, consistunt; recitata a Celebrante Oratione: *Placeat* etc., **Diaconus primus**, si Episcopus uti Cruce nequit, mitram pretiosam ei imponit; **ambo** ad: *Benedicat vos* etc., elevant fimbrias pluvialis et stantes profunde se inclinant.

Publicata Indulgentia, **Diaconus secundus** mitram Episcopo aufert; **ambo** genuflectunt ad: *Et Verbum caro* etc., si legatur Evangelium S. Ioannis.

Evangelio absoluto, **primus Diaconus** mitram Episcopo imponit, **alter** vero impertita ab eodem Episcopo benedictione Celebranti et sacris Ministris, mitram eidem Episcopo aufert, deinde **dignior**, **altero** adiuvante, Episcopum exiit: aufert pluviale, stolam, Crucem pectoralem, cingulum, albam, amictum; stolam, Crucem pectoralem, amictum ipsi osculanda praebet, et omnia Caeremoniarum primo tradit. Reassumpta ab Episcopo Cruce pectorali, **Diaconus primus** ei porrigit biretum et cum eo **ambo** ad Faldistorium procedunt super quod cappam extendunt. Surgente Episcopo, et **ipsi** surgunt; **Diaconus primus** biretum ei porrigit, deinde **ambo** recedunt et suis in locis Episcopum sequuntur.

ARTICULUS V.

De Celebrante in Missa solemnī coram Episcopo Ordinario assistente pluviali induto.

983. — Celebrans cum sacris Ministris procedit ad Altare, ante Episcopi adventum; reverentia Cruci peracta, pergit ad scamnum in cornu Epistolae, ibique sedet, tecto capite. Cum Episcopus in Presbyterium ingreditur, Celebrans caput detegit, surgit, eidem profundam capitis reverentiam facit et perstat; reverentiam Episcopo de Faldistorio surgenti iterat. Cum idem Episcopus sedet in Throno et ipse sedit atque caput tegit. Dum Ordinario mitra a Diacono primo imponitur, Celebrans caput detegit, surgit, reverentiam ei peragit et

medius inter sacros Ministros ad Altare procedit ita lente ut Praelatus prius transeat; ad sinistram eiusdem Episcopi, sed aliquantulum retro, se confert (v. n. 994); facta una cum eo profunda reverentia Cruci Altaris ei respondet usque ad: *Indulgentiam*, etc., inclusive. Dicto: *Amen* et facta Episcopo reverentia, Celebrans recedit inter suos Ministros (v. n. 996) et cum ipsis prosequitur: *Deus, tu conversus* etc.; Episcopo ab Altari profecto, Celebrans, dicens: *Aufer a nobis* etc., Altare ascendit et, more solito, in medio osculatur. Incensum non imponit, sed, accepto thuribulo, Altare ut in aliis Missis thurificat et a Diacono, in cornu Epistolae, duplici ductu, incensatur, dein expectat donec Episcopus thurificatus fuerit; tunc legit Introitum et recitat *Kyrie* etc. eodem tempore ac Episcopus, et postea accedit ad medium Altaris; decantato a Choro ultimum *Kyrie*, canit, more solito: *Gloria in excelsis Deo*. Recitato Angelico Hymno, per brevioram viam ad scamnum pergunt, ibique sedet et se gerit ut in aliis Missis solemnibus.

Circa finem Hymni, ad nutum Caeremoniarum secundi, caput detegit, surgit, reverentiam Episcopo peragit, ad Altare, more solito, accedit et se gerit ut in Missa solemni, sed Subdiaconum post lectionem Epistolae non benedicit, nec, lecto Evangelio, incensum imponit, nec Diaconum benedicit. Ad cantum Evangelii se ad Diaconum vertit ut alias; cantu absoluto, librum non osculatur, nec incensatur. Episcopo thurificato, canit: *Credo in unum Deum*. Symbolo recitato, per brevioram viam ad scamnum pergunt ibique sedet et se gerit ut in aliis Missis solemnibus. Circa finem cantus Symboli, ad nutum Caeremoniarum secundi, caput detegit, surgit, reverentiam Episcopo peragit, ad Altare, more solito, accedit et se gerit ut in Missa solemni, sed aquam non benedicit. Orationem: *Deus, qui humanae* etc., recitat; incensum in thuribulum non imponit, oblata nec non Altare, more solito, thurificat et in fine, duplici ductu, thurificatur. Pacem non Diacono sed Presbytero assistenti dat.

Recitato: *Placeat* etc., osculatur Altare, deinde recedit ad latum Epistolae; conversus ad Episcopum manet profunde inclinatus ad benedictionem; qua impertita, ad populum conversus legit formulam *Indulgentiae* (v. n. 890).

Indulgentia publicata, ad medium Altaris revertitur, reverentiam Cruci peragit, ad cornu Evangelii accedit et legit Evangelium; quo absoluto, reverentiam Cruci facit, de Altari descendit, Cruci reverentiam iterat, deinde se Episcopo profunde inclinatur et in Sacristiam revertitur.

ARTICULUS VI.

De Diacono et Subdiacono in Missa solemni coram Episcopo Ordinario assistente pluviali induto.

984. — **Diaconus** et **Subdiaconus** procedunt ad Altare cum Celebrante ante Episcopi adventum; si Canonici Ecclesiae Cathedralis non sunt, ante Altare et Episcopum genuflectere debent; si vero Canonici, profundam reverentiam tantum facere debent, etiam ad benedictionem post Epistolam, vel ante Evangelium (Caer. Episc., L. I, cap. XVIII, n. 3; L. II, cap. VIII, n. 40, 44; DD. 310; 832).

Genuflexione vel reverentia Altari peracta, pergunt ad scamnum, in cornu Epistolae, ibique sedent, tecto capite. Quum Episcopus in Presbyterium ingreditur surgunt, eidem profundam capitis reverentiam, vel genuflexionem, faciunt et perstant; Episcopo de Faldistorio surgenti reverentiam, vel genuflexionem, iterant; cum idem Episcopus in Throno sedet et ipsi cum Celebrante sedent atque caput cooperiunt.

Dum Episcopo mitra a Diacono primo imponitur, caput detegunt, surgunt, reverentiam, vel genuflexionem, Ordinario peragunt et cum Celebrante ad Altare procedunt ita lente ut Episcopus transeat; ipsi sistunt retro post Episcopum et Celebrantem, si Canonici in medium Diaconorum Assistentium, et in casu **Diaconus** Confessionem facit cum Diacono primo Assistente, **Subdiaconus** cum secundo Diacono; si vero non sunt Canonici, tunc **Subdiaconus** sistit retro post Celebrantem ad sinistram Diaconi et cum eo Confessionem facit (v. n. 994 et 995).

Diaconus, dicto: *Indulgentiam*, etc., ac responso a **Subdiacono**: *Amen*, se retrahit versus cornu Epistolae ut Celebrans sistere possit inter se et Subdiaconum. **Diaconus** et **Subdiaconus** Celebranti respondent ad: *Deus, tu conversus* etc., et reliquis Versiculis. Episcopo ab Altari profecto, **ambo** se gerunt ut in aliis Missis solemnibus, sed **Diaconus** non ministrat naviculam pro impositione incensi; cum vero Thuriferarius thuribulum affert, illud accipit et Celebranti, absque osculis, porrigit, **ambo** se gerunt, more solito, sed **Diaconus** Celebrantem duplici ductu incensat.

Ambo, recitato cum Celebrante Hymno Angelico, per brevioram viam ad scamnum pergunt ibique sedent (v. n. 1202 et 1228).

Circa finem cantus Hymni, ad nutum Caeremoniarum secundi caput detegunt, surgunt, reverentiam, vel genuflexionem, faciunt Episcopo, et ad Altare procedunt.

985. — Epistola decantata, **Subdiaconus**, Caeremoniario secundo comitante, ad Thronum procedit, illud ascendit, inclinatus, vel genuflexus, manum Episcopi osculatur et benedictionem accipit; tum de Throno descendit, reverentiam, vel genuflexionem, peragit, librum Caeremoniario tradit, accedit ad infimum Altaris gradum, reverentiam, vel genuflexionem, Cruci facit, ascendit ad cornu Epistolae et transfert Missale cum legili ad cornu Evangelii. Lecto a Celebrante Evangelio, descendit in planum et sistit ante infimum gradum, aliquantum versus Evangelii cornu.

986. — Interim **Diaconus** Evangeliarium ad Altare defert, utraque manu, debitis cum reverentiis, vel genuflexionibus, Episcopo et Cruci Altaris. Deposito Evangeliarium super Altaris mensam, per gradus laterales ad Thronum pergunt, ibique consistit ante infimum gradum, Episcopo reverentiam, vel genuflexionem, peragit, ascendit ad Thronum et inclinatus, vel genuflexus, Episcopi dexteram osculatur, tum descendit, Episcopo reverentiam, vel genuflexionem, peragit iterum; per planum se confert ad medium Altaris, ubi genuflexus super infimum eius gradum, capite inclinato iunctisque manibus, secreto dicit: *Munda cor meum* etc. (v. n. 914). Quo dicto, surgit, ascendit ad Altare, accipit Evangeliarium, descendit et apud infimum gradum versus cornu Epistolae expectat ad dexteram Subdiaconi, donec sit tempus eundi (v. n. 954).

Ad nutum Caeremoniarii secundi, cum **Subdiacono** et aliis reverentiam, vel genuflexionem, Cruci peragit et, praecedente **Subdiacono**, ad Thronum pergunt.

Cum ad Thronum pervenerint, **Diaconus** profunde inclinatus, vel genuflexus, benedictionem petit dicens: *Iube, domne, benedicere* et inclinatus, vel genuflexus, manet donec benedictionem acceperit; **Subdiaconus** vero ante Thronum sistit a sinistris paulo post Diaconum, qui stat in medio, et inclinatus, vel genuflexus, manet pariter donec Diaconus benedictionem acceperit (v. n. 956).

Postquam Episcopus Diacono benedictionem dederit, **Ministri sacri** profundam reverentiam vel genuflexionem Episcopo peragunt et procedunt, eodem ordine quo ad Thronum accesserint, ad locum ubi Evangelium decantari solet (v. n. 958-960). **Diaconus** aperit librum et illum ponit in manibus **Subdiaconi**, vel in legili ponit et aperit; iunctis manibus, more solito, cantat: *Dominus vobiscum* (v. n. 914).

Si ad Evangelium canendum legile adhibetur vel si Evangelium canendum sit in ambone, **Subdiaconus** se gerit ut sub n. 931 diximus.

Diaconus, absoluto Evangelii cantu, manu dextera indicat Subdiacono principium Evangelii; si vero liber collocatus fuerit in legili, de eo sumit et apertum tradit Subdiacono, cui initium textus monstrat, deinde pergunt ad Altare et sistit retro post Celebrantem; **Subdiaconus**, nulla prorsus facta reverentia, defert librum apertum ad Episcopum eique osculandum offert, dein librum claudit, profundam reverentiam peragit, de Throno descendit, Evangeliarium Caeremoniario secundo tradit, reverentiam Episcopo iterat, vel genuflexionem facit, ac postea ante infimum Altaris gradum accedit et in medio sistit.

987. — Ad: *Credo* etc., **ambo** se gerunt ut in aliis Missis solemnibus; cum pergunt ad scamnum et ab eo recedunt se ut supra gerunt sicut ad: *Gloria* etc. Cum **Diaconus** ad Altare defert bursam, reverentiam Celebranti, reverentiam, vel genuflexionem, Episcopo et Altari facit.


Subdiaconus postquam Calicem absterserit, conversus ad Episcopum profunde inclinatus, vel genuflexus, elevat ampullam aquae coram eo dicens: *Benedicite, Pater Reverendissime*, deinde aquam in Calicem infundit.

Diaconus non ministrat naviculam pro impositione incensi; cum vero Thuriferarius thuribulum affert, illud accipit et Celebranti, absque osculis, porrigit ac se gerit ut in aliis Missis solemnibus, sed Celebrantem, duplici ductu, incensat; postea, debitis cum reverentiis, vel genuflexionibus, accedit ad Thronum, thuribulum Presbytero Assistenti tradit et a dextris eius, sed paulo post eundem, sistit.

Episcopo thurificato, accipit thuribulum a Presbytero Assistente, absque osculis; reverentia, vel genuflexione, Episcopo peracta, se super sinistram suam aliquantulum convertit, duplici ductu, reverentiis prius ac postea factis, Presbyterum Assistentem incensat, deinde, eodem modo, primum Diaconum Assistentem; quo thurificato, in medium ante Thronum revertitur, Episcopo reverentiam, vel genuflexionem, peragit, et conversus aliquantulum super dexteram suam adolet, ut supra, secundum Diaconum Assistentem; iterum se in medium ante Thronum confert, Episcopo reverentiam, vel genuflexionem, facit et ad Chorum incensandum procedit (v. n. 590).

Recitato: *Sanctus* etc., **Subdiaconus** descendit et consistit aliquantulum versus cornu Epistolae, ubi sub elevatione genuflectit. Quum Episcopus post elevationem surgit et ad Thronum accesserit, **Subdiaconus** consistit in medio, ante infimum Altaris gradum. Recitato: *Agnus Dei* etc., **Diaconus** accedit ad sinistram Cele-

991. — Dispositio ad circulum si Thronus stet e regione Altaris.



C. 1.

C. 2.

C. 3.

C. 4.

C. 5.

C. 6.

C. 7.

C. 8.

992. — Lecto ab Episcopo Introitu, **Canonici** cum eodem alternatim recitant: *Kyrie, eleison* etc.; decantatis a Celebrante verbis: *Gloria in excelsis Deo*, cum eodem Episcopo prosequuntur: *Et in terra* etc. Ad: *Cum Sancto* etc., se signare possunt; Hymno recitato, reverentiam Episcopo peragunt et **digniores** prius, **ceteri** post, ad sua loca, facta Altari reverentia, accedunt, sedent et se ut in aliis Missis solemnibus gerunt.

Thurificato Episcopo, post Evangelii cantum, **Canonici**, ut supra, de suis stallis descendunt, ad Thronum procedunt et faciunt circulum. Intonato a Celebrante Symbolo, **Canonici** prosequuntur cum Episcopo: *Patrem omnipotentem* etc., et ad: *Et incarnatus* etc., genuflectunt; ad: *Et vitam* etc., se signant. Symbolo recitato, reverentiam Episcopo peragunt et se gerunt, ut supra.

Dum Episcopus Offertorium stans legit, **Canonici** pariter stant; cum ipse sedet et ipsi sedent ac in reliquis se ut in Missa pontificali gerunt.

Decantatis a Celebrante verbis: *Gratias agamus* etc., de stallis suis descendunt ad faciendum circulum; recitato: *Sanctus* etc., ad loca sua redeunt.

Responso a Choro: *Amen*, post: *Et ne nos inducas in tentationem*, **Canonici** iterum de stallis descendunt ad circulum faciendum; recitato cum Episcopo: *Agnus Dei* etc., ad scabella sua revertuntur.

Canonicus dignior in Choro, nisi sit Presbyter Assistens, a Subdiacono pacem accipit; deinde omnes se gerunt ut in Missa pontificali (v. n. 939).

ARTICULUS VIII.


De Caeremoniariis

in Missa solemnibus coram Episcopo Ordinario pluviali induto.

993. — DE CAEREMONIARIO PRIMO. — Caeremoniarius primus, omnibus rite dispositis, se gerit ut sub n. 944 dictum est.

Quum Episcopus paulisper sederit, innuit ut ille surgat; a Diacono primo accipit Episcopi biretum quod Cubiculario tradit, dein singula paramenta a Clericis accipit et, absque osculis, primo Diacono porrigit.

994. — Dispositio ad Confessionem si Missae Ministri Canonici non sunt.



E.

C.

Caer. II.

Caer. I.

S. D.

D.II. D.I.


Min. bac.

Min. cand.

Min. lib.

Min. mit.

995. — Dispositio ad Confessionem si Missae Ministri Canonici sunt.



C. E.

Caer. II.


Caer. I.

D. II. S.

D. D. I.

Min. bac. Min. cand. Min. lib. Min. mit.

996. — Dispositio ad Confessionem dicto ab Episcopo: « Indulgentiam etc. ».



Min. bac.

D. II. E.

D. I.

Caer. I. Min. mit.

S. C. D.

Caer. II.

Min. cand.

Min. lib.

997. — Accepto ab Episcopo baculo, Caeremoniarius praet ante omnes ad Thronum et se gerit ut in Missa pontificali.

Dum Subdiaconus elevat ampullam aquae versus Episcopum, innuit ut Episcopus aquam signo Crucis benedicat. Recitato ab Episcopo una cum Canonicis: *Sanctus* etc., illum ad Faldistorium invitat et, deposita ab eodem Episcopo mitra ante Altare, a Diacono primo accipit pileolum quem deponit in lance a Clerico sustentata.

Peracta ab Episcopo genuflexione post elevationem, pileolum tradit Diacono primo; cum Episcopus, in Sede sua, mitram dimittit, Caeremoniarius accipit a secundo Diacono pileolum quem in lance reponit. Si consuetudo adsit, Episcopus pileolum retinere potest (D. 3188).

Dum Presbyter Assistens pacem Episcopo dat, innuit ut Diaconus primus accedat ad Episcopum ad recipiendam pacem, dein innuit ut alter Diaconus pariter ad Episcopum accedat. Ipse a secundo Caeremoniario pacem accipit.

Pretioso Sanguine a Celebrante sumpto, sumit de lance pileolum quem Diacono primo tradit. Si Episcopus uti Cruce potest tunc praemoneat Cruciferum ut, decantatis verbis: *Ite Missa est*, Crucem accipiat et coram Episcopo sistat pro benedictione pontificali. Dum Episcopus paramentis exiit ea a primo Diacono accipit et Clericis tradit. Cappa ab Episcopo reassumpta, Crucem pectoralem ei imponit.

998. — DE CAEREMONIARIO SECUNDO. — Quum Episcopus ad ianuam Ecclesiae pervenerit, Caeremoniarius invitat Celebrantem et Ministros sacros ut ad Altare maius procedant. Quo cum pervenerint, debita reverentia, vel genuflexione, facta, eos ad scamnum ducit; Episcopo in Presbyterium ingrediente, innuit eis ut surgant et Celebrans reverentiam, Ministri reverentiam, vel genuflexionem, faciant; ipse vero genuflexionem peragit. Cum Episcopus ad Sedem pervenerit, Caeremoniarius innuit Celebranti et sacris Ministris ut sedeant. Curet ut Clerici tollant de medio Presbyterio Faldistorium et congruo in loco illud reponant.

Episcopo parato, Caeremoniarius signum surgendi dat et, debitis cum reverentiis, ducit Celebrantem et Ministros sacros ad Altare; quo cum pervenerit, sistit in cornu Evangelii. Curet Caeremoniarius ut ad Confessionem Celebrans consistat ad Episcopi sinistram, paulo post eum, ac Ministri sacri disponantur ut sub n. 994 vel 995.

Responso a Celebrante: *Amen*, post: *Indulgentiam*, etc., curet etiam ut Celebrans recedat inter Ministros sacros (v. n. 996).

Postquam Episcopus recitaverit: *Kyrie* etc., cum Canonicis, Caeremoniarius innuit Celebranti ut Angelicum Hymnum intonet, dein se ut in aliis Missis solemnibus gerit.

Dum a Choro concinuntur verba: *Cum Sancto* etc., surgit, Celebranti sacrisque Ministris signum surgendi dat et praemoneat Celebrantem ut reverentiam, Ministros sacros reverentiam, vel genuflexionem, faciant Episcopo atque eos ad Altare ducit.

Lecta Epistola a Subdiacono, se uti in aliis Missis pontificalibus gerit (v. n. 953).

Thurificato Episcopo post Evangelii cantum, innuit ut Celebrans Symbolum intonet.

Praemoneat Diaconum ut, antequam deferat bursam ad Altare, reverentiam Celebranti atque reverentiam, vel genuflexionem, Episcopo faciat. Cum a Choro canuntur verba: *Et vitam* etc., se ut in fine Angelici Hymni gerit. Praemoneat etiam Subdiaconum ut, postquam Calicem absterserit, se ad Episcopum convertat et, vel profunde inclinatus vel genuflexus, elevant ampullam aquae coram eo dicens: *Benedicite, Pater Reverendissime*.

Curet ut Clerici statuam in medio Presbyterio Faldistorium et, completa elevatione, iterum illud tollant et congruo in loco reponant.

Dum Episcopus cum Canonicis recitat: *Agnus Dei* etc., accedit apud Presbyterum Assistentem, eum invitat ad Altare; quo cum pervenerit, sistit ante infimum eius gradum. Quum Presbyter Assistens de Altari descendit, illum reducit ad Thronum; pace donata Episcopo, ad eius locum, in Choro, comitatur. Quum idem Presbyter Assistens Subdiacono pacem donaverit, Caeremoniarius comitatur eundem Subdiaconum ad pacem Choralibus distribuendam.

Impertita ab Episcopo benedictione, Celebranti porrigit librum cum formula Indulgentiae; qua publicata, librum recipit et super abacum reponit, dein curet ut Clerici Faldistorium in medio Presbyterio statuam. Praemoneat Celebrantem et sacros Ministros ut, peracta reverentia vel genuflexione Altari, Ministri genuflectant vel se inclinent, Celebrans se inclinet Episcopo, antequam in Sacristiam pergant.

ARTICULUS IX.

*De Ministris libri, candelae, mitrae et baculi
in Missa solemnium coram Episcopo Ordinario pluviali induto.*

999. — **Hi Ministri**, more solito, cum aliis procedunt ad associandum Episcopum. In Functione pluvialia non induunt, sed **Minister mitrae** et **alter de baculo** vimpas assumunt.

I. - DE MINISTRO LIBRI ET CANDELAE. — Quum **Ministri** ad Altare maius pervenerint, procedunt ad scabellum suum, hic inde abaci, ibique genuflectunt. Surgente Episcopo, et ipsi surgunt. Ad Confessionem genuflectunt circa medium Presbyterii, **Minister libri** versus Epistolae latus ad sinistram Ministri mitrae, **Minister candelae** versus latus Evangelii ad dexteram Ministri baculi (v. n. 994) dein se gerunt ut in Missa pontificali (v. n. 964), sed **Minister libri** numquam librum Presbytero Assistenti tradit. Lecto ab Episcopo Introitu, si Episcopus non utitur Missali in recitatione Angelici Hymni, debitis cum genuflexionibus, **ambo** ad abacum procedunt, ubi Missale et palmatoriam deponunt. Non accedunt ad Episcopum, recitato Angelico Hymno, sed postquam Subdiaconus benedictionem acceperit ab eodem Episcopo. Pariter, si Episcopus libro non utitur in recitatione Symboli, decantato Evangelio, ad Thronum non accedunt.

Lecto ab Episcopo Offertorio, ad abacum se conferunt et Missale necnon candelam deponunt.

Si Episcopus in recitatione: *Sanctus* etc., libro utitur, circa finem Praefationis ad Thronum accedunt; recitato: *Sanctus* etc., ad abacum revertuntur. Simili modo se gerunt, decantato a Celebrante: *Pater noster* etc., si Episcopus ad: *Agnus Dei* etc., libro utitur.

Pretioso Sanguine a Celebrante sumpto, accedunt ad Thronum; lecta ab Episcopo Antiphona «*Communio*» dicta, ad abacum redeunt, ubi **Minister libri** deponit Missale et sumit Canonem Pontificalem; absoluta Oratione «*Postcommunio*» dicta, rursus ad Thronum **ambo** se conferunt et dum Episcopus benedictionem impertit sistunt. Benedictione impertita ad abacum revertuntur, ubi Canonem Pontificalem ac palmatoriam deponunt.

II. - DE MINISTRO MITRAE ET BACULI. — Quum Episcopus ad Thronum accedit, **Ministri** accedunt ad mensam a tergo Altaris, vimpas assumunt, statimque ad Altare revertuntur, debitis cum genuflexionibus, sistunt ante eiusdem Altaris infimum gradum, **Minister mitrae** in cornu Epistolae, **Minister baculi** in cornu Evangelii (v. n. 994) et se gerunt ut in Missa pontificali (v. n. 965), sed dicto ab Episcopo: *Oremus* post Confessionem, **Minister mitrae** eam primo Diacono tradit, **alter** vero Episcopo porrigit baculum, quem recipit cum Episcopus ad Thronum accesserit.

Lecto ab Episcopo Offertorio, **Minister mitrae** porrigit primo Diacono mitram auriphrygiatam, quam a secundo Diacono recipit ad initium cantus Praefationis. Recitato ab Episcopo: *Sanctus* etc. cum

Canonicis, **Minister mitrae** primo Diacono tradit mitram pretiosam et **Minister baculi**, consuetis cum osculis, Episcopo baculum porrigit, dein **ambo** Episcopum ad Faldistorium sequuntur, ubi **Minister mitrae** a secundo Diacono mitram recipit, **alter** ab Episcopo baculum accipit, ac postea **ambo** genuflectunt, aliquantulum retro post Diaconos Assistentes.

Elevatione peracta surgunt, **Minister mitrae** eam primo Diacono tradit, **Minister baculi** eum Episcopo porrigit; **ambo** ad Thronum accedunt, ubi **alter** mitram **alter** baculum recipit.

Lecta ab Episcopo Antiphona, quae «*Communio*» dicitur, **Minister mitrae** Diacono primo mitram auriphrygiatam tradit, quam a secundo Diacono recipit, postquam Celebrans legerit «*Communio*».

Si Episcopus uti Cruce nequeat, tunc **Minister mitrae**, decantatis verbis: *Ite Missa est*, tradit primo Diacono mitram pretiosam; **Minister baculi** vero dum Episcopus dicit: *Benedicat vos*, ei baculum porrigit; ad benedictionem **uterque** genuflectit; qua impertita surgit. Publicata a Celebrante Indulgentia, **Minister mitrae** eam a secundo Diacono recipit, **alter** baculum ab Episcopo.

Quum Celebrans una cum Ministris sacris ab Altari discesserit, **ambo**, genuflexione Episcopo et Altari peracta, ad Sacristiam procedunt.

ARTICULUS X.

De aliis Ministris inferioribus

in Missa solemnii coram Episcopo Ordinario pluviali induto.

1000. — I. - DE CAUDATARIO. — Perlegat Caudatarius quae tradidimus sub n. 966, I.

II. - DE CRUCIFERO. — Crucifer se gerit ut in Missa pontificali (v. n. 966, II), sed non procedit ad Secretarium, et induit superpelliceo tantum; decantato per Diaconum: *Ite Missa est*, Crucem accipit et ante Thronum se confert.

III. - DE THURIFERARIO. — Cum Episcopus ad Thronum procedit, facta Confessione, et ipse ad Thronum pergat, debitis cum genuflexionibus, thuribulum ministrat pro impositione incensi, dein ad Altare accedit, per latus Epistolae ascendit et Diacono thuribulum tradit; incensato Celebrante, a Diacono thuribulum recipit et ad Thronum procedit, ubi thuribulum porrigit Presbytero Assistenti, a quo recipit, Episcopo incensato, ac postea ad Sacristiam pergat.

Pro cantu Evangelii se ut in Missa pontificali gerit (v. n. 966, IV). Postquam Episcopus aquam benedixerit, accedit ad Thronum et se gerit ut in initio Missae; Celebrante thurificato procedit cum Diacono ad Thronum, ibique ad sinistram Presbyteri Assistentis consistit. Episcopo incensato, se collocat ad sinistram Diaconi, quem, thurificato secundo Diacono Assistente, comitatur in Chori incensatione et se gerit ut in Missa solemnii (v. n. 1274 et 1275).

IV. - DE CEROFERARIIS. — Dum Canonici procedunt ad Episcopum associandum, **Ceroferarii** adiuvant Ministros sacros se induentes, et se gerunt ut in Missa solemnii (v. n. 1276 et 1277) sed, depositis super abacum candelabris, accedunt ad scamnum Celebrantis et sistunt **prior** ad dexteram Diaconi, **alter** ad sinistram Subdiaconi. Quum Episcopus in Presbyterium pervenerit, **ambo** genuflectunt et sic perstant donec de Faldistorio surrexerit. Cum Ministri sacri sessuri sunt, dalmaticae et tunicellae sublevant posteriorem fimbriam, quam post scamni tergum deponunt ac postea bireta eis tradunt, dein genuflexione Episcopo, reverentia Celebranti et Ministris sacris peracta, se ad medium Presbyterium conferunt, ubi facta Altari genuflexione, modo quo sub n. 629 tradidimus, amovent Faldistorium, dein ad abacum accedunt. Dum Diaconus ad Episcopi manum deosculandam accedit, Ceroferarii se gerunt ut in Missa pontificali pro Evangelii cantu (v. n. 966, V).

Depositis linteo et ampulla aquae super abacum, statuunt Faldistorium in medio Presbyterio, quod amovent post elevationem, iterumque in medio collocant post benedictionem, deinde assumunt ex abaco candelabra et se ut in Missa solemnii gerunt (v. n. 1284), sed, Altari genuflexione peracta, etiam Episcopo genuflectunt.

V. - DE ACOLYTHO. — Cum Canonici ad Episcopum associandum procedunt se gerit ut sub n. 966, VI notavimus.

Quum Episcopus ad Thronum accedit, sumit ex abaco lancem, ad Thronum pergat, a Caeremoniario primo Crucem pectoralem accipit, deinde recedit in parte dextera Throni et quando Clerici cum Episcopi paramentis accedunt, ipse se collocat inter Clericum cingulum ferentem et Clericum stolam deferentem ac se ut alii gerit, sed cum hi ad sua loca recedunt, ipse pergat ad abacum super quem lancem deponit. Dum Episcopus legit Introitum, sumit ex abaco mitram auriphrygiatam, quam Ministro de mitra defert a quo recipit pretiosam et super abacum eam reponit; eam iterum Ministro defert, dum a Celebrante Praefatio canitur, et, auriphrygiata accepta, super abacum reponit.

Si Episcopus uti Cruce nequit, tunc Acolythus dum Celebrans canit Orationem quae «*Postcommunio*» dicitur, sumit ex abaco mitram pretiosam et Ministro defert, a quo auriphrygiatam recipit, eamque super abacum deponit.

Missae absoluta, sumit ex abaco lancem et se gerit ut post Missam pontificalem (v. n. 966, VI).

VI. - DE CLERICIS PRO EPISCOPI PARAMENTIS. — Dum Episcopus, brevi oratione facta in Faldistorio, ad Thronum accedit, Clerici sex, iam designati, accedunt ante infimum Altaris gradum et se gerunt ut ad Vesperas pontificales ad Thronum (v. n. 635); Missa absoluta, ad Thronum accedunt ad paramenta recipienda.

VII. - DE CLERICIS INTORTICIA GESTATURIS. — Clerici intorticia gestaturi se gerunt ut sub n. 966, VIII notavimus, sed se collocant ad latera Altaris ne tergum ad Episcopum vertant.

CAPUT IV.

DE MISSA SOLEMNI

CUM ASSISTENTIA EPISCOPI ORDINARII CAPPAM INDUTI

1001. — Omnia parantur et peraguntur ut in praecedenti Capite, sed animadvertite sequentes variationes:

I. - Non ponuntur paramenta Episcopi super Altaris mensam; non collocantur scabella pro Ministris de mitra et baculo.

II. - Episcopus, facta brevi oratione in Faldistorio, surgit et accedit statim ante infimum Altaris gradum ac Missam incipit.

III. - Episcopus, absque bireto, incensatur tantum ad Offertorium (D. 2682 ad 14).

IV. - Benedictionem post Missam Episcopus impertit, tecto capite, nisi Cruce uti possit.

CAPUT V.

DE MISSA SOLEMNI

CUM ASSISTENTIA EPISCOPI ORDINARII MOZZETTA INDUTI

1002. — Episcopus excipitur ad ianuam Ecclesiae a duobus tantum Canonicis, quorum dignior ei offert aspersionem quo ille se et circumstantes aspergit, deinde procedit ad Altare SS. Sacramenti ac postea vel ad Sacristiam capitularem, vel ad Altare maius, ubi, brevi oratione in Faldistorio facta, pergit ad primum stallum Chori, in quo, absque ulla assistentia (D. 86 ad 3, 4, 8), sedet et in eodem stallo pulvinaria apponuntur. Episcopus se aliis Choralibus conformat, sed incensatur ad Offertorium, triplici ductu, et pacem accipit a Diacono qui postea Subdiacono donat (D. 2089 ad 5). Subdiaconus vero pacem, more solito, distribuit. In fine Missae Episcopus, antequam Celebrans populum benedicat, ipsi innuit, dicto: *Benedicat vos*, ut benedictionem impertiat.

Celebrans, duplici ductu, incensatur; dicto: *Benedicat vos*, se ad Episcopum convertit, ei caput inclinat, quasi veniam petens, et ad nutum eiusdem Episcopi adstantes benedicit.

CAPUT VI.

DE ASPERSIONE AQUAE BENEDICTAE ANTE MISSAM SOLEMNEM CUM ASSISTENTIA EPISCOPI ORDINARII PLUVIALI VEL CAPPAM INDUTI

1003. — I. - DE EPISCOPO. — Episcopus, ad nutum Caeremoniarum, deposita mitra, si pluviali indutus assistit, vel tradito Diacono primo bireto, si indutus cappa, surgit et, iunctis manibus, consistit.

Cum Celebrans ad Thronum accesserit, ab eo aspersionem accipit et prius seipsum in fronte aspergit, tangens cum aspersione, tum Celebrantem, deinde Diaconos Assistentes aspergit, statimque aspersionem Celebranti reddit; aspersione durante, Episcopus stat. Absoluta Oratione: *Domine sancte Pater* etc., sedet, mitram vel biretum accipit.

II. - DE DIACONIS ASSISTENTIBUS. — Diaconus secundus ad nutum Caeremoniarum, si Episcopus indutus sit pluviali, mitram aufert

et Ministro tradit; **ambo** inclinati ab Episcopo asperguntur. **Diaconus primus**, completa Oratione post aspersionem, mitram Episcopo imponit, dein **uterque** sedet.

III. - DE CELEBRANTE. — Quum Episcopus vel mitram acceperit, vel ad Thronum accesserit, si Missae cappa indutus assistat, facta ei reverentia, cum sacris Ministris se confert ante infimum Altaris gradum et in eodem genuflectit; accepto a Diacono aspersorio, cantat genuflexus: *Asperges me*, Altare ter aspergit, surgit, et, comitantibus Caeremoniario secundo et Acolyto cum vasculo aquae benedictae, ad Thronum pergit, debita cum reverentia Altari.

Cum Celebrans coram Episcopo venerit, reverentiam ei peragit et cum osculis eidem aspersorium porrigit; profunde inclinatus ab Episcopo aspergitur, dein, ab eodem Episcopo Diaconis Assistantibus aspersis, recipit cum consuetis osculis aspersorium; Episcopo reverentiam iterat, ad Altare revertitur, ubi, more solito, sacros Ministros aspergit. Celebrans rursus reverentiam Altari facit; pariter comitantibus Caeremoniario et Acolyto, aspersionem ut alias perficit, sed Choro salutationes omittit. Si in Choro plures adsint Episcopi omnes a Celebrante aspergendi sunt «ut Romae fit in Patriarchalibus Basilicis» (D. 893 ad 3).

Absoluta Oratione: *Domine sancte Pater* etc., et reverentiis peractis, ad scamnum pergit, ubi Missae paramenta assumit.

IV. - DE SACRIS MISSAE MINISTRIS. — Quum Episcopus vel mitram acceperit, vel ad Thronum accesserit, si cappa indutus Missae assistat, ad nutum Caeremoniarii, **Ministri sacri** genuflectionem, vel reverentiam, peragunt et cum Celebrante accedunt ante infimum Altaris gradum, in quo genuflectunt. **Diaconus** accipit aspersorium et, absque osculis, Celebranti porrigit. Dum Celebrans ad Thronum pergit, **Ministri sacri** genuflexi manent. Aspersione a Celebrante accepta, surgunt, sed apud Altare consistunt. Quum vero Celebrans ad Altare revertitur post aspersionem, se ut alias gerunt; absoluta Oratione: *Domine sancte Pater* etc., cum consuetis genuflectionibus, vel reverentiis, ad scamnum pergunt ubi manipulos assumunt.

V. - DE CAEREMONIARIO SECUNDO. — Quum Episcopus vel mitram acceperit, vel, si indutus cappa Missae assistat, ad Thronum accesserit, Caeremoniarius innuit ut Celebrans et Ministri sacri ante infimum Altaris gradum accedant, debitis cum reverentiis, vel genuflectionibus. Asperso Altari, se confert ad Celebrantis dexteram, attollit fimbriam pluvialis et cum eo accedit ad Thronum una cum Acolyto deferente vasculum aquae benedictae, genuflectionem peragit, quam iterat

ante discessum a Throno. Cum ad Altare revertitur, consistit post Diaconum; sacris Ministris aspersis, iterum accedit ad Celebrantis dexteram, pluvialis fimbriam attollit, comitatur Celebrantem ad Chori et populi aspersionem; qua completa, accipit aspersorium a Celebrante. Oratione: *Domine sancte Pater* etc., absoluta, ducit Celebrantem et Ministros sacros, debitis cum genuflectionibus, vel reverentiis, ad scamnum.

1004. — Si **Episcopus Ordinarius** adstat in stallo Chori, **Celebrans**, asperso Altari, ad eum accedit cum **Ministris sacris** et, facta ei reverentia, a **Ministris** vero reverentia, vel genuflectione, cum osculis porrigit eidem aspersorium.

Episcopus, accepto aspersorio, se, ut supra, aspergit, dein Celebrantem et sacros Ministros (D. 3639 ad 4).

Celebrans, recepto aspersorio, se more solito gerit.

CAPUT VII.

DE MISSA SOLEMNI PONTIFICALI AD FALDISTORIUM EPISCOPO ORDINARIO CELEBRANTE CORAM S. R. E. CARDINALI

ARTICULUS I.

De iis quae praeparanda sunt.

1005. — Circa Ecclesiae et Altaris ornatum iam superius diximus in Capite XXXIV Partis primae.

I. - IN SACRISTIA CAPITULARI. — Super praecipuam mensam disponuntur: pluviale pro Presbytero Assistente; pro Diacono Missae: dalmatica, stola, cingulum, alba, amictus; pro Subdiacono: tunicella, cingulum, alba, amictus.

Super alias mensas disponuntur paramenta pro Canonicis, scilicet: si praebendae distinctae sunt, pluvialia pro Dignitatibus; planetae pro Canonicis Presbyteris; dalmaticae pro Diaconis; tunicellae pro Subdiaconis; alias pluvialia pro Dignitatibus, planetae pro ceteris Canonicis.

II. - IN SACRISTIA MAIORI. — Duae vimpae pro Ministris mitrae et baculi; vasculum aquae benedictae cum aspersorio; thuribulum

cum navicula; funalia pro elevatione; superpellicea et bireta pro Clero et Ministris inferioribus.

III. - AD ALTARE MAIUS. — Omnia quae sub n. 851, A), b), I notavimus, sed super Altaris mensam disponuntur Episcopi paramenta (*ibi* II) et apud Altare in cornu Evangelii collocatur in basi baculus pastoralis.

IV. - IN CORNU EVANGELII. — Apud Thronum (v. n. 398), congruo in loco collocatur pulvinar; in plano Solii non statuuntur scabella pro Assistantibus, sed apud infimum eius gradum, ad dexteram Cathedrae, scabellum pro Caeremoniario Em. Cardinalis.

V. - IN CORNU EPISTOLAE. — Non longe a Faldistorio (v. n. 695, V), a sinistris, collocatur scamnum pro Caeremoniario Episcopi Ordinarii; scamnum pro Presbytero Assistente et sacris Ministris; ad huius scamni sinistram: scabellum pro secundo Caeremoniario.


VI. - IN MEDIO PRESBYTERIO. — Collocatur Faldistorium et ad eius sinistram, sed aliquantulum retro, pulvinus pro Ordinario.

VII. - SUPER ABACUM. — Ponuntur: Calix pro Missae celebratione cum suis ornamentis scilicet: purificatorio, patena, palla, bursa cum corporali, super patenam ponuntur duae hostiae; prope Calicem ponitur parvum velum plicatum; patera pro praegustatione; ampullae vini et aquae, eaque omnia velo humerali conteguntur; campanula; urceus cum pelvi et duo manutergia in lance; lanx pro Cruce pectorali; caligae cum sandaliis in lance, velo paramentorum coloris coopertae; manipuli pro Ministris sacris; Breviarium; gremiale; Missale cum legili; Evangeliarium, cum Episcopi manipulo; Epistolarium; Canon Pontificalis, Missale et palmatoria cum candela pro S. R. E. Cardinali; formula Indulgentiarum; duo candelabra cum cereis albis pro Ceroferariis.

VIII. - AD ALTARE SS. SACRAMENTI. — Paratur genuflexorium cum strato et pulvinis rubei, vel violacei, coloris, pro diversitate temporum; ad eius sinistram, pro Episcopo Ordinario, genuflexorium alterum, non in eadem linea sed aliquantulum retro, cum strato et pulvinis viridis, vel violacei, coloris, iuxta diversitatem temporum. Si loco genuflexorii pro Cardinali statuitur Faldistorium, tunc pro Episcopo Ordinario ad sinistram Faldistorii, sed aliquanto retro, collocatur pulvinus.

Sex cerei super Altare accenduntur.

1006. — Dispositio ad Altare maius pro Missa solemni pontificali ad Faldistorium celebrante Episcopo Ordinario coram S. R. E. Cardinali.



F = Faldistorium pro S. R. E. Cardinali. — C = cussinus pro Episcopo Ordinario. — A = Abacus. — I = Faldistorium pro Episcopo Ordinario celebrante. — Scabella: pro Presbytero Assistente, 2; pro Diaconis Assistantibus, 3, 4; pro Caeremoniario E. mi Cardinalis, 5; pro Caeremoniario Episcopi Ordinarii, 6; pro Caeremoniario secundo, 7. — + = Crux, si Ordinarius ea uti potest. Super infimum Altaris gradum indicantur loca in quibus sedent Ministri libri, candelae, mitrae, baculi necnon Crucifer et Caudatarius.

ARTICULUS II.

De S. R. E. Cardinali assistente Missae solemni pontificali celebratae ab Ordinario.

1007. — Si S. R. E. Cardinalis cum Episcopo Ordinario accedit ad Ecclesiam se gerit ut Episcopus accedens ad suam Cathedralem (v. n. 519 et seqq.), sed, iuxta consuetudinem plurium Ecclesiarum, (v. n. 530) non aspergit Ordinarium, ei vero porrigere potest aquam benedictam per contactum aspensorii.

Si vero Emus Cardinalis accedit ad Ecclesiam cum suis Cappellanis et Familiaribus, ad eius ianuam excipitur ab Ordinario et a Capitulo. Emus Praelatus se ut supra gerit.

Facta brevi oratione in Faldistorio ante Altare maius, surgit, reverentiam Cruci peragit et Ordinarii reverentiae respondet atque ad Thronum ascendit, sedet et bireto caput tegit.

1008. — Postquam Emus Praelatus paulisper quieverit, ad nutum Caeremoniarii, caput detegit, biretum eidem Caeremoniario tradit, dein surgit, innuit ut Episcopus Ordinarius incipiat ac, submissa voce, recitat: *Pater* etc., et *Ave* etc. Ad: *Deus, in adiutorium* etc., se signat. In Festo Pentecostes et per totam Octavam, dimisso pileolo, genuflectit ad primam stropham Hymni: *Veni, Creator* etc. Psalmo intonato, sedet, caput cooperit, quod detegit, in fine cuiusque Psalmi ad: *Gloria Patri* etc., ac se inclinat. Repetita Antiphona post Psalmos, ad nutum Caeremoniarii, caput detegit, surgit, consistit, iunctis manibus, usque ad: *Benedicamus Domino* inclusive, ac postea sedet et caput cooperit. Quum Ordinarius ad Altare accedit, Emus Cardinalis surgit, detecto capite, reverentiae eius respondet et cum Missa inchoatur, stans in Throno cum suis Cappellanis Confessionem recitat; qua absoluta, sedet et caput tegit.

1009. — Cum Celebrans mitram ad Faldistorium dimiserit, Emus Cardinalis caput detegit, surgit et ex Missali Introitum legit; alternatim cum suis Cappellanis recitat memoriter: *Kyrie eleison* etc., necnon Angelicum Hymnum, solitas non omittens inclinationes ad: *Adoramus te; Gratias agimus tibi; Iesu Christe; Suscipe deprecationem nostram*, et iterum ad: *Iesu Christe*; dum vero profert verba: *Cum Sancto* etc., sinistra infra pectus posita, dextera se signat, dein sedet et caput tegit. Dum canuntur verba quae inclinationes exposcunt, caput detegit et se inclinat. Absoluto Hymni cantu, Caeremoniario biretum tradit, surgit; ad Orationis cantum consistit, iunctis manibus, deinde sedet et bireto caput tegit.

Post Epistolae cantum, Emus Praelatus legit eam et reliqua omnia usque ad Evangelium inclusive, ei praemittendo: *Munda cor meum* etc.; *Iube, Domine; Dominus sit* etc., et *Dominus vobiscum* (D. 1476 ad 7), ut in Missa pontificali (v. n. 863).

1010. — Dum Diaconus cantat: *Dominus vobiscum*, Emus Cardinalis, tradito bireto Caeremoniario, surgit; ad verba: *Sequentia, vel Initium* etc., signat se in fronte, ore et pectore, ac consistit versus Diaconum canentem. Cantu absoluto, sedet et caput tegit. Postquam Diaconus thurificaverit Celebrantem, ad nutum Caeremoniarii, surgit; decantatis ab Ordinario verbis: *Credo in unum Deum*, memoriter recitat Symbolum cum suis Cappellanis; ad: *Iesum Christum*, caput nclinat, et dicens: *Et incarnatus est* etc., genuflectit in pulvino; ad:

Simul adoratur, iterum caput inclinat. Cum vero dicit: *Et vitam venturi saeculi. Amen*, sinistra infra pectus dimissa, se interim signat dextera, ac postea sedet, caput tegit, quod detegit et se inclinat ad: *Iesum Christum; Et incarnatus est... factus est; Simul adoratur*.

In tribus vero Missis Nativitatis Domini ac in Missa Festi Annuntiationis B. M. V. Emus Praelatus, dimisso bireto, genuflectit in pulvino ad Thronum (D. 1594 ad 2). Quando Festum Annuntiationis transfertur, genuflectendum est in die translationis tantum (D. 1268). Symbolo a Choro decantato, caput detegit, surgit et postquam Celebrans decantaverit: *Dominus vobiscum*, stans legit Offertorium; quo absoluto, sedet et caput tegit. Dum Ordinarius a Diacono incensatur, ad nutum Caeremoniarii, caput detegit, eidem biretum tradit, surgit et, iunctis manibus, thurificatur (D. 2682 ad 14). Thurificatione accepta, Diaconum benedicit, iterum sedet et caput tegit.

1011. — Quum Praefatio inchoatur, Emus Praelatus, detecto capite, surgit. Praefatione absoluta, recitat cum Cappellanis suis: *Sanctus* etc., ac postea descendit de Throno, Clerum benedicit, procedit ad Faldistorium, ibi pileolum dimittit et genuflectit.

Post elevationem Hostiae et Calicis surgit, genuflectit unico genu, (D. 4135 ad 3) et revertitur ad Thronum non benedicens Clerum. Ad Sedem Emus Cardinalis consistit, iunctis manibus, conversus ad Altare; si vero adsit consuetudo, accipere potest pileolum (D. 3188); cum Cappellanis recitat: *Agnus Dei* etc.; pacem accipit a Presbytero Assistente.

1012. — Pretioso Sanguine sumpto a Celebrante, Emus Praelatus pileolum, si illum dimiserit, accipit; legit Versiculum « *Communio* », dein sedet et caput tegit.

Ad: *Dominus vobiscum*, Emus Cardinalis, dimisso bireto, surgit et consistit, iunctis manibus, ad Orationis cantum.

Postquam Ordinarius cantaverit: *Benedicat vos omnipotens Deus*, et se inclinaverit, Emus Praelatus, quasi veniam concedens ut benedictionem impertiat, annuit. Ad benedictionem consistit profunde inclinatus; qua impertita, sedet et accipit biretum. Post Indulgentiae publicationem, Caeremoniario biretum tradit, surgit, consistit, iunctis manibus, infra Evangelii lectionem; ad: *Et Verbum caro* etc., genuflectit. Evangelio absoluto, sedet et biretum accipit.

Ad nutum Caeremoniarii, surgit, detecto capite, ad Faldistorium procedit, ubi genuflectit; brevi oratione facta, surgit, reverentiam Cruci peragit et inclinationi Episcopi Ordinarii respondet, deinde ab Altari discedit.

ARTICULUS III.

*De Episcopo Ordinario**Missam solemnem pontificalem ad Faldistorium celebrante coram S. R. E. Cardinali.*

1013. — Si Episcopus Ordinarius accedat ad Ecclesiam cum Emo Cardinali tunc Ordinarius, quamvis cappa induat, eam, reverentiae causa, explicare nequit, sed caudam positam super sinistrum brachium sustinet (D. 4355 ad II, 2) et ad sinistram Emi Cardinalis incedit ac se gerit ut infra dicemus.

Si vero Episcopus Ordinarius non accedat ad Ecclesiam cum Emo Cardinali, tunc se gerit, more solito, sed ad illam procedit (v. n. 519 et seqq.) ante adventum Emi Cardinalis; facta oratione ad Altare SS. Sacramenti, se confert ad Sacristiam capitularem, vel ad aliam decentem aulam, ubi caudam involvit ut supra.

1014. — Quum nunciatur iam Emum Cardinalem ad Ecclesiam appropinquare, Episcopus Ordinarius una cum suo Capitulo accedit ad Ecclesiae ianuam excepturus Emum Praelatum, ei se inclinatur; innuit ut prima Dignitas aspersionem Emo Praelato porrigat, dein aquam benedictam accipit per contactum aspersionis ab eodem Emo Praelato, ac postea ad eius sinistram incedit et ad Altare SS. Sacramenti pergit, ubi, vel in genuflexorio, vel in pulvinari, genuflectit. Quum Emus Praelatus surgit et ipse surgit; ad Altare maius procedit, ubi genuflectit in pulvino ad sinistram Faldistorii. Surgente Emo Cardinali, et ipse surgit, se aliquantulum retrahit ut Emus Praelatus transire possit eique se inclinatur ac postea ad Faldistorium in cornu Epistolae collocatum accedit, ubi sedet, tecto capite.

1015. — Ad nutum Caeremoniarum Ordinarius caput detegit, surgit; innuente Emo Cardinali, se ad Altare convertit per latus suum sinistrum ac secreto recitat: *Pater noster* etc., *Ave Maria* etc., et se gerit more solito (v. n. 853). Hymno absoluto, se ad populum vertit; incepto primo Versu Psalmi, sedet, caput tegit, tum legit Antiphonam: *Ne reminiscaris* etc., ac se gerit ut diximus sub n. 854 et seqq. Repetita Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., caput detegit, surgit, se ad Altare vertit, recitat: *Kyrie eleison* etc., *Pater noster*, etc., Versiculos et Orationes; quibus absolutis, vel etiam Orationibus ad paramenta completis, si placet, ad populum se vertit et se gerit ut sub n. 855 diximus.

Decantata a Choro Antiphona post Psalmos, Episcopus surgit cum mitra et, iunctis manibus, consistit ad Capituli cantum. Absoluto Responsorio, stans (Caer. Episc., L. II, cap. VIII, n. 18) mitram deponit, se ad Altare convertit, cantat: *Dominus vobiscum*; *Oremus* et Orationem competentem ac postea repetit: *Dominus vobiscum*. Decantato a duobus Cantoribus: *Benedicamus Domino*, se ad populum vertit et non dicit: *Fidelium animae* etc., sed sedet et se gerit ut sub n. 856 notavimus.

1016. — Omnibus paramentis pontificalibus assumptis, Episcopus surgit, baculum accipit, reverentiam Emo Cardinali peragit, ad Altare procedit, medius inter Presbyterum Assistentem et Diaconum, ac se gerit ut sub n. 858 et seqq. iam diximus.

Quum post incensationem ad Faldistorium pervenerit sedet, et, mitra deposita, surgit, ad Altare se vertit, Introitum legit, recitat: *Kyrie* etc. (v. n. 860); si cantus longius pertrahatur, se ad populum vertit, sedet, mitram auriphrygiatam et gremiale accipit. Circa finem cantus gremiale aufertur, mitram dimittit, surgit, se ad Altare vertit et, absoluto cantu, Hymnum Angelicum intonat (*ibi*); quo recitato, se ad populum vertit, sedet, mitram auriphrygiatam, necnon gremiale, accipit. Dum canuntur verba quae inclinationes exposcunt, caput, cum mitra, inclinatur.

Hymno absoluto, Episcopus Ordinarius surgit, depositis mitra ac gremiali; stans versus populum, elevatis statimque iunctis manibus, cantat: *Pax vobis*, deinde se ad Altare vertit, extensis ac statim iunctis manibus, cantat: *Oremus*, et iterum, extensis manibus, cantat Orationem (v. n. 861).

Oratione, vel Orationibus absolutis, Episcopus ad populum se convertit, sedet et se gerit ut sub n. 862 et seqq. diximus, sed Diacono manum suam osculandam praebet post benedictionem.

Incensatione accepta post Evangelii cantum, se ad Altare vertit, manus extendens ac iungens et caput ad Crucem inclinans intonat: *Credo in unum Deum*, et se gerit ut diximus sub n. 868, sed Symbolo recitato, se ad populum vertit ac in Faldistorio sedet.

1017. — Decantato a Choro Symbolo, gremiale ac mitram dimittit, dein surgit; versus populum cantat: *Dominus vobiscum*, ac postea, ad Altare conversus cantat: *Oremus*, et legit Offertorium; quo lecto, ad populum se vertit, in Faldistorio sedet et se gerit ut sub n. 869 et seqq. diximus, sed cum ad Altare procedit, ad Emum Cardinalem se inclinatur.

In fine Missae, decantatis verbis: *Benedicat vos omnipotens Deus*, retrocedit paululum ad latus Epistolae et convertens se ad Emum Praelatum caput inclinatur, quasi veniam petens, et, ipso Emo Cardinali annuente, prosequitur: *Pater etc.* (v. n. 878).

Quum ad Faldistorium pergit Ordinarius reverentiam peragit Emo Cardinali, et cum ad Faldistorium pervenerit baculum Ministro tradit ac sedet.

1018. — Quum vero Emus Praelatus ad Faldistorium, in medio Presbyterio collocatum, accedit, Ordinarius respondet ei, cum inclinatione, ad reverentiam. Emo Cardinali de Faldistorio surgente, et ipse surgit eique ad reverentiam, ut prius, respondet. Cum Emus Praelatus de Presbyterio discedit, Ordinarius sedet et se gerit ut sub n. 882 diximus, sed Orationibus in gratiarum actionem post Missam absolutis, accedit ante infimum Altaris gradum, ibique super pulvinum genuflectit, breviter orat, ac postea ab Ecclesia discedit.

ARTICULUS IV.

De Presbytero Assistente Episcopo Ordinario Missam pontificalem ad Faldistorium celebranti coram S. R. E. Cardinali.

1019. — Presbyter Assistens (v. n. 883) cum ceteris Canonicis, more solito, ad associandos Praelatos, si cum Ordinario ad Ecclesiam pergat etiam Emus Cardinalis, procedit et se gerit ut supra tradidimus (v. n. 522 et 524), sed ad nutum Episcopi Ordinarii aspersorium accipit et Emo Cardinali porrigit.

Si vero Emus Cardinalis ad Ecclesiam accedat cum suis Cappellanis et Familiaribus, tunc se gerit, more solito, in associatione Episcopi, sed, oratione ante Altare SS. Sacramenti facta, ad Sacristiam, vel ad aliam aulam procedit et quum nunciatur iam Emum Praelatum ad Ecclesiam appropinquare, cum ceteris Canonicis sequitur Episcopum ad ianuam Ecclesiae et se ut supra gerit.

Cum ad Altare maius pervenerit, genuflectit apud scamnum in cornu Epistolae, super quod biretum deponit; cum Episcopus ad Faldistorium accedit, et ipse ad Faldistorium se confert, ubi ad dexteram eiusdem Faldistorii consistit, facie ad cornu Epistolae versa. Cum Episcopus ad Altare se vertit et ipse per sinistram suam se vertit, transit ad sinistram Diaconi, et consistit facie ad cornu Evangelii versa; absoluto Hymno, se ad populum vertit et transit ut prius ad Faldistorii dexteram, deinde se gerit ut ad Missam ponti-

ficalem ad Thronum, sed, lotis ab Episcopo manibus, accedit ad suum scamnum, biretum accipit et procedit ad Sacristiam capitularem, ubi assumit pluviale, ac postea ad Altare revertitur atque sistit apud scamnum in cornu Epistolae. Accepta ab Episcopo mitra, si nondum Psalmi Horae Tertiae sint absoluti, sedet ad dexteram Diaconi.

Dum a Choro Antiphona canitur, ad nutum Caeremoniarum, surgit cum Ministris Missae, antequam Episcopus surgat; circa finem Responsorii cum iisdem Ministris accedit ad Faldistorium; dimissa ab Episcopo mitra, se post Faldistorium confert, accipit librum quem ante Episcopum supra caput sustinet apertum. Oratione ab Episcopo decantata, Breviarium Ministro libri tradit, reverentiam Ordinario peragit, deinde pergit ad suum scamnum in cornu Epistolae.

1020. — Postquam Episcopus mitram pretiosam acceperit, Presbyter Assistens iterum accedit ad Faldistorium et anulum in digitum Episcopi inducit prius illum, dein manum deosculans (D. 3747 ad 1), ac postea se ad eiusdem Episcopi dexteram recipit; cum eo et cum Ministris sacris ad Altare accedit, debitis cum reverentiis Emo Cardinali et Cruci Altaris, atque se ut in Missa pontificali ad Thronum gerit (v. n. 886).

Cum Episcopus legit Introitum consistit ad dexteram, se signans ad initium, et ad *Kyrie etc.*, cum sacris Ministris respondet; sedente Episcopo, pergit ad scamnum suum, et ipse sedet, tecto capite.

Quum cantatur ultimum *Kyrie etc.*, ad nutum Caeremoniarum surgit cum Ministris sacris et se confert post Faldistorium, Episcopo reverentiam peragit, librum a Ministro accipit et super caput suum apertum sustinet. Decantatis verbis: *Gloria in excelsis Deo*, librum Ministro tradit; Episcopo reverentia iterata, se ad dexteram eiusdem Episcopi recipit, facie cornu Evangelii versa; cum Episcopo et sacris Ministris Hymnum prosequitur, more solito (v. n. 887); quo absoluto, debitis cum reverentiis accedit ad scamnum suum.

Hymno a Choro decantato, surgit, cum sacris Ministris ad Faldistorium pergit, ad Diaconi dexteram, facie ad cornu Epistolae versa, consistit; decantato ab Episcopo: *Dominus vobiscum*, se confert post Faldistorium, Missale accipit, quod apertum super caput sustinet. Oratione vel Orationibus absolutis, Missale Ministro tradit; Episcopo reverentia peracta, ad scamnum pergit, sedet et caput tegit.

Decantata a Subdiacono Epistola, accedit ad Faldistorium, consistit ad sinistram Episcopi eique Epistolam et reliqua legenti assistit; ad cantum Evangelii se ad Diaconum convertit.

Episcopo thurificato post Evangelium, librum sustinet ut ad: *Gloria* etc., pro intonatione Symboli; quo recitato, accedit, more solito, ad scamnum et se gerit ut sub n. 891 diximus.

1021. — Decantato a Choro Symbolo, surgit et se gerit ut ad Orationem, sed postquam Episcopus cantaverit: *Oremus*, Ministro Missale tradit; lecto ab Episcopo Offertorio, accedit ad Diaconi dexteram, facie cornu Epistolae versa, et se gerit ut ad Missam pontificalem ad Thronum (v. n. 892 et seqq.), sed, accepta pace, accedit ad Emum Cardinalem, pacem dat supponens brachia sua brachiis illius; deinde pergit ad Chorum et se gerit more solito. Quum ad Altare revertitur pacem Diacono dat.

Missam absolutam, ad Faldistorium procedit, Emo Cardinali pergit reverentiam, quam iterat quando Emus Praelatus ad Faldistorium in medio Presbyterio accedit; quum vero Emus Praelatus de oratione surgit, iterum se ei inclinatur ac postea accedit ad Sacristiam capitularem, ubi pluviale deponit et ad Altare revertitur, ad scamnum suum se confert et postquam Episcopus Crucem pectoralem reassumpserit, ad Faldistorium pergit, Episcopo respondet cum Diacono, scilicet alternatim Canticum, Psalmum, Versiculos in gratiarum actione post Missam recitat.

Precibus absolutis, de Faldistorio recedit et se gerit ut in recessu Episcopi ab Ecclesia (v. n. 527 et 528).

ARTICULUS V.

De Diacono ad Missam solemnem pontificalem ad Faldistorium Episcopo Ordinario celebrante coram S. R. E. Cardinali.

1022. — Diaconus (v. n. 910) si Emus Cardinalis ad Ecclesiam accedit una cum Ordinario, dum Canonici pergunt ad associandos Praelatos, induit paramenta (*ibi*). Ad nutum Caeremoniarum secundi, post Subdiaconum ad Altare procedit et, reverentia Cruci peracta, sedet super scamnum ad Subdiaconi dexteram. Si vero Emus Cardinalis non accedat ad Ecclesiam cum Ordinario, tunc cum ceteris Canonice procedit ad associandum Episcopum; cum in Sacristiam revertitur, paramenta induit et se ut supra gerit.

1023. — Quum Emus Praelatus ad Faldistorium in medio Presbyterio venerit, surgit et se ei profunde inclinatur; quum vero Ordinarium accedit ad Faldistorium in cornu Epistolae et ipse cum Sub-

diacono ad idem Faldistorium accedit atque ad Episcopi dexteram sistit. Ad nutum Caeremoniarum, biretum Episcopi accipit et Caeremoniarum tradit, se per latus suum sinistram ad Altare vertit et ad Ordinarii dexteram transit. Ad: *Deus, in adiutorium* etc., se signat; ad: *Gloria Patri* etc., ad Altare se convertit. Hymno absoluto, se ad populum vertit, sistit ad sinistram Episcopi eique biretum porrigit; cum Presbytero Assistente Episcopo respondet, scilicet alternatim recitat Psalmos et Versiculos praeparationis Missae.

Postquam Subdiaconus, indutis a Cubiculario calceis Episcopi, ad Faldistorium reversus fuerit, Diaconus transit ad Episcopi dexteram.

Repetita Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., biretum Episcopi accipit, ad Altare se convertit et ad Episcopi dexteram transit. Orationibus absolutis, iterum se ad populum vertit et ad dexteram Episcopi transit. Postquam Episcopus cappam et anulum dimiserit, Diaconus ei biretum porrigit; lotis ab Episcopo manibus, illum induit, Subdiacono adiuvante, modo descripto sub. n. 911, sed, mitra Episcopo imposita, accedit cum Subdiacono ad scamnum et si Psalmi Horae Tertiae nondum sint absoluti, sedet, tecto capite, in medio Presbyterii Assistentis et Subdiaconi.

Dum Antiphona a Choro canitur, ad nutum Caeremoniarum, surgit, antequam Episcopus surgat, circa finem Responsorii cum Presbytero Assistente accedit ad Faldistorium; reverentia Episcopo peracta, ei mitram aufert, ad Altare se convertit et ad Episcopi dexteram consistit. Decantato: *Benedicamus Domino*, ad populum se convertit, ad Episcopi dexteram transit, eum pluviali exuit et se gerit ut sub n. 912 notavimus.

1024. — Episcopo parato, Diaconus manipulum accipit, dein, facta cum eo reverentia Emo Cardinali, accedit ad Altare a sinistris eius et se gerit more solito (v. n. 913), sed Episcopum, duplici ductu, thurificat. Thuribulo tradito Thuriferario, ex loco in quo est, Altari reverentiam pergit, et a dexteris Episcopi procedit ad Faldistorium, ubi ei mitram aufert, dein se ad Altare convertit et ad dexteram Episcopi sistit dum legit Introitum ac postea in eodem loco cum eo alternatim recitat: *Kyrie* etc.; quo absoluto, se cum Episcopo ad populum vertit eique imponit prius mitram, dein gremiale ac postea, una cum Presbytero Assistente et Subdiacono, reverentiam Episcopo pergit atque procedit ad scamnum, ubi cum iisdem sedet, tecto capite.

Dum a Choro canitur ultimum *Kyrie*, ad nutum Caeremoniarum, surgit cum Presbytero Assistente et Subdiacono, ad Faldistorium

pergit et, reverentia Episcopo facta, ei prius gremiale dein mitram aufert. Surgente Episcopo, se ad Altare convertit et consistit post eum, ut ad Altare in Missa solemni; decantatis ab Episcopo verbis: *Gloria in excelsis Deo*, transit ad eius dexteram, cum eo Hymnum prosequitur, non omittens solitas inclinationes ac in fine se signat. Recitato Hymno, se ad populum vertit, Episcopo sedenti mitram prius, dein gremiale imponit; reverentia peracta, cum Presbytero Assistente et Subdiacono ad scamnum pergit, ut supra.

Hymno a Choro decantato, surgit, cum Presbytero Assistente et Subdiacono ad Faldistorium accedit, cum eisdem reverentiam Episcopo peragit, ei prius gremiale ac postea mitram aufert; dum Episcopus cantat: *Pax vobis*, consistit ante eum, dein ad eius dexteram transit. Orationibus decantatis, Episcopo sedenti mitram et gremiale imponit, ac postea, reverentia ei peracta, pergit cum Presbytero Assistente ad scamnum et sedet, tecto capite.

1025. — Cantata Epistola, surgit; dum Episcopus Evangelium legit se gerit ut sub n. 914 diximus, sed, deposito Evangelio super Altare, descendit per brevioram viam ad Faldistorium. Lecto ab Episcopo Evangelio, incensum, more solito, ministrat, deinde ad medium Altaris revertitur, ubi genuflexus super infimum eius gradum, capite inclinato iunctisque manibus, secreto dicit: *Munda cor meum* etc. et se gerit ut sub eodem n. 914 et seqq. notavimus, sed procedit ad Faldistorium; accepta benedictione, manum Episcopi deosculatur atque Evangelii cantu absoluto, Episcopum, duplici ductu, incensat. Ad Symboli intonationem sistit post Episcopum, deinde ad eiusdem dexteram Symbolum recitat (v. n. 917); quo expleto, mitram et gremiale ei imponit ac postea procedit ad scamnum, ibique sedet, tegit caput, quod detegit ad verba quae inclinationem exposcunt et ad: *Et incarnatus est*. Ad *Crucifixus* etc., se gerit more solito (v. n. 917), sed etiam Emo Cardinali reverentiam facit.

Decantato a Choro Symbolo, surgit; cum Presbytero Assistente et Subdiacono ad Faldistorium pergit, Episcopo gremiale mitramque aufert; dum Episcopus cantat: *Dominus vobiscum*, ante eum sistit, deinde ad eiusdem dexteram accedit. Lecto ab Episcopo Offertorio, se convertit ad populum eique mitram imponit ac postea ad eius dexteram transit; extracto a Presbytero Assistente annulo, chirothecam a dextera extrahit, dum Subdiaconus alteram pariter extrahit; lotis ab Episcopo manibus, a sinistris eius ad Altare procedit; ante cuius infimum gradum sistit eique mitram aufert a

se gerit ut in Missa solemni pontificali ad Thronum (v. n. 918 et seqq.) sed Episcopum, duplici ductu, incensat, dein Presbyterum Assistentem ac postea, triplici ductu, Emum Cardinalem et, more solito, Chorum, tandem Subdiaconum; pacem a Presbytero Assistente accipit eamque Subdiacono donat.

1026. — Quum Diaconus, Missa absoluta, ad Faldistorium procedit, Emo Praelato reverentiam peragit quam ei accedenti ad Faldistorium, in medio Presbyterio, iterat; sistit ad dexteram Episcopi et cum Emus Cardinalis de oratione surgit ei se inclinatur, ac postea, deposito manipulo, mitram Episcopo aufert et, Subdiacono adiuvante, eum exiit. Postquam Episcopus Crucem pectoralem reassumpserit, ei respondet cum Presbytero Assistente, scilicet alternatim Canticum, Psalmum, Versiculos in gratiarum actione post Missam recitat. Precibus ab Episcopo absolutis, Diaconus una cum Subdiacono ei se inclinatur et ad Sacristiam procedit paramenta depositurus.

ARTICULUS VI.

De Subdiacono ad Missam solemnem pontificalem ad Faldistorium Episcopo Ordinario celebrante coram S. R. E. Cardinali.

1027. — Subdiaconus (v. n. 924) si Emus Cardinalis ad Ecclesiam accedat cum Episcopo Ordinario, dum Canonici pergunt ad associandos Praelatos, induit paramenta (*ibi*). Ad nutum Caeremoniarum, ad Altare procedit post eundem Caeremoniarum, et, reverentia Altari peracta, sedet super scamnum ad sinistram Diaconi. Si vero Emus Cardinalis ad Ecclesiam non accedat cum Episcopo Ordinario, tum cum ceteris Canonicis procedit ad associandum Episcopum; cum in Sacristiam revertitur paramenta induit et se gerit ut supra.

1028. — Quum Emus Praelatus ad Faldistorium in medio Presbyterio venerit, surgit et se ei profunde inclinatur; quando Ordinarius accedit ad Faldistorium, in cornu Epistolae, et ipse una cum Diacono accedit ad Faldistorium atque ad sinistram Episcopi sistit. Cum Episcopo et Diacono per latus suum sinistram ad Altare se vertit et transit ad Ordinarii sinistram. Ad: *Deus, in adiutorium* etc., se signat; ad: *Gloria Patri* etc., se ad Altare convertit.

Hymno Horae Tertiae absoluto, se ad populum vertit, ad abacum procedit, caligas ac sandalia super pelvim accipit et se gerit ut sub

n. 924 notavimus, sed, calceis ab Episcopo per Cubicularium indutis, accedit ad Ordinarii sinistram. Repetita Antiphona: *Ne reminiscaris* etc., ad Altare se convertit et ad sinistram transit Episcopi; absolutis Orationibus, iterum se ad populum vertit et ad Ordinarii sinistram transit. Lotis ab Episcopo manibus, Diaconum adiuvat dum eundem Episcopum induit (v. n. 925), ac postea una cum Diacono ad scamnum accedit, si Psalmi Horae Tertiae nondum sint absoluti, sedet, tecto capite, ad Diaconi sinistram.

Dum Antiphona a Choro canitur, ad nutum Caeremoniarum, surgit; comite eodem Caeremoniario, debitis cum reverentiis, se confert in conspectu Episcopi, convenienti distantia; librum a Caeremoniario accipit et cantat Capitulum; quo absoluto, librum reddit Caeremoniario et ad sinistram Episcopi accedit. Decantato a Cantoribus: *Benedicamus Domino*, se ad populum vertit, ad Ordinarii sinistram transit et se gerit ut ad Missam pontificalem ad Thronum (v. n. 926).

1029. — Episcopo thurificato, ex loco in quo est, cum eo peragit Altari reverentiam et ad eius sinistram accedit ad Faldistorium; deposita ab Episcopo mitra, se ad Altare vertit, ad eius sinistram sistit dum Introitum legit ac postea in eodem loco cum eo alternatim recitat: *Kyrie* etc.; quo absoluto, se cum Episcopo ad populum vertit; mitra ab Episcopo accepta, cum Presbytero Assistente et Diacono procedit ad scamnum, ubi cum iisdem sedet, tecto capite.

Dum a Choro ultimum *Kyrie* canitur, ad nutum Caeremoniarum surgit, cum Presbytero Assistente et Diacono ad Faldistorium pergit; reverentia Episcopo facta, sistit post Diaconum ut ad Altare in Missa solemni. Decantatis ab Episcopo verbis: *Gloria in excelsis Deo*, transit ad sinistram eius et Hymnum cum eodem prosequitur, non omittens solitas inclinationes et in fine se signat. Recitato Hymno, se ad populum vertit et postquam Episcopus gremiale acceperit, cum Presbytero Assistente et Diacono reverentiam ei peragit, deinde ad scamnum, ut supra, pergit.

Hymno a Choro decantato, surgit cum Presbytero Assistente et Diacono, ad Faldistorium pergit, reverentiam cum eis Episcopo peragit et post Diaconum sistit ad: *Pax vobis*. Circa finem Orationis se gerit ut ad Missam pontificalem ad Thronum (v. n. 929), sed ad locum in quo Capitulum decantaverit se confert.

1030. — Accepta ab Episcopo benedictione ac iterata ei reverentia, Epistolarium Caeremoniario tradit et Missale ab eodem

accipit; tum stans, vel genuflexus, si opus sit « tenet ante eum Missale apertum ex quo Episcopus legit » (Caer. Episc. L. II, cap. VIII, n. 41; D. 4019 ad 1). Lecto ab Episcopo Evangelio, Subdiaconus tradit Missale Ministro de libro et sistit ad sinistram Episcopi pro incensi ministracione; cum Diaconus ad Faldistorium advenerit se confert ad sinistram, paulo post Diaconum, ubi sistit inclinatus et sic manet donec Diaconus benedictionem acceperit ab Episcopo. Tum post Ceroferos et ante Diaconum pergit ad locum ubi Evangelium canendum sit (v. n. 958-960) et se gerit ut diximus sub n. 930 et 931.

1031. — Subdiaconus post Evangelii cantum, tradito libro Caeremoniario, pergit ad Diaconi sinistram et, postquam Episcopus thurificatus fuerit, se post Diaconum confert, ut ad intonationem Angelici Hymni; decantatis per Episcopum verbis: *Credo in unum Deum*, transit ad Episcopi sinistram, cum eodem Symbolum recitat (v. n. 933); quo expleto, et gremiale ab Episcopo accepto, cum Presbytero Assistente et Diacono procedit ad scamnum, sedet, cooperit caput, quod detegit ad verba quae inclinationem exposcunt necnon ad: *Et incarnatus est* etc.

1032. — Decantato a Choro Symbolo, surgit, cum Presbytero Assistente et Diacono ad Faldistorium pergit. Dum Episcopus cantat: *Dominus vobiscum*, post Diaconum consistit ac postea transit ad Episcopi sinistram; dum Diaconus extrahit a dextera Episcopi chirothecam, ipse pariter chirothecam a sinistra extrahit, deinde, debita cum reverentia Episcopo, procedit ad abacum, Calicem, more solito, ad Altare allaturus et se, ut in aliis Missis pontificalibus, gerit (v. n. 934 et seqq.), sed pacem a Diacono accipit.

1033. — Quum Subdiaconus, Missa absoluta, ad Faldistorium procedit, reverentiam Emo Cardinali peragit, quam eidem accedenti ad Faldistorium, in medio Presbyterio, iterat; sistit ad sinistram Ordinarii et cum Emus Cardinalis de oratione surgit, ei se inclinat ac postea, deposito manipulo, Diaconum exuentem Episcopum adiuvat. Postquam Episcopus Crucem pectoralem reassumpserit, Subdiaconus ad abacum pergit de quo velum ac bacile sumit et se gerit ut sub n. 937 notavimus sed, depositis super abacum calceis, nec non caligis, ad Faldistorium revertitur. Precibus ab Episcopo absolutis, una cum Diacono, Episcopo se inclinat, et ad Sacristiam procedit ubi paramenta deponit.

ARTICULUS VII.

De Canonicis deque Choro ad Missam solemnem pontificalem ad Faldistorium Episcopo Ordinario celebrante coram S. R. E. Cardinali.

1034. — **Canonici**, habitu choralis induti, more solito, procedunt ad domum episcopalem (v. n. 519). Si Emus Cardinalis hospitio Ordinarii non fruatur, tunc, brevi oratione facta ad Altare SS. Sacramenti, accedunt ad Sacristiam capitularem; cum nunciatur iam Emum Cardinalem ad Ecclesiam appropinquare, sequuntur Episcopum Ordinarium ad Ecclesiae ianuam, dein se gerunt more solito, sed paramenta assumunt in Sacristia capitulari.

1035. — **Duo digniores Canonici post dignitates**, benedictione accepta in fine Missae, procedunt ad Sacristiam capitularem, paramenta deponunt, reassumunt habitum choralem, dein ad Altare revertuntur; quum Emus Cardinalis de Throno descendit et ad Faldistorium, in medio Presbyterio collocatum, se confert, ad eius latera accedunt; super Faldistorium cappam Emi Praelati extendunt et cum eo breviter orant. Surgente Emo Praelato, et ipsi surgunt; **dignior** a Caeremoniario biretum accipit quod, cum osculis, Emo Praelato porrigit; **ambo** Altari et Ordinario reverentia peracta Emum Cardinalem comitantur, si ille hospitio Ordinarii fruatur, usque vel ad consuetam aulam domus episcopalis ad quam Ordinarium comitari solent si Emo Cardinali placet, vel usque ad aditum episcopalis domus. Si vero Emus Praelatus Ordinarii hospitio non fruatur, tunc **duo Canonici** eum comitantur usque ad Ecclesiae ianuam.

ARTICULUS VIII.

De Caeremoniario deque Cappellanis Emi Cardinalis assistentis Missae solemni pontificali, celebrante Ordinario, ad Faldistorium.

1036. — I. - DE CAEREMONIARIO. — Si Emus Praelatus inter suos Familiares Caeremoniarium non habeat, tunc ad hoc munus deputetur Clericus in re caeremoniali expertus ut digne et decenter officium suum exercere valeat.

Si Emus Praelatus hospitio Ordinarii fruatur, Caeremoniarius cum aliis pergit ad domum episcopalem; alias procedit solus, hora competenti, ad locum in quo Emus Cardinalis adsit et cum eo eiusque

Familiaribus accedit ad Ecclesiam Cathedralem, ad cuius ianuam, ante aspersionem, cum osculis Emi Cardinalis biretum accipit, quod, aspersione absoluta, pariter cum osculis reddit.

Ad Altare SS. Sacramenti iterum biretum Emi Cardinalis accipit, genuflectit in plano; brevi oratione facta, surgit, genuflexionem SS. Sacramento peragit; biretum Emo Praelato porrigit quod rursus accipit ad Faldistorium, ante Altare maius; brevi oratione facta, surgit, biretum reddit Emo Cardinali et cum eo ad Thronum procedit.

Postquam Emus Praelatus quieverit, Caeremoniarius ad Thronum ascendit, ad sinistram Cathedrae sistit; Canonicis paratis et in suis locis stantibus, praemoneat Emum Cardinalem ut innuat Ordinario incipiendi, ac postea eius biretum accipit.

In Festo Pentecostes et per totam Octavam ad primam stropham Hymni: *Veni Creator* etc., ab omnibus genuflectendum est, et ideo Emum Praelatum praemoneat ut dimittat pileolum, quod ipse accipit; praemoneat quoque Caudatarium ut apud Cathedram pulvinum collocet. Absoluta stropa, pileolum Emo Cardinali porrigit ac postea de Throno descendit et sedet super scabellum suum in plano ad Cathedrae dexteram. Dum a Choro Antiphona canitur, surgit et accedit ad sinistram Emi Praelati; Antiphona absoluta, ab eo biretum accipit quod reddit post: *Benedicamus Domino*.

Quum Episcopus Ordinarius ad Altare accedit, Caeremoniarius ascendit ad dexteram Emi Cardinalis, biretum accipit, quod Cubiculario eiusdem Emi Praelati tradit. Ad Confessionem respondet Emo Praelato; quando dicit: *Misereatur tui; tibi Pater; te Pater*, caput versum eundem Emum Praelatum profunde inclinat; responso: *Et cum spiritu tuo*, biretum Emo Cardinali porrigit ac postea ad scamnum suum pergit.

Quum Ordinarius ad Faldistorium pergit, Caeremoniarius accedit ad Emi Praelati sinistram, biretum ab eo accipit et eidem indicat Introitum; quo lecto, alternatim cum eo recitat: *Kyrie eleison* etc., ac postea biretum tradit et ad suum scamnum pergit. Cum cantatur ultimum *Kyrie*, ascendit ad dexteram Emi Praelati, biretum accipit; decantatis ab Episcopo verbis: *Gloria in excelsis Deo*, prosequitur Angelicum Hymnum cum Emo Cardinali, non omittens solitas inclinationes, et in fine se signat, deinde biretum Emo Praelato porrigit atque ad locum suum pergit.

Dum a Choro Hymnus canitur, Emo Praelato caput detegendi et inclinandi signum dat ad: *Adoramus te; Gratias agimus tibi;*

Iesu Christe; Suscipe deprecationem nostram; et iterum ad: *Iesu Christe* (D. 1563 ad 1). Hymno absoluto, accedit ad sinistram Emi Cardinalis a quo biretum accipit, et sistit pariter ad eius sinistram dum Episcopus canit Orationem, vel Orationes: quibus absolutis, biretum Emo Praelato porrigit, ac postea descendit ad suum locum et sedet. Postquam Subdiaconus benedictionem ab Ordinario acceperit, Caeremoniarius ascendit ad sinistram Emi Praelati, cui indicat Epistolam etc.

Dum Subdiaconus legit Epistolam vel etiam Diaconus canit Evangelium Caeremoniarius se gerit ut diximus sub n. 948 de Caeremoniario in Missa solemni pontificali ad Thronum.

Absoluta ab Emo Cardinali Evangelii lectione, Caeremoniarius revertitur ad suum scamnum. Quum vero Diaconus pervenerit ad locum ubi Evangelium canendum sit, Caeremoniarius ascendit ad sinistram Emi Cardinalis, biretum ab eo accipit postea descendit; cantu Evangelii completo, iterum ad sinistram Emi Praelati ascendit, eidem biretum porrigit, ibique consistit donec Episcopus Ordinarius thurificatus fuerit; innuit ut Caudatarius apud Cathedram pulvinum collocet ac postea biretum ab Emo Cardinali recipit et cum eodem, decantatis a Celebrante verbis: *Credo in unum Deum*, Symbolum prosequitur, non omittens consuetas inclinationes et genuflectens ad: *Et incarnatus est*, etc.

Dum a Choro Symbolum canitur, Emo Cardinali caput detegendi, nec non inclinandi, signum dat ad: *Iesum Christum; Et incarnatus est; Simul adoratur*.

In tribus Missis Nativitatis Domini ac in Missa Festi Annuntiationis B. M. V. ad: *Et incarnatus est* praemoneat Emum Cardinalem ut detecto capite, genuflectat (Caer. Episc., L. II, cap. VIII, n. 53; D. 1594 ad 2). Quando vero Festum Annuntiationis transfertur, genuflectendum est in die translationis tantum (D. 1268).

Symbolo a Choro decantato, Caeremoniarius ascendit ad dexteram Emi Praelati, biretum accipit et indicat Offertorium; quo ab Emo Cardinali lecto, biretum ei reddit et ad locum suum descendit.

Presbytero Assistente thurificato, Caeremoniarius ascendit ad dexteram Emi Praelati, ab eo biretum accipit, quod reddit postquam ille thurificationem acceperit; dein ad suum locum revertitur et ante Praefationem iterum ascendit ad Emi Praelati sinistram, a quo biretum accipit, et illud Cubiculario tradit. Absoluta Praefatione, cum Emo Praelato recitat: *Sanctus* etc., ac postea cum eodem de Throno descendit et ad Faldistorium procedit. Accepta ab Emo Cardinali biretum et pileolum Cubiculario tradit; cappam super Faldistorium

expandit ac genuflectit ad dexteram eiusdem Faldistorii, sed aliquantulum retro.

Post elevationem Hostiae et Calicis, surgit, genuflectit, unico genu (D. 4135 ad 3), comitatur Emum Praelatum ad Thronum et sistit ante scabellum suum. Ad: *Pax Domini* etc., ascendit ad sinistram Emi Cardinalis; cum eo recitat: *Agnus Dei* etc., dein revertitur ad suum locum. Pretioso Sanguine ab Episcopo sumpto, ascendit ad dexteram Emi Praelati, porrigit ei pileolum, indicat Antiphonam quae « *Communio* » dicitur; qua lecta, biretum offert et ad suum pergat locum.

Dum Episcopus « *Communio* » legit, rursus ad Emi Praelati dexteram ascendit, ab eo biretum accipit, dein descendit de Throno. Impertita ab Episcopo benedictione, ascendit iterum ad Emi Cardinalis dexteram et biretum porrigit, quod recipit, Indulgentia publicata. Praemoneat Caudatarium ut apud Cathedram pulvinar collocet.

Quum Episcopus Ordinarius in Faldistorio sedet, Evangelio in fine Missae absoluto, comitatur Emum Praelatum ad Faldistorium eiusque biretum tradit digniori ex duobus Canonicis qui Emo Cardinali se associabunt.

II. - DE CAUDATARIO. — Perlegat Caudatarius quae sub n. 558 et in Capite secundo Partis secundae tradidimus.

III. - DE MINISTRIS LIBRI ET CANDELAE. — Ministri libri et candelae se gerunt ut sub n. 999, I diximus, sed non accedunt ad Thronum pro benedictione in fine Missae.

ARTICULUS IX.

De Caeremoniariis ad Missam solemnem pontificalem ad Faldistorium Episcopo Ordinario celebrante coram S. R. E. Cardinali.

1037. — I. - DE CAEREMONIARIO PRIMO. — Caeremoniarius primus (v. n. 548 et seqq.) omnibus rite dispositis, et, dato signo cum campanula, iuxta locorum consuetudinem, Canonicos et alios de more invitat ad associandum vel Emum Praelatum et Ordinarium vel Episcopum Ordinarium tantum et in hoc secundo casu se gerit more solito (v. n. 519 et seqq.), sed, brevi oratione facta ante Altare SS. Sacramenti, praemoneat Ordinarium ut ad Sacristiam capitularem vel ad aliam aulam accedat. Quum annunciatur iam Emum Cardinalem appropinquare ad Ecclesiam, Caeremoniarius invitat Ordinarium, et alios de more, ad Emum Praelatum associandum. Brevi oratione facta ante Altare maius, postquam Emus Cardi-

nalis transierit ante Ordinarium, Caeremoniarius ducit eundem Ordinarium ad Faldistorium.

Canonicis paratis et in suis locis stantibus, Episcopo signum caput detegendi et surgendi dat. Ad nutum Emi Cardinalis, praemoneat Episcopum ut se ad Altare vertat per sinistrum latus et secreto recitet: *Pater* et *Ave*, dein se gerit more solito. Quando Ordinarius se vertere debet vel ad Altare vel ad populum, Caeremoniarius semper illum praemoneat; in reliquis se gerit ut ad Missam pontificalem ad Thronum, sed, Altari thurificato, mitram Episcopo imponit tam in initio Missae quam post Offertorium; impertita benedictione Diacono ante Evangelium, gremiale et mitram Ordinario aufert. Praemoneat Ordinarium ut, decantatis verbis: *Benedicat vos omnipotens Deus*, retrocedat paululum ad latus Epistolae et convertens se ad Emum Praelatum caput inclinet, quasi veniam petens, et, ipso Emo Cardinali annuente, prosequatur: *Pater* etc.

Emo Praelato de Faldistorio surgente post Missam, praemoneat Episcopum ut ipse surgat de Faldistorio et Emi Cardinalis reverentiae respondeat.

II. - DE CAEREMONIARIO SECUNDO. — Caeremoniarius secundus quum Canonici procedunt ad associandos Praelatos se gerit ut sub n. 951 diximus. Si vero Emus Cardinalis non accedat ad Ecclesiam cum Episcopo Ordinario, tunc moneat Clericum aquae benedictae vasculum deferentem ut iterum ad ianuam Ecclesiae pergat quando Episcopus Ordinarius cum aliis procedit ad associandum Emum Praelatum; curet etiam ut interim Ministri sacri paramenta, absque manipulis, assumant et eos ducit ad Altare maius, ante adventum Emi Cardinalis et Episcopi Ordinarii.

Quum Praelati in Presbyterium advenerint, Caeremoniarius praemoneat Missae Ministros ut ipsi surgant eisque se inclinent; quando Ordinarius ad Faldistorium in cornu Epistolae procedit, ipsi ad Faldistorium accedant, et ad latera eiusdem Ordinarii consistent.

Hymno Horae Tertiae absoluto, invitat Subdiaconum ad abacum et se gerit ut sub n. 951 diximus, sed, postquam Episcopus manus laverit, ducit Presbyterum Assistentem ad pluviale accipiendum, deinde eum ad scamnum reducit.

Ad: *Sicut erat* etc., in fine tertii Psalmi accipit librum Capituli, accedit ad Subdiaconum et cum eo se confert in conspectum Episcopi, in convenienti distantia; Capitulo absoluto, librum accipit a Subdiacono, quem ad sinistram Episcopi ducit, ac postea librum super abacum reponit. Decantato: *Benedicamus Domino*, suppeda-

neum Altaris ascendit, Clericis paramenta tradit, suo Ministro s. Pallium, si ea die Episcopus eo uti potest, deinde ad abacum procedit, sumit Missale cum manipulo Episcopi et illud Subdiacono praebet.

Quum ultimum *Kyrie* a Choro canitur, Caeremoniarius signum surgendi dat Presbytero Assistenti et sacris Ministris, eosque ad Faldistorium ducit, quos ad scamnum reducit postquam Diaconus gremiale Episcopo imposuerit, recitato Hymno Angelico, et se gerit ut sub n. 953 tradidimus.

Angelico Hymno a Choro decantato, Presbyterum Assistentem et Ministros sacros ad Faldistorium ducit; circa finem ultimae Orationis, Epistolarium Subdiacono tradit eumque ducit ad locum in quo Capitulum decantaverit et se gerit ut in Missa solemni pontificali ad Thronum (*ibidem*), sed, decantata Epistola, a Ministro libri accipit Missale quod Subdiacono tradit, dum ab eodem Epistolarium recipit.

Caeremoniarius praemoneat Diaconum ut Episcopi manum deosculetur postquam benedictionem acceperit et, absoluto Evangelii cantu, duplici ductu, Episcopum thurificet.

Imposito gremiali a Diacono post recitationem Symboli, Caeremoniarius ducit Presbyterum Assistentem ac Missae Ministros ad scamnum et se gerit more solito (v. n. 966), sed Symbolo a Choro decantato, iterum Presbyterum Assistentem sacrosque Ministros ad Faldistorium ducit.

In distribuenda pace ducit Presbyterum Assistentem primum ad Thronum ac postea ad Chorum, more solito.

Quum Emus Cardinalis a Choro discesserit, Missa absoluta, Presbyterum Assistentem ad Sacristiam ducit eumque adiuvat in deponendo pluviali et in reassumendo habitu choralis ac statim ad Chorum reducit.

Precibus ab Episcopo in gratiarum actione post Missam absolutis, ducit sacros Ministros ad Sacristiam capitularem.

ARTICULUS X.

De Ministris inferioribus ad Missam solemnem pontificalem ad Faldistorium, Episcopo Ordinario celebrante coram S.R.E. Cardinali.

1038. — **Ministri inferiores** genuflectunt Altari et Emo Praelato; Episcopo Ordinario profundam reverentiam tantum peragunt. Omnes se gerunt ut ad Missam solemnem pontificalem ad Thronum, sed animadvertendum est ad sequentia.

I. - DE MINISTRO LIBRI. — Hic Minister (v. n. 964 et seqq.) pluviale non induit.

Quando Episcopus ad Altare se vertit, ipse post Faldistorium se confert cum tergo versus Altare. Decantata Epistola, praebet Missale Caeremoniario secundo a quo Epistolarium accipit et super abacum reponit; lecto ab Episcopo Evangelio, a Subdiacono Missale recipit.

Quum sedendum sit, Minister libri sedet super infimum Altaris gradum ad dexteram Ministri baculi.

II. - DE MINISTRO MITRAE ET BACULI. — Etiam hi **Ministri** (v. n. 965 et seqq.) pluvialia non assumunt, sed tantum vimpas. **Minister mitrae** cum sit sedendum, super infimum Altaris gradum ad dexteram Ministri libri sedet; **Minister baculi** vero, sedet ad dexteram Caudatarii, qui sedet primo loco in cornu Epistolae.

III. - DE CAUDATARIO. — Caudatarius, si Emus Cardinalis non accedit ad Ecclesiam cum Episcopo Ordinario, se gerit ut sub n. 966, l diximus, sed, brevi oratione facta ad Altare SS. Sacramenti, sequitur Episcopum ad Sacristiam capitularem, ubi caudam super sinistrum brachium Episcopi involvit, vel firmat aliqua tenia. Si Emus Praelatus accedat ad Ecclesiam cum Ordinario, tunc cappae caudam non sustinet; in utroque casu caudam vestis talaris expedit postquam Episcopus cappam dimiserit.

Quum sedendum sit, sedet in infimo Altaris gradu primo loco versus Epistolae cornu, ad sinistram Ministri baculi.

IV. - DE CRUCIFERO. — Crucifer (v. n. 966, II), si Emus Cardinalis cum Ordinario non accedat ad Ecclesiam, se gerit more solito, sed cum ad Sacristiam capitularem pervenerit ibi Crucem relinquit; si vero Emus Praelatus cum Ordinario ad Ecclesiam accedat, tunc curet ut Crux deferatur in Sacristiam ante adventum eiusdem Emi Praelati. Cum sedendum sit, ultimo loco sedet ad sinistram Ministri mitrae super infimum Altaris gradum, versus cornu Evangelii.

Postquam Emus Cardinalis e Presbyterio discesserit se confert in Sacristiam, Crucem accipit, ad Altare revertitur et se collocat ad sinistram Faldistorii.

V. - DE MINISTRO GREMIALIS. — Minister hic (v. n. 966, III) gremiale semper Diacono Missae porrigit et ab eo recipit, praeterquam ante Evangelii cantum; quo in casu, illud a Caeremoniario primo accipit.

VI. - DE THURIFERARIO. — Thuriferarius (v. n. 966, IV) prima vice thuribulum ministrat post Confessionem.

VII. - DE CEROFERARIIS. — Ceroferarii (v. n. 966, V), si Emus Cardinalis cum Ordinario accedat ad Ecclesiam, non procedunt cum aliis ad associandum Episcopum; alias Ministros sacros se induentes adiuvant et cum eis, ad nutum Caeremoniarii secundi, procedunt ad Altare maius.

VIII. - DE ACOLYTHO. — Acolythus (v. n. 966, VI), si Emus Cardinalis cum Ordinario non accedat ad Ecclesiam, quando enunciatur eum iam ad Ecclesiam appropinquare cum ceteris procedit iterum ad ianuam Ecclesiae et se ut supra gerit.

CAPUT VIII.

DE MISSA SOLEMNI PONTIFICALI AD FALDISTORIUM
EPISCOPO ORDINARIO CELEBRANTE
CORAM S. R. E. CARDINALI LEGATO

1039. — **Omnes** se gerunt ut in praecedenti Capite, sed **Episcopus Ordinarius** offert ipse Emo Cardinali aspersionem ad ianuam Ecclesiae. **Emus Praelatus**, iuxta consuetudinem plurium Ecclesiarum, non aspergit Ordinarium, sed ei porrigere potest aquam benedictam per contactum aspersionis.

In fine Missae «convenit ut ipse **Legatus** benedicat» (Caer. Episc. L. II, cap. VIII, n. 79), et in casu **Emus Cardinalis** se gerit ut sub n. 569 de Episcopo Ordinario notavimus.

Indulgentia publicatur a **Cappellano Emi Praelati. Episcopus Ordinarius**, recitato: *Placeat* etc., osculatur Altare, deinde recedit in latus Epistolae et se convertit ad Emum Cardinalem; ad benedictionem se inclinatur et dum Indulgentia publicatur ibidem consistit ac postea, more solito, se gerit.

CAPUT IX.

DE MISSA SOLEMNI PONTIFICALI AD FALDISTORIUM
EPISCOPO ORDINARIO CELEBRANTE
CORAM LEGATO AUT METROPOLITA

1040. — **Episcopus Ordinarius**, praesente Metropolita, iuxta Caeremoniale Episcoporum (L. I, cap. XXIII, n. 24) celebrare debet ad Faldistorium non vero in Sede sua; **Metropolita** autem assistit Missae in Sede ex opposito in cornu Epistolae similiter ornata, uti Sedes episcopalis (*loc. cit.*, cap. XIII, n. 9).

Metropolita se gerit ut Emus Praelatus de quo in septimo Capite diximus; **ceteri omnes** ut alii de quibus in allato Capite, **Crucifer** vero ut sub n. 1000, II, sed, decantato per Diaconum: *Ite Missa est*, non se confert ante Thronum, nam benedictio a Celebrante impertitur.

Si vero Thronus Ordinarii adhaereat parieti e regione Altaris, si possibile, formari potest Presbyterium ante Altare, ex parte praecipuae navis; alias Sedes pro Metropolita statui potest in cornu Evangelii et in casu basis pro Cruce collocatur super infimum gradum ad dexteram Cathedrae.

CAPUT X.

DE MISSA SOLEMNI PONTIFICALI AD THRONUM CELEBRANTE
METROPOLITA IN DIOECESIBUS SUFFRAGANEORUM

ARTICULUS I.

De iis quae praeparanda sunt.

1041. — Circa Ecclesiae et Altarium ornatum iam superius explicatum est in Capite XXXIV Partis primae.

I. - IN SACRISTIA CAPITULARI. — Super praecipuam mensam disponuntur: pluviale et amictus pro Presbytero Assistente; pro Diacono: dalmatica, stola, cingulum, alba, amictus; pro Subdiacono: tunicella, cingulum, alba et amictus.

II. - IN SACRISTIA MAIORI. — Super aliquam mensam disponuntur: vimpa pro Ministro mitrae; superpellicea, bireta pro Clero et Ministris inferioribus; vasculum aquae benedictae cum aspersione; thuribulum cum navicula; funalia pro elevatione.

III. - AD ALTARE MAIUS. — Crux et sex tantum ponuntur candelabra (D. 4355, III, 6, a); alterne statui possunt inter candelabra vel Sanctorum Reliquiae, vel vascula cum floribus (v. n. 562, IV).

Altare pallio coloris Officii instruitur et illius mensa tribus mappis cooperitur; super gradus nobile tapete sternitur.

Super Altaris mensam disponuntur Metropolitae paramenta, quae velo coloris paramentorum cooperiuntur, scilicet: planeta, dalmatica, tunicella, pluviale, stola, cingulum, alba, amictus, chirothecae in lance, formale pariter in lance.

Si, eo die, Celebrans uti potest s. Pallio, tunc illud ponitur in lance cum tribus spinulis aureis, velo coloris paramentorum cooperitur.

IV. - IN CORNU EVANGELII. — Thronus Episcopi Ordinarii exornatur serico panno vel alia materia coloris paramentorum; in eius plano non collocantur scabella.

Si Functio peragitur extra Ecclesiam Cathedralem, tunc in cornu Evangelii non erigitur Thronus, etiam si adsit Ordinarius.

V. - IN CORNU EPISTOLAE. — Erigitur Thronus similiter ornatus ut Sedes episcopalis (Caer. Episc. L. I, cap. XIII, n. 9) et in eius plano collocantur tria scabella; super infimum gradum, ad dexteram Cathedrae statuitur basis pro Cruce. Ante eundem gradum collocantur scabella pro Caeremoniario et pro Ministro mitrae.

VI. - IN EODEM CORNU EPISTOLAE, ad sinistram, vel ad dexteram Throni, pro loci opportunitate, statuitur abacus.

Hinc inde Abaci ponuntur duo scabella pro Ministris libri et candelae.

VII. - SUPER ABACUM. — Ponuntur omnia quae sub n. 1005, VII notavimus, sed super patenam una tantum hostia ponitur; non collocatur patera pro praegustatione; ponuntur unum Missale et una palmatoria.

VIII. - IN MEDIO PRESBYTERIO. — Faldistorium cum pulvinis eiusdem coloris Officii.


IX. - AD ALTARE SS. SACRAMENTI. — Paratur genuflexorium cum stratu et pulvinis viridis vel violacei coloris pro diversitate temporum.

Super Altare sex cerei accenduntur.

Si vero Metropolita accedat ad Ecclesiam cum Episcopo Ordinario, tunc in medio Presbyterio, ad sinistram Faldistorii collocatur pulvinar et ante Altare SS. Sacramenti genuflexorium sit tam am-

plum ut genuflectere in eo possint et Metropolita et Episcopus Ordinarius.

1042. — **Dispositio ad Altare maius pro Missa solemnii pontificali, celebrante Metropolita in Dioecesibus Suffraganeorum.**



P. M. = paramenta Metropolitae. — m. p. = mitra pretiosa. — m. a. = mitra auriphrygiata. — A = abacus. — F = faldistorium. — C = cussinus. — + basis pro Cruce. Scamna pro: Presbytero Assistente, 1; Diacono, 2; Subdiacono, 3; Caeremoniario primo, 4; Ministro mitrae, 5; Ministro libri, 6; Ministro candelae, 7.

ARTICULUS II.

De Metropolita Missam solemnem pontificalem celebrante in Dioecesibus Suffraganeorum, deque Presbytero Assistente.

1043. — DE METROPOLITA. — Metropolita se gerit ut diximus in Art. II Capitis VII huius Partis, de Episcopo Ordinario, sed baculo pastorali non utitur.

1044. — DE PRESBYTERO ASSISTENTE. — Presbyter Assistens cum ceteris Canonicis procedit ad associandum Metropolitam, et se gerit ut tradidimus sub n. 522 et 524 vel sub n. 537, pro re.

Quum Metropolita accedit ad Thronum et ipse accedit ac consistit ante scabellum suum, se gerens ut sub n. 883 et 884.

Depositis mantilibus in lance, Presbyter Assistens pergit, comite Caeremoniario tantum, ad amictum et pluviale assumendum, ac postea ad Altare revertitur; cum Metropolita mitram acceperit Thronum ascendit et si nondum Psalmi Horae Tertiae sint absoluti, sedet in suo scabello, dein se gerit ut sub n. 885 et seqq., sed:

I. - Quando Diaconus de Throno descendit, decantata Epistola, accedit ad latus dexterum Metropolitae.

II. - Expleto Evangelii cantu, Metropolitam non thurificat.

III. - Quum revertitur ad Altare, postquam pacem Choralibus dederit, pacem Diacono donat.

IV. - Postquam Metropolita ad Thronum ascenderit, absoluto Evangelio in fine Missae, ei reverentiam peragit, de Throno descendit, ad Sacristiam capitularem se confert, ibique pluviale et amictum deponit; habitu choralis indutus ad Thronum revertitur et Metropolitae respondet cum Diacono, scilicet alternatim Canticum, Psalmum et Versiculos in gratiarum actione post Missam recitat.

ARTICULUS III.

De Diacono deque Subdiacono ad Missam solemnem pontificalem celebrante Metropolita in Dioecesibus Suffraganeorum.

1045. — **Ministri sacri**, dum Canonici procedunt ad associandum Metropolitam, paramenta induunt; ad nutum Caeremoniarii, **unus** post **alium** ad Altare pergunt; reverentia Cruci facta, sedent super scamna, ante infimum Throni gradum, **Diaconus** ad dexteram Cathedralae, **Subdiaconus** ad sinistram.

Quum Metropolitae ad Falditorium in medio Presbyterio advenit, **ambo** surgunt et se ei profunde inclinant; quando vero Metropolitae ad Thronum accedit et **ipsi** Thronum ascendunt. Ad nutum Caeremoniarum, **Diaconus** accipit Metropolitae biretum; **ambo** ad: *Deus, in adiutorium etc.*, se signant.

Psalmo Horae Tertiae intonato, **Diaconus** porrigit Metropolitae sedenti biretum et cum Presbytero Assistente eidem respondet, scilicet alternatim recitat Psalmos et Versiculos in Missae praeparatione. Interim **Subdiaconus** de Throno descendit, ad abacum pergunt et se gerit ut sub n. 924.

Quum Metropolitae, repetita Antiphona: *Ne reminiscaris etc.*, surgit, **Diaconus** accipit eius biretum, quod reddit postquam cappam et anulum dimiserit, iterumque biretum accipit post manuum lotionem, dein **ambo** se gerunt respective ut sub n. 911 et 925 et, mitra a Metropolitae accepta, si Psalmi Horae Tertiae nondum sint absoluti, sedent.

Dum a Choro Antiphona canitur, **ambo** surgunt, **Subdiaconus** de Throno descendit et in eodem cornu Epistolae, ad sinistram Throni, convenienti distantia, accipit librum a Caeremoniario et cantat Capitulum; quo expleto, revertitur ad sinistram Metropolitae.

Circa finem Responsorii, **Diaconus** mitram Metropolitae aufert.

Decantato: *Benedicamus Domino*, **ambo** se gerunt respective ut sub n. 912 et 926, sed **Diaconus** ascendit ad sinistram Metropolitae, accepto manipulo; inde procedit ad Altare, quo cum pervenerit, se gerit ut sub n. 913.

Tradito thuribulo Thuriferario, **Diaconus** una cum **Subdiacono** ad Metropolitae latus accedit; ex eodem loco **ambo** cum Metropolitae, reverentiam peragunt et ad Thronum procedunt, ubi **Diaconus** mitram aufert.

Ad Introitum **uterque** se signat et alternatim cum Metropolitae recitat *Kyrie etc.*; dein, si cantus longius pertrahatur, **Diaconus** Metropolitae sedenti mitram imponit et gremiale super genua extendit; tum **ambo**, tecto capite, sedent.

Quum cantatur ultimum *Kyrie etc.*, ad nutum Caeremoniarum, **ambo** surgunt cum Presbytero Assistente; **Diaconus** prius gremiale, dein mitram aufert. Decantatis verbis: *Gloria in excelsis Deo*, **ambo**, iunctis manibus, Hymnum prosequuntur, non omittentes solitas inclinationes et in fine se signant, deinde **Diaconus** mitram imponit ac gremiale super Metropolitae genua extendit, ac postea **ambo**, tecto capite, sedent; caput detegunt et inclinant dum verba canuntur: *Adoramus te; Gratias agimus tibi; Iesu Christe; Suscipe deprecationem nostram* et iterum ad: *Iesu Christe*.

Hymno a Choro decantato, **ambo** surgunt; **Diaconus** gremiale et mitram aufert; interim **Subdiaconus** de Throno descendit, accipit a Caeremoniario librum et se gerit ut sub n. 929, sed ad locum in quo Capitulum decantaverit se confert.

Diaconus, Oratione decantata, Metropolitae sedenti mitram imponit et gremiale super genua extendit, postea sedet, tecto capite. Decantata Epistola, surgit, et postquam **Subdiaconus** deosculatus fuerit Metropolitae manum, de Throno descendit et ad abacum pergunt.

Subdiaconus, accepta benedictione ac iterata Metropolitae reverentia, Epistolarium tradit Caeremoniario a quo accipit Missale, tum stans, vel genuflexus, si opus sit, tenet ante Metropolitam Missale apertum. Lecto a Metropolitae Evangelio, tradit Missale Ministro libri et accedit ad Metropolitae sinistram, ibique sistit pro incensi ministracione, dein cum Diacono ad medium Altare se confert.

Diaconus, dum Metropolitae Evangelium legit, se gerit ut sub n. 914 diximus, sed, deposito Evangeliario super Altare, per brevior viam se confert ad Thronum, incensum ministrat Metropolitae, dein ad Altare revertitur, ubi genuflexus super infimum eius gradum, capite inclinato iunctisque manibus, secreto recitat: *Munda cor meum etc. (ibi)*; quo dicto, se gerit ut sub eodem numero et seqq. notavimus, sed cum ad Thronum pervenerit, ascendit, in Solii plano profunde inclinatus benedictionem petit; qua accepta, manum Metropolitae deosculatur atque Evangelii cantu absoluto, triplici ductu Metropolitam thurificat.

Ambo, post thurificationem, accedunt ad Metropolitae latera, tunc, decantatis verbis: *Credo in unum Deum*, cum Metropolitae, submissa voce, Symbolum prosequuntur, inclinantes caput ad: *Iesum Christum*; ad: *Et incarnatus est etc.*, genuflectunt; ad: *Simul adoratur*, iterum caput inclinant, et in fine se signant. Recitato Symbolo, **Diaconus** mitram Metropolitae imponit et super eius genua gremiale extendit, deinde **ambo** sedent. Ad verba quae inclinationes exposcunt, caput detegunt et inclinant.

Decantato a Choro Symbolo, **Ministri sacri** surgunt et **Diaconus** gremiale ac mitram aufert, quam, lecto Offertorio, imponit, deinde, extracto a Presbytero Assistente anulo, chirothecam a dextera extrahit, dum **Subdiaconus** a sinistra chirothecam alteram extrahit, ac postea **Subdiaconus**, facta Metropolitae reverentia, procedit ad abacum, Calicem more solito ad Altare allaturus, et se, ut in aliis Missis pontificalibus, gerit (v. n. 934 et seqq.), sed pacem a Diacono accipit.

Lotis et abstersis a Metropolita manibus, **Diaconus** ad eius dexteram procedit ad Altare, ante cuius infimum gradum sistit, Metropolitae mitram aufert et se gerit ut sub n. 918 et seqq. diximus, sed pacem a Presbytero Assistente accipit et Subdiacono donat.

Dum Metropolita recitat Evangelium S. Ioannis procedens ad Thronum, **Ministri sacri** incedunt ad eius latera; absoluto Evangelio, manipulum deponunt, Thronum conscendunt; **Diaconus** mitram aufert, dein, **Subdiacono** adiuvante, Metropolitam exiit.

Postquam Metropolita Crucem pectoralem reassumpserit **Subdiaconus** ad abacum pergat, de quo velum ac bacile sumit et se gerit ut sub n. 937 notavimus, sed, depositis super abacum calceis et caligis, ad Thronum revertitur. Precibus a Metropolita absolutis, **Subdiaconus**, una cum **Diacono**, Metropolitae se inclinatur, ad Sacristiam procedit ubi paramenta dimittit.

ARTICULUS IV.

De Canonicis deque ceteris Choralibus ad Missam solemnem pontificalem, celebrante Metropolita in Dioecesibus Suffraganeorum.

1046. — **Canonici**, habitu choralis induti, si Metropolita cum Ordinario ad Ecclesiam accedat, more solito, procedunt ad domum episcopalem (v. n. 519), alias ad Ecclesiae ianuam.

Ad Missam se gerunt ut in Art. VII Capitis VII huius Partis, sed paramenta non assumunt.

1047. — **Duo digniores Canonici** quum Metropolita, Missa absoluta, ad Faldistorium se confert, ad eius latera accedunt; super Faldistorium cappam Praelati extendunt et cum eo breviter orant. Surgente Metropolita et ipsi surgunt; **dignior** a Caeremoniario biberetum accipit, quod, cum osculis Praelato porrigit; **ambo** reverentiam Metropolitae peragunt, illumque vel ad domum episcopalem, si Ordinarius adsit, comitantur, vel ad Ecclesiae ianuam.

ARTICULUS V.

De Caeremoniariis deque Ministris inferioribus ad Missam solemnem pontificalem, celebrante Metropolita in Dioecesibus Suffraganeorum.

1048. — DE CAEREMONIARIO PRIMO. — Caeremoniarius primus (v. n. 548 et seqq.), omnibus rite dispositis, et, dato signo cum campanula, iuxta locorum consuetudinem, Canonicos et alios de more

invitat ad associandum Metropolitam et se gerit ut sub n. 519, sed, brevi oratione facta ante Altare SS. Sacramenti, Praelatum ducit ad Altare maius. In reliquis se gerit ut in Art. VIII Capitis VII huius Partis, sed:

I. - Dum Subdiaconus, intonato primo Psalmo Horae Tertiae, accedit ad abacum, ipse se confert ad Metropolitae sinistram; cum Presbytero Assistente et Diacono respondet alternatim Metropolitae, scilicet recitat Psalmos et Versiculos in Missae praeparatione, donec Subdiaconus revertatur.

II. - Altari thurificato, mitram Metropolitae imponit tam in initio quam post Offertorium; impertita benedictione Diacono ante Evangelium, gremiale ac mitram Metropolitae aufert.

III. - Iterum ad sinistram Metropolitae accedit, quando Subdiaconus, Missa absoluta, pergat ad abacum et, ut supra, respondet Metropolitae donec Subdiaconus revertatur.

1049. — DE CAEREMONIARIO SECUNDO. — Caeremoniarius secundus, cum Canonici procedunt ad associandum Metropolitam, se gerit ut sub n. 951, sed ducit Ministros sacros ad scamna ante infimum Throni gradum.

Quum Metropolita in Presbyterium advenerit, praemoneat Ministros sacros ut ipsi surgant eique se inclinent; quando Metropolita ad Thronum procedit, et ipsi Thronum ascendunt ad eiusdem Metropolitae latera.

Hymno Horae Tertiae absoluto, invitat Subdiaconum ad abacum et se gerit ut sub n. 951 notavimus, sed postquam Metropolita manus laverit, ducit Presbyterum Assistentem ad pluviale sumendum, dein eum ad Thronum reducit.

Ad: *Sicut erat* etc., in fine tertii Psalmi, accipit librum Capituli, accedit ad Subdiaconum et cum eo se confert ad sinistram Throni, in convenienti distantia; Capitulo absoluto, librum recipit a Subdiacono, quem ad Thronum ducit, dein super abacum librum reponit. Decantato: *Benedicamus Domino*, suppedaneum Altaris conscendit, Clericis paramenta tradit, atque suo Ministro s. Pallium, si ea die Celebrans illo utatur, dein ad abacum procedit, sumit Missale cum manipulo Metropolitae et illud Subdiacono porrigit.

Thurificato Altari in Missae initio, praemoneat Ministros sacros ut accedant ad Metropolitae latera et cum eo ad Thronum procedant. Angelico Hymno a Choro decantato, Caeremoniarius sumit ex abaco Epistolarium, ad Thronum procedit, invitat Subdiaconum ad Epi-

stolam canendam, ei Epistolarium tradit, eumque ducit ad locum in quo Capitulum decantaverat, et se gerit ut in Missa solemni pontificali ad Thronum (v. n. 954), sed, decantata Epistola, Minister libri accipit Missale, quod Subdiacono tradit, dum ab eodem Epistolarium recipit.

Missae absoluta, Caeremoniarius Presbyterum Assistentem ad Sacristiam ducit et eum adiuvat in deponendo pluviali, nec non in reassumendo habitu canonicali, ac statim ad Chorum reducit.

Precibus ab Episcopo in gratiarum actione post Missam absolutis, ducit Ministros sacros ad Sacristiam capitularem.

1050. — DE MINISTRIS INFERIORIBUS. — **Ministri inferiores** genuflectunt Altari et Metropolitanae; Episcopo Ordinario, si adsit, profundam reverentiam tantum peragunt.

Omnes se gerunt ut ad Missam pontificalem ad Thronum, sed animadvertendum est ad sequentia:

I. - **Ministri libri, candelae et mitrae** pluvialia non induunt; **Minister mitrae** sedet in scamno ante infimum gradum Throni, ad sinistram Cathedrae.

II. - Epistola decantata, **Minister libri** praebet Missale Caeremoniario secundo a quo Epistolarium accipit et super abacum reponit; lecto a Celebrante Evangelio, a Subdiacono Missale recipit.

III. - **Minister gremialis** semper Diacono gremiale porrigit et ab eo recipit, praeterquam ante Evangelii cantum; quo in casu, illud a Caeremoniario primo accipit.

IV. - **Thuriferarius** prima vice thuribulum ministrat post Confessionem.

CAPUT XI.

DE MISSA SOLEMNI PONTIFICALI AD FALDISTORIUM CUM ASSISTENTIA EPISCOPI ORDINARII PLUVIALI INDUTI

Non convenit ut Episcopus Ordinarius pluviali indutus, assistat Missae solemni pontificali, ab alio Episcopo celebratae, nisi Celebrans sit Suffraganeus, vel alias subditus Ordinario (Caer. Episc. L. II, cap. IX, n. 7).

ARTICULUS I.

De iis quae praeparanda sunt.

1051. — I. - IN SACRISTIA CAPITULARI. — Super praecipuam mensam, vel si Altare adsit, super eiusdem mensam praeparantur pro Episcopo celebrante paramenta quae velo eiusdem coloris cooperiuntur, scilicet: planeta, dalmatica, tunicella, stola, cingulum, alba, amictus, chirothecae in lance; in latere Evangelii: mitra pretiosa.

Ante mensam, vel Altare, collocatur super tapeto sedes cameralis.

Super aliam mensam praeparantur: duo candelabra cum cereis; lanx pro Cruce pectorali, urceus cum pelvi et duo manutergia in lance; Canon Pontificalis; palmatoria cum candela qua Episcopus celebrans utitur tantum in Sacristia; Evangeliarium cum manipulo Celebrantis; caligae cum sandaliis in lance, velo paramentorum coloris coopertae, manipuli pro sacris Ministris.

II. - IN SACRISTIA MAIORI. — Super aliquam mensam disponuntur paramenta pro Presbytero Assistente et Ministris sacris scilicet: pluviale et superpelliceum; dalmatica, stola, cingulum, alba, amictus pro Diacono; tunicella, cingulum, alba, amictus pro Subdiacono. Super aliam mensam: vimpa pro Ministro mitrae; superpellicea et bireta pro Clero; thuribulum cum navicula; vasculum aquae benedictae cum aspersorio.

III. - AD ALTARE MAIUS. — Omnia praeparantur quae sub n. 851, A), b), I notavimus.

Super Altaris mensam disponuntur Episcopi Ordinarii paramenta, quae velo eiusdem coloris paramentorum cooperiuntur, scilicet: pluviale, stola, cingulum, alba, amictus, formale in lance, mitra pretiosa in cornu Evangelii.

Apud Altare, in cornu Evangelii, in basi collocatur baculus pastoralis.

IV. - Super abacum disponuntur: Calix pro Missae celebratione cum suis ornamentis scilicet: purificatorio, patena, palla, bursa cum corporali; super patena ponitur hostia; prope Calicem ponitur parvum velum plicatum; ampullae vini et aquae, eaque omnia conteguntur velo humerali; urceus cum pelvi et duo manutergia in lance; Missale cum legile; Missale et palmatoria pro Episcopo Ordinario; mitra auri-phrygiata.

V. - IN CORNU EVANGELII. — Thronus exornatur, ut dictum est sub n. 398, et ante eius infimum gradum ad Cathedrae dexteram,

collocatur scamnum pro Caeremoniario primo; apud Thronum, congruo in loco, collocatur pulvinus.

VI. - IN CORNU EPISTOLAE. — Non longe a Faldistorio (v. n. 695, V) a sinistris collocatur scamnum pro Presbytero Assistente et sacris Ministris; ad scamni sinistram, scabellum pro Caeremoniario secundo.

VII. - IN MEDIO PRESBYTERIO. — Collocatur aliud Faldistorium pro Episcopo Ordinario cum pulvinis eiusdem coloris Officii.

VIII. - AD ALTARE SS. SACRAMENTI. — Omnia ut sub n. 971, IX notavimus.

ARTICULUS II.

In Functione.

1052. — I. - DE EPISCOPO ORDINARIO ET DE EIUSDEM ASSISTENTIBUS. — **Episcopus Ordinarius** se gerit ut in assistentia Missae solemni pluviali indutus (v. Art. III Cap. III huius Part.). Pariter **Presbyter Assistens** et **Diaconi Assistentes** ut respective in Art. III et IV Cap. III huius Partis diximus.

II. - DE EPISCOPO CELEBRANTE. — Hora praestituta, Episcopus celebrans, indutus veste praelatitia, rocchetto et mantelletto, accedit ad Sacristiam capitularem ubi, facta praecipuae Imagini inclinatione, sedet in sede camerali et, more solito, legit Psalmos et preces in Missae praeparatione atque induit paramenta missalia. Episcopus adhuc sedens, mitra accepta, benedicit et imponit incensum; ad nutum Caeremoniarii surgit, iunctis manibus, medius inter Presbyterum Assistentem et Diaconum procedit ad Altare; quo cum pervenerit, Cruci reverentiam peragit, procedit ad Faldistorium et in eo sedet.

Dum Ordinario mitra a primo Diacono Assistente imponitur, Episcopus celebrans mitram dimittit, surgit, et medius inter Diaconum et Subdiaconum accedit ante infimum Altaris gradum et sistit versus latus Evangelii. Quum Ordinarius ad Altare pervenerit, Celebrans accedit ad eius sinistram; facta cum eodem Ordinario reverentia profunda Cruci, ei respondet usque ad: *Indulgentiam*, etc., inclusive. Dicto: *Amen* et facta Ordinario reverentia, recedit inter sacros Ministros, manipulum accipit et versus Evangelii latus, medius inter Diaconum et Subdiaconum, Confessionem complet. Ordinario ab Altari profecto, Episcopus dicens: *Aufer a nobis* etc., Altare ascendit, illud in medio deosculatur, statim faciem convertit

ad cornu Evangelii, ambabus manibus tangit librum ab inferiori parte, osculatur principium textus Evangelii. Incensum non imponit, sed, accepto thuribulo, Altare, more solito, thurificat; mitra accepta, a Diacono incensatur, duplici ductu, in cornu Epistolae; deinde se gerit ut sub n. 1016 diximus. Epistola decantata, Subdiacono benedictionem non impertit neque manum osculandam praebet; similiter ante Evangelium Diacono manum osculandam non praebet, nec incensum imponit. Evangelio decantato, librum non osculatur, nec thuris honorem accipit.

Thurificato Episcopo Ordinario, Celebrans se ad Altare vertit; manus extendens ac iungens et caput ad Crucem inclinans intonat: *Credo in unum Deum*, et se gerit ut sub n. 868 notavimus, sed, Symbolo recitato, se ad populum vertit ac in Faldistorio sedet. Decantato a Choro Symbolo, se gerit ut sub n. 1017, sed:

Ad Offertorium aquam non benedicit, sed recitat Orationem: *Deus, qui humanae* etc., pariter incensum non benedicit. Oblata vero et Altare, more solito, thurificat; in fine, duplici ductu, incensatur. Pacem Presbytero Assistenti Ordinario dat. Recitato: *Placeat* etc., osculatur Altare, deinde recedit ad latus Epistolae, versus Ordinarium inclinatus manet ad benedictionem; qua impertita, conversus ad populum legit formulam Indulgentiae (v. n. 890).

Indulgentia publicata ad Altare recitat ultimum Evangelium; quo absoluto, mitram accipit, medius inter sacros Ministros descendit in planum, Cruci et Ordinario reverentia facta, procedit ad Sacristiam capitularem ubi paramenta deponit, mantelletum ac Crucem pectoralem reassumit et, tecto capite, legit Antiphonam: *Trium puerorum* etc. (v. n. 882).

III. - DE PRESBYTERO ASSISTENTE EPISCOPO CELEBRANTI. — Presbyter Assistens non procedit cum aliis ad Episcopum Ordinarium associandum, sed cum Episcopus celebrans ad Sacristiam pervenerit, ad nutum Caeremoniarii secundi, accedit ad dexteram sedis cameralis et respondet, scilicet alternatim recitat Psalmos et Versiculos praeparationis Missae; deposito ab Episcopo mantelletto, ex digito eiusdem anulum educit, prius manum dein anulum osculans, et se gerit ut sub n. 884. Lotis et abstersis ab Episcopo manibus, accedit ad mensam, pluviale assumit, dein ad sedem revertitur. Mitra ab Episcopo accepta, inducit in eius digitum anulum; innuente Caeremoniario, incedit ad dexteram eiusdem Episcopi, quem comitatur ad Faldistorium in cornu Epistolae Altaris maioris, ac postea cum Ministris sacris ad scamnum se confert, sedet, tecto capite. Quum Episcopus

Ordinarius in Presbyterium ingreditur, surgit, se profunde ei inclinatur, vel, si non sit Canonicus, genuflectit; cum Ordinarius ad Thronum accedit, iterum sedet; quando vero ille mitram accipit, surgit; una cum Diacono pergit ad Faldistorium, consistit ad dexteram Celebrantis et cum eo ad Altare procedit. Quum Celebrans accedit ad Ordinarii sinistram, Presbyter Assistens transit ad Celebrantis sinistram, sed consistit aliquantulum retro. Quum Celebrans, dicto: *Indulgentiam*, etc., se retrahit, ipse se gerit ut in Missa solemni pontificali ad Thronum (v. n. 886).

Altari thurificato in Missae initio, Episcopus ad Faldistorium praecedit et se gerit ut sub n. 1020, sed recitato cum Celebrante: *Agnus Dei* etc., pergit, comitante Caeremoniario, apud stallum Presbyteri Assistantis Episcopo Ordinario, a quo pacem accipit eamque Dignitatibus et Canonicis defert, more solito, ac postea Diacono Missae.

IV. - DE DIACONO DEQUE SUBDIACONO. — **Ministri sacri**, dum Episcopus Celebrans praeparationem Missae persolvit, paramenta, absque manipulo, assumunt, dein ad Sacristiam capitularem se conferunt. Lotis et abstersis ab Episcopo manibus, **Ministri sacri** accedunt ad Episcopi latera et se gerunt ut diximus respective sub n. 1023 et 1028. Accepto manipulo, **Diaconus**, ad nutum Caeremoniarii, incensum ministrat dicens: *Benedicite, Pater Reverendissime*. Tunc, facta praecipuae Imagini Sacristiae reverentia, ad Altare, a sinistris Episcopi, procedit. **Subdiaconus** vero, manipulo accepto, sumit ex mensa Evangeliarium et ante Episcopum solus incedit.

Quum ad Altare pervenerint, **Diaconus** Episcopum ad Faldistorium comitatur, dein ad scamnum pergit; **Subdiaconus**, tradito Missali Caeremoniario, pergit et ipse ad scamnum atque **ambo** sedent.

Quum Ordinarius in Presbyterium ingreditur surgunt, se ei profunde inclinatur, vel, si Canonici non sint, genuflexionem peragunt; cum Ordinarius ad Thronum accedit sedent et dum ille mitram accipit iterum surgunt atque ad Faldistorium accedunt. **Diaconus** mitram Episcopo celebranti aufert et ad eius sinistram ad Altare procedit; **Subdiaconus** deferens Evangeliarium, solus incedit ante Episcopum et cum ad Altare pervenerit, Caeremoniario secundo Evangeliarium tradit ac postea **ambo** se gerunt ut sacri Ministri in Missa solemni cum assistentia Episcopi Ordinarii pluviali induti (v. n. 984). Dicto vero: *Indulgentiam*, etc., **ambo** se gerunt ut in Missa pontificali ad Thronum, ut respective diximus sub n. 913 et 927, sed pro cantu Epistolae et Evangelii, atque pro benedictione aquae ut in Missa so-

lemni cum assistentia Episcopi Ordinarii. **Diaconus** pacem accipit a Presbytero Assistente et eam **Subdiacono** dat. Ad benedictionem in fine Missae ut sub n. 987 diximus. Ultimo Evangelio absoluto, **Diaconus** mitram Episcopo imponit, dein **ambo**, reverentia vel genuflexione Altari et Ordinario peracta, ad Sacristiam procedunt ubi, manipulis depositis, **Diaconus** mitram Episcopo aufert, ac postea, **Subdiacono** adiuvante, Episcopum exiit, dein **ambo**, facta Episcopo reverentia, se conferunt ad Sacristiam maiorem ubi paramenta deponunt.

V. - DE CANONICIS DEQUE CHORO. — Omnes se gerunt ut in Articulo VII Cap. III huius Part. diximus de Missa solemni cum assistentia Episcopi Ordinarii pluviali induti.

VI. - DE CAEREMONIARIO PRIMO. — In omnibus Caeremoniarius primus se gerit ut in Missa solemni cum assistentia Episcopi Ordinarii, pluviali induti (v. n. 993 et seqq.).

VII. - DE CAEREMONIARIO SECUNDO. — Quum Episcopus celebrans accedit ad Sacristiam, Caeremoniarius eum comitatur ad sedem cameralem. Precibus praeparationis, vel Orationibus ad paramenta absolutis, aufert Episcopo sedenti Crucem pectoralem eique deosculandam praebet ac postea deponit eam in lance a Clerico sustenta. Mantellecto ab Episcopo dimisso, innuit ut Presbyter Assistens ex digito eiusdem Episcopi annulum educat et super lance a Clerico sustenta deponat. Lotis ab Episcopo manibus, Caeremoniarius accipit Episcopi biretum quod Cubiculario eiusdem tradit, moneat etiam eundem Presbyterum ut pluviali induat; singula paramenta a Clericis accipit et Diacono tradit.

Quum Ordinarius ad ianuam Ecclesiae pervenerit, monet Celebrantem ut incensum in thuribulum imponat ac postea signum exeundi dat.

Ordo processiois ad Altare maius.

1. Thuriferarius;
2. Ceroferarii;
3. Clerici;
4. Subdiaconus solus Missale deferens;
5. Episcopus, iunctis manibus, medius inter Presbyterum Assistentem et Diaconum;
6. Minister de mitra et de libro;
7. Familiares Episcopi celebrantis.

Quum ad Altare pervenerint, facta Cruci reverentia, vel genuflexione, Episcopus accedit ad Faldistorium, Presbyter Assistens et

Missae Ministri ad scamnum; Ministri mitrae, libri et candelae ad abacum.

Ab Episcopo Ordinario mitra accepta, Caeremoniarius invitat Episcopum celebrantem et Assistentes ad Altare et se gerit ut Caeremoniarius primus ad Missam pontificalem ad Faldistorium, post cantum Horae Tertiae (v. n. 1037, I), sed animadvertat ad sequentes variationes:

1. - Ad Confessionem omnes se gerunt ut in Missa solemnium cum assistentia Episcopi parati.

2. - Episcopus celebrans non benedicit incensum, nec aquam, nec populum in fine Missae, sed legit formulam Indulgentiae et legit ultimum Evangelium ad Altare.

3. - Diaconus et Subdiaconus pro cantu Epistolae et Evangelii se gerunt ut in Missa solemnium cum assistentia Ordinarii. Diaconus accipit pacem a Presbytero Assistente Episcopo celebranti, eamque Subdiacono dat.

4. - Ultimo Evangelio absoluto, Episcopus et sacri Ministri ad Sacristiam procedunt.

VIII. - DE CAPPELLANIS EPISCOPI ORDINARII. — **Cappellani**, scilicet **Ministri libri, candelae, mitrae, baculi, Caudatarius** et **Crucifer**, si adsit, se gerunt respective ut sub n. 999, I et II, atque ut sub n. 1000, I et II.

IX. - DE MINISTRIS MITRAE ET LIBRI EPISCOPI CELEBRANTIS. — Hi Ministri se gerunt ut in Missa pontificali ad Faldistorium (v. n. 1038, I, II) Episcopo Ordinario celebrante. Episcopus in fine Missae benedictionem non impertit.

X. - DE CAUDATARIO EPISCOPI CELEBRANTIS. — Caudatarius se gerit ut sub n. 1038, III notavimus; ipse vero vel alius Clericus cum Episcopus incipit legere Missae praeparationem, ad mensam accedit, caligas et sandalia, super lancem, accipit, manibus velo coopertis, et ad sedem cameralem se confert; postquam Cubicularius Episcopi calceis ordinariis eum exuerit, eidem Cubiculario lancem tradit.

Dimisso ab Episcopo mantelletto, Caudatarius expedit vestis talaris caudam, dein se gerit ut sub n. 966, 1; cum vero sedendum sit, sedet in infimo Altaris gradu, primo loco versus Epistolae cornu, ad sinistram Ministri candelae.

XI. - DE THURIFERARIO, DE CEROFERARIIS, DE ACOLYTHO, DE CLERICIS PRO PARAMENTIS DEQUE CLERICIS INTORTICIA GESTATURIS. — **Omnes** se gerunt ut sub n. 1000, III - VII respective diximus.

CAPUT XII.

DE MISSA SOLEMNI PONTIFICALI AD FALDISTORIUM
CUM ASSISTENTIA EPISCOPI ORDINARII CAPPA INDUTI

1053. — Omnia parantur et peraguntur ut in praecedenti Capite, sed animadvertite sequentes variationes:

I. - Non ponuntur Episcopi paramenta super Altaris mensam, nec scabella pro Ministris de mitra et baculo.

II. - **Episcopus Ordinarius** Confessionem facit in Sede cum **Diaconis Assistentibus**, incensum non benedicit et incensatur tantum, absque bireto (D. 2682 ad 14), ad Offertorium, post Episcopum celebrantem; manum **Diacono** et **Subdiacono** osculandam non praebet, nec **Diaconum** benedicit ante Evangelii cantum; item aquam non benedicit, nec benedictionem in fine Missae impertit.

III. - **Presbyter Assistens Ordinario** accedit ad Thronum pro incensatione post Offertorium et pro Pace.

IV. - **Presbyter Assistens Episcopo celebranti, Diaconus** et **Subdiaconus** se gerunt ut in Missa pontificali coram S. R. E. Cardinali, celebrante Episcopo Ordinario (v. Art. IV, V et VI Cap. VII huius Partis).

CAPUT XIII.

DE MISSA SOLEMNI PONTIFICALI AD THRONUM, EPISCOPO
EXTRANEIO CELEBRANTE

1054. — Omnia parantur et Functio peragitur ut in Capite I huius Partis, sed:

I. - Non paratur Secretarium.

II. - Super Altare non collocatur septimum candelabrum (D. 4355, III, 6, a); super patenam una tantum hostia ponitur; super abacum non collocatur patera pro praegustatione.

III. Canonici non pergunt ad associandum Episcopum, nec paramenta assumunt.

IV. - Canonici Episcopi thurificantur triplici vel duplici ductu iuxta consuetudinem (DD. 2447 ad 2; 2883 ad 5).

V. - Ad Offertorium non fit praegustatio.

VI. - Ministri inferiores, sicut et ceteri de Clero, Episcopo non genuflectunt, sed tantum se ei inclinant.

CAPUT XIV.

DE MISSA SOLEMNI PONTIFICALI AD FALDISTORIUM
EPISCOPO EXTRANEO CELEBRANTE

ARTICULUS I.

De Missa solemni pontificali ad Faldistorium, Episcopo extraneo celebrante in Ecclesiis ubi Capitulum adest.

1. — De iis quae praeparanda sunt.

1055. — I. - IN SACRISTIA CAPITULARI omnia parantur ut sub n. **1051**, I notavimus.

II. - IN SACRISTIA MAIORI. — Pariter omnia praeparantur ut sub eodem numero **1051**, II notavimus.

III. - AD ALTARE MAIUS. — Altare pallio coloris Officii instruitur et illius mensa tribus mappis cooperitur; super eius gradum tapetum sternitur.

Sex candelabra Altari superimponuntur et in medio eorum Crux cum Imagine Crucifixi collocatur; alterne inter candelabra statui possunt vel Sanctorum Reliquiae vel vascula cum floribus (v. n. **562**, IV).

IV. - SUPER ABACUM. — Disponuntur omnia quae diximus sub n. **1051**, IV.

V. - IN CORNU EPISTOLAE. — Non longe a Faldistorio (v. n. **674**, V), a sinistris collocatur scamnum pro Presbytero Assistente et sacris Ministris; ad scamni sinistram: scabellum pro Caeremoniario.

VI. - AD ALTARE SS. SACRAMENTI. — Paratur genuflexorium cum pulvinis viridis vel violacei coloris, pro diversitate temporum. Sex cerei super Altare accenduntur.

2. — In Functione.

1056. — Episcopus excipitur ad Ecclesiae ianuam a Caeremoniario et a duobus Clericis tantum, quorum dignior offert aspersionem.

I. - DE EPISCOPO. — Episcopus, facta oratione ad Altare SS. Sacramenti, procedit ad Sacristiam capitularem et se gerit ut sub n. **1052**, II notavimus, sed cum ad Altare maius pervenerit, accedit ante infimum Altaris gradum ubi, mitra dimissa, Cruci profundam

reverentiam peragit et Missam pontificalem, more solito, incipit et se gerit ut sub n. **1016** et **1017** notavimus de Episcopo Ordinario, omissis quae respiciunt praesentiam Emi Cardinalis et cantum Horae Tertiae; Episcopus non utitur baculo pastorali, nec Indulgentiam concedit.

II. - DE PRESBYTERO ASSISTENTE DEQUE MINISTRIS SACRIS. — **Presbyter Assistens** et **Ministri sacri**, accedente Episcopo ad Sacristiam, se gerunt ut sub n. **1052**, III et IV respective notavimus; cum vero ad Altare pervenerint, se gerunt respective ut sub n. **886**, **913** et **927**. Episcopo in Missae initio thurificato, procedunt ad Faldistorium. **Presbyter Assistens** se gerit ut sub n. **1020** et **1021**, **Ministri sacri** respective ut sub n. **1024** et **1029**, omissis quae respiciunt praesentiam Emi Cardinalis.

Benedictione impertita in fine Missae, **Presbyter Assistens** non publicat Indulgentiam.

Lecto Evangelio in fine Missae ad Sacristiam revertuntur, ordine quo venerunt; **Presbyter Assistens** pluviale et amictum dimittit, ac reassumit habitum chorale; postquam Episcopus reassumpserit Crucem pectoralem, ad eum accedit et alternatim cum eo Psalmos et Versiculos in gratiarum actione recitat.

III. - DE CAEREMONIARIO PRIMO. — Postquam Episcopus oraverit ad Altare SS. Sacramenti, ducit eum in Sacristiam capitularem et se gerit ut sub n. **1052**, VII diximus, de Caeremoniario secundo, sed circa finem Horae Tertiae monet eum ut incensum in thuribulum imponat; absoluta recitatione eiusdem Horae, exeundi signum dat.

Quum ad Altare pervenerit, se gerit ut in Missa pontificali ad Thronum, sed Altari thurificato, mitram Episcopo imponit tam in initio Missae quam post Offertorium; impertita benedictione Diacono ante Evangelii cantum, gremiale et mitram Episcopo aufert.

Completa recitatione Evangelii in fine Missae, ordine quo omnes venerunt in Sacristiam revertuntur.

IV. - DE CAEREMONIARIO SECUNDO. — Dum Episcopus Missae praeparationem persolvit, Caeremoniarius invitat Ministros sacros ad paramenta sumenda et postquam eosdem ad Episcopum duxerit, accedit ad Altare, vel ad mensam praecipuam, atque Clericis paramenta distribuit.

In Processione ad Altare maius ordo sub n. **1052**, VII descripto servetur.

In reliquis se gerit ut sub n. **1037**, II notavimus, omissis quae praesentiam Emi Cardinalis et cantum Horae Tertiae respiciunt.

V. - DE MINISTRIS MITRAE, LIBRI ET CANDELAE. — **Hi Ministri** se gerunt ut sub n. 1038 notavimus, omissis quae praesentiam Emi Cardinalis respiciunt nec non cantum Horae Tertiae; **Minister de candela** se conformat Ministro libri.

VI. - DE CAUDATARIO. — Caudatarius se gerit ut sub n. 1052, X.

VII. - DE MINISTRO GREMIALIS, DE THURIFERARIO, DE CERO-FERARIIS. — **Omnes** se gerunt ut sub n. 1038, V, VI et VII, omissis quae respiciunt praesentiam Emi Cardinalis et cantum Horae Tertiae.

VIII. - DE ACOLYTHO. — Acolythus se gerit ut sub n. 966, VI, sed, deposito vasculo aquae benedictae congruo in loco, procedit ad Sacristiam capitularem. Lectis ab Episcopo precibus in Missae praeparatione, sumit ex mensa lancem et se confert ad dexteram sedis cameralis, ibique consistit donec Presbyter Assistens anulum recipiat. In reliquis se gerit ut sub allato numero notavimus.

ARTICULUS II.

De Missa solemni pontificali ad Faldistorium, Episcopo extraneo celebrante in Ecclesiis ubi Capitulum abest.

1. — De iis quae praeparanda sunt.

1057. — I. - IN SACRISTIA. — Super praecipuam mensam disponuntur paramenta pro Presbytero Assistente et Ministris sacris scilicet: pluviale et superpelliceum; dalmatica, stola, cingulum, alba, amictus pro Diacono; tunicella, cingulum, alba, amictus pro Subdiacono.

Super aliam mensam: vimpa pro Ministro mitrae; superpellicea et bireta pro Clero; thuribulum cum navicula; vasculum aquae benedictae cum aspersorio.

Si Episcopus Missae praeparationem in Sacristia persolvat, tunc ante praecipuam mensam collocatur sedes cameralis super tapetum, ita conversa ut Episcopus sedens terga vertat mensae et super mensam secundariam ponuntur caligae cum sandaliis in lance, coopertae velo paramentorum coloris; Canon Pontificalis; palmatoria cum candela; haec omnia, si Episcopus ad Altare preces in Missae praeparatione recitat, super abacum ad Altare maius collocantur.

II. - AD ALTARE MAIUS. — Omnia disponuntur ut sub n. 1055, III notavimus; praeterea super eiusdem Altaris mensam praeparantur paramenta pro Episcopo, quae velo coloris eorundem paramentorum cooperiuntur, nempe: planeta, dalmatica, tunicella, stola, cingulum, alba, amictus, chirothecae in lance; in latere Evangelii: mitra pretiosa.

III. - SUPER ABACUM. — Disponuntur: Calix pro Missae celebratione cum suis ornamentis scilicet: purificatorio, patena, palla, bursa cum corporali; super patena ponitur hostia; prope Calicem ponitur parvum velum plicatum; ampullae vini et aquae, eaque omnia conteguntur velo humerali; urceus cum pelvi et duo manutergia in lance; Missale cum legile; Evangeliarium cum manipulo Celebrantis; lanx pro Cruce pectorali; manipuli pro Ministris sacris; mitra auriphrygiata; duo candelabra pro Ceroferariis; campanula.

IV. - IN CORNU EPISTOLAE ET AD ALTARE SS. SACRAMENTI. — Omnia ut sub n. 1055, V et VI.

2. — In Functione.

1058. — I. - DE EPISCOPO. — Episcopus excipitur ut sub n. 1056, I notavimus, sed, completa Missae praeparatione, pergit ad Altare maius, et postquam breviter oraverit in pulvino, super infimum gradum collocato, se confert ad Faldistorium ibique, lotis et abstersis manibus, paramenta sumit; annulo accepto, se confert ad Altare et Missam pontificalem more solito incipit ut sub allato numero notavimus.

Si vero Missae praeparationem ad Altare persolvat, tunc, oratione facta ad Altare SS. Sacramenti, procedit ad Altare maius, breviter orat in pulvino super infimum gradum collocato ac postea se confert ad Faldistorium; postquam in eo sederit, Missae praeparationem persolvit ut in Sacristia, dein paramenta sumit et se ut supra gerit.

II. - DE PRESBYTERO ASSISTENTE. — Presbyter Assistens, Episcopo ad Sacristiam accedente, se gerit ut sub n. 1056, II, sed absoluta ab Episcopo Missae praeparatione, eum ducit ad Altare maius, incedens ad sinistram; breviter orat ac postea eundem ad Faldistorium comitatur. Dum Episcopus manus lavat ei mantile ministrat; recepto mantile, se ad suum scamnum confert, ibique sedet et caput cooperit.

Si vero Episcopus Missae praeparationem ad Altare persolvat, tunc cum eius adventus nunciatur, se confert ad Altare maius, dein se gerit ut sub allato numero.

III. - DE MINISTRIS SACRIS. — Dum Episcopus Missae praeparationem persolvit, paramenta, absque manipulo, sumunt; ad Caeremoniarum nutum, ad Altare maius pergunt; facta reverentia, vel genuflexione, Cruci, se ad scamnum conferunt, ibique sedent et caput cooperiunt.

Quum Episcopus ad Altare accedit, surgunt, detecto capite, eique se inclinant; quum ille ad Faldistorium pergat et ipsi ad eiusdem Faldistorii latera se conferunt eumque paramentis induunt.

Si vero Episcopus Missae praeparationem ad Altare persolvat, se gerunt respective ut sub n. 1023 et 1028 notavimus, omissis quae Emi Cardinalis praesentiam et cantum Horae Tertiae respiciunt.

IV. - DE CAEREMONIARIO PRIMO. — Caeremoniarius se gerit ut in praecedenti Article, sed completa ab Episcopo Missae praeparatione, invitat eum ad Altare.

Si vero Episcopus Missae praeparationem ad Altare persolvat, tunc, oratione facta ad Altare SS. Sacramenti, ducit eum ad Altare maius et se gerit ut sub n. 1037, I, omissis quae respiciunt praesentiam Emi Cardinalis nec non cantum Horae Tertiae.

V. - DE CAEREMONIARIO SECUNDO. — Pariter Caeremoniarius secundus se gerit ut in Article praecedenti, sed circa finem Missae praeparationis ducit Ministros sacros ad Altare; postquam Episcopus in Faldistorio sederit innuit ut Ministri sacri ad eum accedant, ac postea Altare conscendit et Clericis paramenta distribuit. In reliquis se gerit ut sub n. 1037, II, omissis quae praesentiam Emi Cardinalis et cantum Horae Tertiae respiciunt.

Si vero Episcopus Missae praeparationem ad Altare persolvat, tunc, dum Clerici procedunt ad Episcopum associandum, invitat Ministros sacros ad paramenta sumenda eosque ad Altare ducit et se ut supra gerit.

VI. - DE MINISTRIS INFERIORIBUS. — Si Episcopus Missae praeparationem in Sacristia persolvat, **Ministri libri, candelae et Caudatarius** se gerunt ut sub n. 1052, IX, X notavimus, ceteri vero ut in Article X Capitis VII huius Partis, omissis quae respiciunt praesentiam Emi Cardinalis, necnon cantum Horae Tertiae.

Si Episcopus ad Altare Missae praeparationem persolvat, **omnes Ministri inferiores** se gerunt ut in Article X Capitis VII huius Partis, omissis quae Emi Cardinalis praesentiam, necnon cantum Horae Tertiae respiciunt.

CAPUT XV.

DE MISSA SOLEMNI PONTIFICALI CORAM
SS. SACRAMENTO EXPOSITO

« Non incongruum, sed maxime decens esset ut in Altari ubi SS. Sacramentum situm est Missae non celebrarentur quod antiquitus observatum fuisse videmus » legitur in Caeremoniali Episcoporum (L. I, cap. XII, n. 9) et iuxta S. R. Congregationis Decreta solum in his adiunctis permittitur idest: Pro eo reponendo, aut nisi alia adsint Altaria et celebrandi urgeat necessitas, vel saltem rationalis causa, ut praeceptum audiendi Sacrum, ne idem Venerabile Sacramentum absque adoratoribus relinquatur, consuetudo immemorabilis difficillime sine populi offensione et pietatis detrimento obliteranda (DD. 1406; 1421 ad 5; 2765; 3124 ad 2; 3448 ad 1; 3505; 4353 et die 27 Iulii 1927). Praeterea nostra aetate, praesertim occasione alicuius Conventus Eucharistici maioris, evenit ut ex concessione Apostolica Missa pontificalis, vel privata, a S. R. E. Cardinali, vel ab Episcopo, sive Ordinario, sive extraneo, celebretur coram SS. Sacramento exposito. Et ideo infra trademus normas ad unguem sequendas tam in Missa pontificali, quam in privata, coram eodem SS. Sacramento celebranda.

ARTICULUS I.

De iis quae praeparanda sunt.

1059. — Omnia disponuntur ut in aliis Missis pontificalibus sicut suis in locis notavimus, sed:

I. - Non paratur genuflexorium, vel Faldistorium, ante Altare in quo SS. Sacramentum inclusum est in Tabernaculo.

II. - Si Episcopus celebrans sit Ordinarius, septimum candelabrum ita collocatur ut SS. Sacramentum commode conspici a fidelibus possit.

III. - Paramenta Episcopi, nisi Secretarium adsit, ponuntur super abacum.

IV. - Si Ministri non sedeant, quod maxime conveniens est, non collocantur scamna.

Si ad Faldistorium celebratur, tunc Faldistorium in latere Epistolae ita collocatur ut Episcopus sedens humeros ad parietem, non ad Altare vertat.

ARTICULUS II.

De Episcopo ad Missam solemnem pontificalem coram SS. Sacramento exposito.

1060. — Quum Episcopus ad Ecclesiae ianuam pervenerit se gerit more solito, in aspersione aquae benedictae; qua absoluta, procedit ad Altare maius et se abstinet a benedicendo adstantes. Quum in conspectum SS. Sacramenti advenerit, caput detegit, sibi que aufert pileolum; in plano Presbyterii utrumque flectit genu cum mediocri corporis inclinatione (D. 4179 ad 1), ac postea in Faldistorio genuflexus aliquantulum orat. Innuente Caeremoniario surgit, iterum in plano utrumque flectit genu, si Secretarium adsit ad illud accedit; alias, unico genu, peracta genuflexione, ad Thronum, vel ad Faldistorium, pergit.

1061. — Si Secretarium adsit, Hora Tertia absoluta, cum ad Altare maius procedit et in conspectum SS. Sacramenti advenit, ad nutum Caeremoniarii sistit, mitram ac pileolum dimittit; ante infimum Altaris gradum, in plano utrumque flectit genu cum mediocri corporis inclinatione et Missam ut alias inchoat.

Si vero Secretarium non adsit, e Throno, vel de Faldistorio, discedit cum mitra eamque ante infimum Altaris gradum dimittit, more solito, ac postea unico genu peragit genuflexionem.

1062. — Absoluta Confessione cum Psalmo, Episcopus, absque genuflexione, Altaris gradus conscendit; ibique genuflectit. Deosculato initio textus Evangelii, absque genuflexione (D. 4194 ad 5), se paulisper retrahit ad Evangelii cornu; more solito, benedicit incensum, ac postea, non praemissa genuflexione, descendit cum sacris Ministris ad secundum gradum et, in ora suppedanei genuflexus, thuribulum accipit, SS. Sacramentum, triplici ductu, adolet, cum profunda inclinatione ante et post incensationem (D. 3086 ad 3). Thure sic oblato, Episcopus ad Altare rursus accedit, ibique genuflectit ac postea Altare ipsum de more adolet, non tamen Crucem etiamsi adsit (D. 2340 ad 4).

Altari thurificato, redditoque Diacono thuribulo, Episcopus e latere Epistolae in secundum gradum, vel in planum, iuxta consuetudinem, descendit, ubi, absque mitra, cavens ne terga SS. Sacramento vertat (D. 2682 ad 48) per suam sinistram conversus ad populum, incensatur. Tum, sine genuflexione, procedit ante infimum

Altaris gradum, ibique unicum flectit genu, pileolum, mitram ac baculum accipit et ad Thronum, vel ad Faldistorium, procedit, ubi, tradito Ministro baculo, dimittit mitram ac pileolum.

1063. — Recitato: *Kyrie* etc., si sedere velit, quod licitum est, sedet absque pileolo et mitra, nam in Caeremoniali Episcoporum legitur «conveniens esset, ut ob reverentiam tanti Sacramenti tam Episcopus quam Canonici... starent semper capite detecto... Quod si ob longitudinem Officii praestare non poterunt, non omittant saltem in signum reverentiae detecto capite assistere» (Liber II, cap. XXXIII, n. 33). Ex convenientia ergo standi, vel sedendi, regulae ratio petitur; ex iure vero standi, vel sedendi, aperto capite.

1064. — Lecto Offertorio, Episcopus, si velit, sedet, anulum et chirothecas dimittit manusque lavat; quibus abstersis, anulum reasumit, pileolum ac mitram accipit atque ad Altare accedit. Quum ante infimum gradum pervenerit, tradit Ministro baculum, mitram et pileolum dimittit, genuflectit unico genu in infimo gradu, Altare ascendit ac se, more solito, gerit.

1065. — Dicto: *Veni, sanctificator* etc., Episcopus, absque genuflexione (D. 4194 ad 5), incensum ponit in thuribulum ac benedicit solita proferendo verba: *Per intercessionem* etc., dein conversus ad medium Altaris, sine genuflexione, accipit a Diacono thuribulum et incensat de more Oblata; postmodum deflectens tantillum ad cornu Evangelii, ne SS. Sacramento terga obvertat, ad secundum descendit gradum, ubi, in ora suppedanei genuflexus, SS. Sacramentum thurificat, proferens interim: *Dirigatur, Domine, oratio mea — sicut incensum — in conspectu tuo*; dein suppedaneum conscendit, genuflectit, et Altare, more solito, incensat. Quo thurificato, in secundo gradu, vel in plano, facie ad populum versa, a Diacono thurificatur; ibique manus lavat et abstergit legens ex Canone Pontificali Psalmum 25: *Lavabo* etc.; quo absoluto, ascendit suppedaneum, ad medium Altaris pergit, ac genuflectit.

Post Orationem: *Suscipe, sancta Trinitas* etc., osculatur Altare, genuflectit, ac postea vertit se ad populum, extra medium Altaris, nimirum abducendo se aliquantisper ad cornu Evangelii faciemque vertendo ad cornu Epistolae dicit: *Orate, fratres*, etc., et non perficit circulum, sed per eandem viam rediens ad medium Altaris, genuflectit. In reliquis, usque ad Communionem, se gerit ut in aliis Missis pontificalibus.

1066. — Postquam Episcopus purificationem hauserit, posito Calice super corporale, genuflectit; deinde, Calice, more solito, apprehenso, adit cornu Epistolae; facta in illo digitorum ablutione, digitis extersis, rediens ad medium Altaris iterum genuflectit. Posito super os Calicis purificatorio, genuflectit, pergit ad cornu Epistolae, descendit in secundum gradum, vel in planum, ubi, facie ad populum versa et absque mitra, manus lavat; quibus abstersis, accedit ad Missale ex quo legit Antiphonam «*Communio*» dictam; tum Altaris medium adit, genuflectit, deosculatur Altare ipsum, ac postea vertit se ad populum, sistit aliquantulum versus cornu Evangelii, ne terga SS. Sacramento vertat, et cantat: *Dominus vobiscum*, deinde ad medium Altaris reversus iterum genuflectit et se more solito gerit.

1067. — Completa Oratione, in medium, ut antea, revertitur et se ut supra gerit; dicto: *Benedicat vos*, genuflectit, baculum accipit, ad populum se convertit, ut supra, et benedictionem dat. Si vero uti Cruce possit, more solito, benedictionem impertit, sed Crucem non salutat.

1068. — Benedictione donata, baculum dimittit et super sinistram suam ad Altare se convertit; si s. Pallio, eo die, uti possit, etiam illud deponit et continuo subdit: *Dominus vobiscum*, *Initium sancti Evangelii* etc., more solito; de Altare descendit; in plano genuflexione, unico genu, peracta, accipit pileolum, mitram ac baculum; recitans Evangelium pergit ad Thronum. Quo cum pervenerit, mitram ac pileolum dimittit; ad Altare conversus genuflectit dicens: *Et Verbum caro* etc.

Si aliud Evangelium legendum sit, more solito, legit in Evangelii cornu, et si infra illud genuflectendum, erga SS. Sacramentum genuflectit (D. 3875 ad 4) sicut etiam ita se gerit ad: *Et Verbum caro* etc., Episcopus celebrans ad Faldistorium; lectione absoluta, ad medium Altaris accedit cum genuflexione; in planum descendit et se ut supra gerit.

1069. — Precibus in gratiarum actione absolutis, de Throno descendit, ad Faldistorium procedit, genuflexionem, unico genu, peragit, et, more solito, aliquantulum orat. Innuente Caeremoniario, surgit, genuflexionem, utroque genu, cum mediocri corporis inclinatione facit (D. 4179 ad 1), et e Presbyterio discedit; extra conspectum SS. Sacramenti sibi imponit pileolum et, si Cruce non utatur, biretum.

ARTICULUS III.

De Presbytero Assistente deque Diaconis Assistentibus ad Missam solemnem pontificalem coram SS. Sacramento exposito.

1070. — DE PRESBYTERO ASSISTENTE. — Presbyter Assistens se gerit ut in aliis Missis pontificalibus, sed:

I. - Quum venerit in conspectum SS. Sacramenti, caput detegit et in plano Presbyterii utrumque flectit genu, cum mediocri corporis inclinatione (D. 4179 ad 1), et ita se gerit cum ex Presbyterio discedit, nec non quando revertitur.

II. - In prosecutione Functionis discedens, aut adveniens medium Altaris, vel transiens ante SS. Sacramentum, unicum flectit genu, absque capitis inclinatione (D. 2682 ad 49).

III. - Omittit inclinationes ante Episcopum praeter eas quae potius ritus quam honoris ratione fiunt.

IV. - Si Episcopus sedeat et ipse sedere potest, sed capite detecto.

V. - Dum Episcopus thurificat SS. Sacramentum, ante Altaris incensationem, genuflectit super infimum Altaris gradum post Confessionem, in ora suppedanei in cornu Evangelii, post Offertorium.

1071. — DE DIACONIS ASSISTENTIBUS. — Diaconi Assistentes se gerunt more solito, sed servant quae diximus de Presbytero Assistente sub praecedenti numero I, II, III et IV. Quando vero Episcopus incensat SS. Sacramentum genuflectunt super infimum Altaris gradum.

ARTICULUS IV.

De Ministris sacris ad Missam solemnem pontificalem coram SS. Sacramento exposito.

1072. — **Ministri sacri** se gerunt ut in aliis Missis pontificalibus, sed:

I. - Servare debent quae notavimus sub n. 1070, I, II, III et IV de Presbytero Assistente.

II. - Dum ab uno latere in aliud transeunt, semper et tantum genuflectere debent in utroque latere; dum ab uno latere pergunt in medium, et dum e medio ascendunt ad latus aut viceversa, semper et tantum genuflectunt in loco e quo recedunt (D. 4027).

III. - Dicto ab Episcopo: *Oramus te, Domine* etc., **Ministri sacri**, absque genuflexione (D. 4194 ad 5), se paulisper retrahunt ad cornu Evangelii, facie ad cornu Epistolae versa. **Diaconus**, sine osculis, naviculam ministrat ac postea **ambo** cum Episcopo descendunt ad secundum gradum et in ora suppedanei genuflectunt; **Diaconus**, acceptum a Thuriferario thuribulum, absque osculis Episcopo porrigit; **ambo** una cum Episcopo profundam reverentiam peragunt, dein hinc et inde posteriorem planetae fimbriam eiusdem Episcopi elevant, dum SS. Sacramentum incensatur. Iterata profunda inclinatione, **Diaconus** ab Episcopo recipit thuribulum, quod Thuriferario tradit, ac postea **ambo** cum Episcopo rursus Altare accedunt, ibique genuflectunt et, more solito, Episcopum comitantur in Altaris thurificatione, sed loco inclinationum, genuflexionem peragunt.

Altari thurificato, cum Episcopo e latere Epistolae in secundum gradum, vel in planum, iuxta consuetudinem, descendunt; **Diaconus**, triplici ductu, Episcopum incensat.

Reddito Thuriferario thuribulo, **Diaconus**, una cum **Subdiacono**, comitatur Episcopum ante infimum Altaris gradum, ibique **ambo** unicum flectunt genu, ac postea se conferunt ad consueta loca, ut in aliis Missis pontificalibus.

IV. - Dicto ab Episcopo: *Veni, sanctificator* etc., **Diaconus**, absque genuflexione (D. 4194 ad 5), se paulisper retrahit ad cornu Evangelii, facie ad cornu Epistolae versa, sine osculis, naviculam ministrat et se gerit ut supra ad incensationem SS. Sacramenti et Altaris. **Subdiaconus** vero dum SS. Sacramentum ab Episcopo incensatur, consistit more solito (D. 2474).

V. - **Diaconus** in thurificatione Episcopi, se ut supra gerit; in Chori incensatione se, more solito, gerit, debitis cum genuflexionibus et inclinationibus.

VI. - Quum **Ministri sacri** thurificantur, se aliquantulum retrahunt ad cornu Evangelii, cum genuflexione ante et post.

VII. - **Subdiaconus**, more solito, abstergit et accommodat Calicem, priusquam illum accipiat genuflexionem peragit, descendit in planum, genuflectit in medio illumque ad abacum defert; deinde ad locum suum, retro post Diaconum, in plano, absque genuflexione, redit (D. 4172 ad 4).

VIII. - **Diaconus** pro cantando: *Ite Missa est*, genuflectit, se ad populum convertit ita tamen ut oblique illum respiciat, ne tergum SS. Sacramento vertat.

IX. - Decantato: *Ite Missa est*, **Diaconus** se iterum ad Altare vertit et genuflectit; **ambo** se gerunt ut in aliis Missis pontificalibus, sed **Diaconus** mitram Episcopo pro benedictione non imponit; eam vero imponit, postquam Episcopus, genuflexione in plano peracta, acceperit pileolum.

X. - Si infra ultimum Evangelium genuflectendum sit, **Ministri sacri** erga SS. Sacramentum genuflectunt, unico genu et sine capitis inclinatione (D. 3875 ad 4).

XI. - Postquam **Subdiaconus** super abacum deposuerit caligas et sandalia, **ambo** in plano utrumque flectunt genu cum mediocri inclinatione (D. 4179 ad 1) et ad Sacristiam pergunt.

Canonici, ceteri chorales alique de quibus hic sermo habitus non fuit se gerunt ut in aliis Missis solemnibus pontificalibus cum exceptionibus notatis sub n. 1070, I, II, III et IV.

ARTICULUS V.

De Oratione SS. Sacramenti in Missa dicenda.

1073. — S. R. Congregatio per Decretum generale diei 11 Ianuarii 1928, § III ad mentem Decreti diei 27 Aprilis 1927 statuit ut Oratio SS. Sacramenti, etiam occurrentibus Festis solemnioribus universalis Ecclesiae, addatur in Missa, perdurante expositione et adoratione SS. Sacramenti, pro publica causa, per aliquod tempus extra aliam sacram Functionem (scilicet non quando SS. Sacramentum exponitur per breve tempus ad aliquas preces recitandas et populum deinde benedicendum), dummodo Missa vel Commemoratio in Missa occurrens non sit de identico Domini mysterio (ut in Festis Passionis, Crucis, SS. Redemptoris, SS. Cordis Iesu et Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C.).

Huiusmodi Collecta de SS. Sacramento dicenda est post Orationes a Rubricis praescriptas, ante Collectas imperatas; nullumque ius dat nec ad Symbolum, nec ad Praefationem de Nativitate Domini, nec ad Evangelium de Missa votiva de SS. Sacramento in fine.

1074. — Si vero Collecta de SS. Sacramento locum teneat Missae votivae de eodem SS. Sacramento impeditae, ex Indulto Apostolico concessae vel a loci Ordinario pro re gravi et publica simul causa praescriptae, dicenda est sub unica conclusione cum prima Oratione Missae; et tunc in Missa dicitur *Credo*, nisi sub ritu simplici celebretur;

Praefatio de Nativitate Domini (nisi Missa propriam habeat Praefationem) et Evangelium in fine de Missa votiva de SS. Sacramento, nisi ultimum Evangelium Dominicae vel Feriae vel Vigiliae legendum sit (Addit. et Variat. in Rubr. Missal. Tit. VII, n. 3; Tit. VIII, n. 1; Tit. IX, n. 3; D. 4382).

CAPUT XVI.

DE MISSA PRIVATA A S. R. E. CARDINALI
VEL AB EPISCOPO ORDINARIO CELEBRANDA
IN ECCLESIA CATHEDRALI

ARTICULUS I.

De iis quae praeparanda sunt.

1075. — I. - IN SACRISTIA. — Vasculum aquae benedictae cum aspersorio; superpellicea pro Clericis; Crux, si ea Praelatus uti potest.

II. - AD ALTARE. — Altare pro qualitate temporum et Festorum solemnus ornatur.

In Altari sex aut quatuor cerei accenduntur; tabellae tres omnino amovendae. In medio, supra Altaris mensa, disponuntur paramenta ordine ut sequitur: planeta, stola, cingulum, alba, amictus; in cornu Evangelii manipulus; in cornu Epistolae Missale apertum initio Missae.

In Missa privata Praelatus non utitur mitra et baculo, neque in diebus Festis solemnioribus; haec est Caeremonialis Episcoporum praescriptio (L. I, cap. XXIX, n. 11; D. 4035 ad 3), atque romana constans et invariata consuetudo.

Ante Altare paratur Faldistorium cum pulvinis Missae coloris, vel genuflexorium cum strato et pulvinis viridis vel violacei coloris, pro diversitate temporum; si pro Cardinali, loco viridis coloris, utendum est colore rubro (Caer. Episc., L. I, cap. XII, n. 8). Super genuflexorio ipso, vel Faldistorio, ponitur Canon Pontificalis ad Missae praeparationem apertus.

III. - SUPER ABACO. — Ponitur: Calix velo et bursa coopertus; ampullae aquae et vini in pelvicula; palmatoria cum candela; urceus cum pelvi et manutergium in pelvicula; alia pelvicula pro Cruce pectorali et pileolo; campanula.

IV. - AD ALTARE SS. SACRAMENTI. — Paratur genuflexorium ut sub n. II notavimus.

ARTICULUS II.

De Praelato celebrante.

1076. — Praelatus, indutus mozzetta, accedens ad Ecclesiam Cathedralis se gerit ut diximus sub n. 533.

Si vero Missam celebraturus sit cum quadam solemnitate et magnus concursus populi fiat, tunc Praelatus accedit ad Ecclesiam cappa indutus et se gerit ut notavimus sub n. 520 et seqq.

Adoratione ad Altare SS. Sacramenti facta, procedit ad Altare in quo Missa celebranda est; in genuflexorio, vel in Faldistorio, genuflectit et cum Assistentibus alternatim recitat preces praeparationis ex Canone Pontificali; quibus absolutis, surgit et ante infimum Altaris gradum accedit, ubi dimittit Crucem pectoralem, mozzettam, vel cappam, accipit biretum, manus lavat ac postea biretum primo Assistenti tradit, paramenta assumit et Missam incipit.

Dicto: *Indulgentiam*, etc., manipulum accipit et Missam prosequitur, more solito. Post Angelicum Hymnum dicit: *Pax vobis*; si vero Hymnum non dicatur dicit: *Dominus vobiscum*; Praelatus lavat manus etiam sumpta digitorum ablutione.

« In fine Missae Episcopus celebrans dabit benedictionem, more episcopali dicens: *Sit nomen Domini benedictum* etc., sed non utitur in ea baculo, nec mitra, nec Cruce, si sit Archiepiscopus. Cetera omnia Episcopus celebrans servat, prout alii Sacerdotes observare consueverunt, nempe iuxta Rubricas Missalis » (Caer. Episc. L. I, cap. XXIX, n. 11).

Expleta lectione Evangelii in fine Missae, Praelatus genuflexus vel in media ora suppedanei vel in infimo gradu (D. 3637 ad 8) recitat preces a Summis Pontificibus praescriptas, quae omittuntur si Missa cum aliqua solemnitate celebrata fuerit (D. 4305), de Altari descendit et, ante eius infimum gradum, paramenta deponit atque mozzettam, vel cappam, et Crucem reassumit, deinde ad Faldistorium, vel ad genuflexorium accedit, ibique genuflexus legit ex Canone Pontificali preces in gratiarum actione post Missam alternatim cum suis Assistentibus; quibus absolutis, breviter orat ac postea, more solito, ab Ecclesia recedit.

Si Missae aliquis Praelatus, vel magnus Princeps assistat, tunc Celebrans, dicto: *Agnus Dei* etc., deosculatur pacis instrumentum dicens: *Pax tecum*.

ARTICULUS III.

De duobus Assistentibus in Missa privata S. R. E. Cardinalis vel Episcopi Ordinarii in Ecclesia cathedrali celebranda.

1077. — **Canonici omnes** vel **duo** tantum pro Missae assistentia designati, vel **duo Clerici ex dignioribus** Ecclesiae (v. n. 133, 3, b) ad nutum Caeremoniarii procedunt ad associandum Praelatum et se gerunt, pro re, ut in Capite secundo Partis secundae.

I. - DE IIS QUAE DUOS MISSAE ASSISTENTES RESPICIUNT. — **Canonici** pro Missae assistentia designati, induere se debent rocchetto cum superpelliceo (D. 3804, ad 1).

Quum Praelato aliquam rem porrigunt, deosculari debent prius rem postea manum eiusdem Praelati; si autem aliquam rem ab ipso accipiunt, tunc prius manum, seu anulum, deinde rem acceptam deosculari debent; in Missa de Requie, praedicta oscula omittuntur.

Quum ad Altare, in quo Missa celebranda est, pervenerint, **Assistentes** ad Praelati latera sistunt, Cruci reverentiam peragunt et genuflexi breviter orant, dein surgunt, folia Canonis Pontificalis vertunt, cum opus sit, Praelato respondent, scilicet cum eo alternatim recitant Psalmos et Versiculos in Missae praeparatione, ac postea cum eodem Praelato se conferunt ante infimum Altaris gradum.

Assumptis a Praelato paramentis, **Assistentes**, genuflexi (l. c.) ad eiusdem latera cum eo Confessionem faciunt.

Cum Celebrans ad Altare ascendit, simul et **Assistentes** ascendunt, elevantes aliquantulum anteriores vestium eius fimbrias ab utraque parte, deinde Praelato assistunt **alter** ad dexteram et **alter** ad sinistram. Non recitant cum eo Angelicum Hymnum, nec Symbolum, nec: *Sanctus* etc., nec: *Agnus Dei* etc.

Ad benedictionem non genuflectunt (l. c.).

Assistentes, completo ultimo Evangelio, simul cum Praelato descendunt et paramentis eum exuunt; deinde ei, ad preces in gratiarum actione, ut ad Missae praeparationem, assistunt. Quibus absolutis, genuflectunt, breviter orant; ad nutum Caeremoniarii, surgunt, Cruci reverentiam peragunt, se, pro re, gerunt ut in secundo Capite Partis secundae.

II. - DE PRIMO ASSISTENTE. — Dimissa a Praelato mozzetta, Assistens ei tradit biretum; ad lotionem manuum, mantile ministrat, dein Praelati biretum recipit, quod Caeremoniario tradit, ac postea

ab eodem Caeremoniario paramenta accipit et, altero Assistente adiuvente, Praelatum induit, eodem ordine quo Sacerdos celebraturus ea induit, sed Crucem pectoralem ei imponit ante stolam; manipulus vero ei non imponitur, dummodo non sit Missa de Requie, quo in casu illi imponitur ante Crucem pectoralem. Assistens amictum, Crucem pectoralem, stolam, non in medio, seu ad Crucem, sed a latere deosculari debet.

Assistens folia Missalis vertit et legenda indicat ad Introitum, Orationes etc., usque ad Graduale, vel Tractum, vel Sequentiam, vel Versum: *Alleluia* inclusive.

Lecto a Celebrante Offertorio, Assistens Corporale in medio explicat, bursam versus Evangelii cornu collocat et Calicem detegit; Patenam Praelato porrigit; Calicem extergit et antequam aquae guttulas in Calicem immittat dicit: *Benedicite, Pater Reverendissime*; dein ei Calicem porrigit, postea Calicem palla et patenam purificatorio cooperit. In Missa de Requie benedictionem non petit. Ad manuum lotionem Praelato mantile porrigit; ad verba: *Qui pridie* etc., in ora suppedanei genuflectit, posteriorem partem planetae, ad elevationem, mediocriter inclinatus, attollit, Calicem detegit et cooperit cum opus fuerit, et semper cum Celebrante genuflectit. Responso: *Sed libera nos a malo*, Celebranti Patenam porrigit. Post pretiosissimi Sanguinis sumptionem, Praelato ministrat purificationem et abluionem; ad lotionem manuum mantile porrigit, dein Antiphonam « *Communio* » dictam et Orationes indicat.

Si Communio distribuenda sit, Assistens, post sumptionem Sanguinis, Calicem cooperit; assumpta stola, Tabernaculum aperit, genuflectit, Pyxidem extrahit, super Corporale collocat, Tabernaculum claudit, ac postea stolam deponit.

Dum Praelatus dicit: *Misereatur* etc., *Indulgentiam*, etc., Assistens in superiori gradu genuflectit; quibus prolatis verbis, surgit, Patenam sumit, ad Praelati dexteram se confert et eum comitatur in distributione Communionis supponens Patenam mento communicantium. Communionem completa, ascendit Altare cum Praelato, deponit Patenam super Corporale, stolam sumit, Pyxidem accipit et in Tabernaculum reponit; deinde stolam deponit.

III. - DE SECUNDO ASSISTENTE. — Dum Celebrans dicit: *Indulgentiam*, etc., dummodo Missa de Requie non sit, Assistens surgit, a Caeremoniario manipulum quod deosculari accipit, dein porrigit illum osculandum Praelato, ubi Crux adest, mox sinistro brachio eiusdem imponit cum osculo manus, iterumque in suo loco genuflectit.

Evangelii initium indicat et, completa lectione, Missale utraque manu elevat ut Praelatus commode textum deosculari possit. Dicto a Celebrante: *Dominus vobiscum*, Offertorium indicat, deinceps folia tum Missalis, tum Canonis vertit atque Secretas indicat.

Ad verba: *Qui pridie* etc., in ora suppedanei genuflectit et mediocriter inclinatus, partem posteriorem planetae ad elevationem attollit.

Sumpta a Praelato digitorum ablutione, Assistens Calicem abstergit ac tegit.

Indicat vel in Canone, vel in Missali, pro re, textum ultimi Evangelii.

Si Communio distribuenda sit, dum Praelatus dicit: *Misereatur* etc., *Indulgentiam*, etc., Assistens genuflectit in superiori gradu; quibus prolatis verbis, surgit, ad eiusdem Praelati sinistram se confert ac illum comitatur in Communionis distributione.

ARTICULUS IV.

De Caeremoniario deque Ministris inferioribus in Missa privata S. R. E. Cardinalis vel Episcopi Ordinarii celebranda in Ecclesia cathedrali.

1078. — I. - DE CAEREMONIARIO. — Statuta hora, Caeremoniarus signum ad Praelatum associandum dat.

Post aspersionem aquae benedictae omnes procedunt ad Altare SS. Sacramenti, sequenti ordine:

1. Familiares Praelati;
2. Clerici;
3. Canonici;
4. Praelatus.

Si Praelatus uti Cruce potest, tunc sequenti ordine procedunt:

1. Familiares Praelati;
2. Crucifer;
3. Praelatus;
4. Canonici;
5. Clerici.

Adorato SS. Sacramento, omnes procedunt ad Altare, in quo Missa celebranda est.

Completa Missae praeparatione, Caeremoniarus invitat Praelatum ante infimum Altaris gradum, ei Crucem pectoralem aufert,

quam in lance deponit, item mozzettam tollit et super Faldistorium, seu genuflexorium, expansam ponit, ita ut eius caputium versus Altare sit, eiusque orae circumcirca defluant; a priori Assistente accipit Praelati biretum, quod pariter super Faldistorium, seu genuflexorium, collocat, ac postea Altare conscendit et primo Assistenti paramenta porrigit.

Dum Celebrans dicit: *Misereatur* etc., dummodo Missa de Requie non sit, sumit ex Altari manipulum eumque secundo Assistenti tradit.

Post verba: *Et incarnatus est* etc., si Symbolum dicendum, vel immediate post Evangelium, si Symbolum omittendum, sumit ex abaco Calicem et super Altaris mensam, in cornu Epistolae, collocat.

Postquam secundus Assistens Calicem absterserit et composuerit, illum ad abacum defert.

II. - DE MINISTRIS INFERIORIBUS. — **Ministri inferiores**, ad Caeremoniarum nutum procedunt ad associandum Praelatum; **Acolythus** sumit vasculum aquae benedictae cum aspensorio et se confert ad Ecclesiae ianuam, ibique ad eius sinistram consistit.

Quum **Ministri inferiores** ad Altare, in quo celebranda est Missa, pervenerint, hinc inde, post Praelatum, vel ad Altaris latera, iuxta opportunitatem, disponuntur.

Minister candelae sumit ex abaco palmatoriam, se ad sinistram Praelati confert; completa Missae praeparatione, palmatoriam super Altaris mensam deponit, ad sinistram Missalis; **Minister libri** sumit Canonem Pontificalem illumque apertum ad: *Aufer a nobis* collocat in medio Altaris. Interim **Acolythus** sumit ex abaco lancem et se recipit ad dexteram primi Assistantis; reassumpta a Praelato Cruce pectorali, lancem ad abacum defert.

Si vero ad Epistolam, vel Graduale vel Tractum, vel Sequentiam, vel Versum: *Alleluia*, vel Evangelium genuflectendum est, **Acolythus** cum opus sit, sumit pulvinum, ad Altare se confert; item se gerit ad Evangelium in fine Missae.

Lecto Offertorio, defert ad Altare urceolos vini et aquae, in pellicula.

Ad: *Sanctus* etc., et ad elevationem, campanulam pulsat.

Dum Praelatus pretiosissimum Sanguinem sumit, iterum ad Altare defert urceolos vini et aquae. Absoluto Evangelio, in fine Missae, sumit ex abaco lancem et se recipit ad dexteram primi Assistantis; reassumpta a Praelato Cruce pectorali, lancem super abacum deponit.

Ministri libri et candelae, dum Praelatus se confert ad medium Altare pro: *Munda cor meum* etc., transferunt Missale et palmatoriam in cornu Evangelii.

Dicto: *Veni, sanctificator* etc., **Minister libri** collocat Canonem Pontificalem in latere Epistolae pro Psalmo 25: *Lavabo* etc. Absolutis vero Secretis, Missale clausum tollit de legili et in cornu Evangelii deponit; loco Missalis collocat Canonem apertum ad Praefationem.

Assumpta a Praelato digitorum ablutione, **Minister libri** tollit e legili Canonem, quem apertum ad benedictionem statuit in medio Altaris; iterum super legile collocat Missale apertum ad Antiphonam «*Communio*» dictam et illud transfert ad cornu Epistolae, dum **Minister candelae** palmatoriam transfert.

Completa Oratione «*Postcommunio*» dicta, **Minister candelae** transfert palmatoriam ad cornu Evangelii; **Minister libri**, benedictione impertita, Canonem collocat in Evangelii cornu, si Evangelium S. Ioannis legendum est, alias, dum Minister candelae transfert palmatoriam ipse Missale transfert.

Reassumpta a Praelato Cruce pectorali, **Minister libri** collocat super Faldistorium, seu genuflexorium, Canonem apertum ad preces in gratiarum actione post Missam dicendae, et **Minister candelae** se confert ad Praelati sinistram.

Acolythus dum Praelatus legit Secretas, ante Praefationem, sumit ex abaco lancem et se confert ad primum Assistentem; accepto pileolo in lance, defert illum ad abacum. Sumpto a Praelato pretiosissimo Sanguine, pileolum, in lance, defert ad primum Assistentem.

Crucifer, si adsit, ad benedictionem non defert Crucem (Caer. Episc. L. I, cap. XXIX, n. 11).

Si Familiares Praelati desint, tunc manuum lotioni ministrant **duo Clerici**, qui se gerunt ut infra dicemus de Praelati Familiaribus.

1079. — DE PRAELATI FAMILIARIBUS. — Quum Praelatus, completa Missae praeparatione, accedit ante infimum Altaris gradum Familiares ex abaco sumunt urceum cum pelvi ac manutergium, in lance, et ad Praelatum accedunt pro manuum lotionem; item ad eum accedunt ad: *Veni, sanctificator* etc., necnon sumpta ab eodem Praelato, digitorum ablutione.

CAPUT XVII.

DE MISSA PRIVATA A S. R. E. CARDINALI VEL
AB EPISCOPO ORDINARIO CELEBRANDA
IN ECCLESIIS IN QUIBUS CAPITULUM NON ADEST

1080. — Omnia parantur et Functio peragitur ut in praecedenti Capite. Ius porrigendi aspersionum Praelato pertinet ad Rectorem, seu Digniore illius Ecclesiae, etiamsi intersit Capitulum Cathedrale (DD. 247 ad 2; 584 ad 2; 1376; 1506; 1614; 1646 ad 2, quod Decretum pro opportunitate servandum est; 1803 ad 1 et 2; 2608; 2995).

1081. — In defectu Sacerdotum, **duo Clerici**, saltem tonsurati, Praelato celebranti assistere possunt et omnia quae de Sacerdotibus supra descripta explere, iis tamen quae sequuntur exceptis:

Primus Clericus assistens, Calicem ante Offertorium non abstergit et in illum vinum et aquam non infundit; infra actionem numquam tangit Calicem, nec pallam ab eo removet aut supra eum reponit.

Secundus Clericus assistens, post ablutionem Calicem non abstergit, sed tantummodo illum, more solito, componit et velo cooperatum cum bursa ad abacum defert (D. 4181 ad 2, 3 et 4).

1082. — Si Caeremoniarius, vel Clericus saltem tonsuratus, absit, tunc **primus Assistens**, completa Evangelii lectione, accedit ad abacum ex quo sumit Calicem quem ad Altare defert et in cornu Epistolae collocat; lecto Offertorio, explicat corporale, et bursam versus Evangelii cornu ponit.

Assistens secundus, postquam Calicem composuerit illum ad abacum defert.

CAPUT XVIII.

DE MISSA PRIVATA CELEBRANDA A S. R. E. CARDINALI
VEL AB EPISCOPO ORDINARIO CORAM ALIIS
PRAELATIS MAIORIBUS AUT MAGNIS PRINCIPIBUS

1083. — Omnia parantur ut in Art. I Capitis XVI notavimus, sed super abacum ponitur etiam Instrumentum Pacis et Missale. In cornu Evangelii, vel alio opportuno loco, statuitur genuflexorium cum strato et pulvinis viridis, vel violacei vel rubri coloris, pro re.

1084. — **Celebrans** se gerit more solito, sed, expleta prima Oratione ante Communionem, osculatur Altare in medio, dein Instrumentum sibi a **primo Assistente** porrectum, dicens: *Pax tecum*, ac postea, nulla interposita mora, prosequitur Orationes.

1085. — **Primus Assistens** postquam Celebrans dixerit: *Agnus Dei* etc., Pacis Instrumentum cum velo appenso a dextero latere Celebranti osculandum offert cui Celebrans dicit: *Pax tecum* et ille respondet: *Et cum spiritu tuo*; deinde de Altari descendit et Instrumentum cum pace portat osculandum Praelato uni, vel pluribus, aut Principibus praesentibus dicens unicuique: *Pax tecum*, qui respondent: *Et cum spiritu tuo*, et illis inclinationem facit tantum post illud osculatum.

1086. — Si forte Praelatus Missae Assistens cardinalitia dignitate praefulgeat, vel sit Legatus Sedis Apostolicae in locis suae Legationis, Patriarcha in suo Patriarchatu, Archiepiscopus in sua Provincia, et Episcopus in sua Dioecesi, aut Princeps sit maximus cui Evangelii liber ad osculandum foret porrigendus, non erit liber, quo utitur Celebrans, sed alius (Caer. Episc., L. I, cap. XXIX, n. 9).

CAPUT XIX.

DE MISSA PRIVATA A S. R. E. CARDINALI
VEL AB EPISCOPO ORDINARIO CELEBRANDA CORAM
SS. SACRAMENTO EXPOSITO

ARTICULUS I.

De iis quae praeparanda sunt.

1087. — Omnia ut in Articulo I Capitis XVI, sed:

IN ALTARI quoad numerum cereorum qui iugiter ardere debent, servabitur Ordinarii mandatum aut Synodales praescriptiones.

SUPER ALTARIS MENSAM non collocantur Praelati paramenta.
SUPER ABACUM adiungenda sunt Praelati paramenta.

AD ALTARE IN QUO SS. SACRAMENTUM OCCLUSUM EST IN TABERNACULO, non paratur genuflexorium, vel Faldistorium.

ARTICULUS II.

De Praelato celebrante.

1088. — Praelatus se gerit ut in Art. II Capitis XV, sed, aspersione completa ad Ecclesiae ianuam, procedit ad Altare maius. Ubi in conspectum SS. Sacramenti advenerit, caput detegit, sibi que aufert pileolum et abstineat a benedicendo adstantes. In Presbyterio plano utrumque flectit genu, cum mediocri corporis inclinatione (D. 4179 ad 1).

1089. — Praelatus, precibus in Missae praeparatione absolutis, surgit, unicum flectit genu et, medius inter Assistentes, accedit ad abacum, ubi per suam sinistram conversus ad populum, ne terga SS. Sacramento vertat, dimittit Crucem pectoralem, mozzettam, vel cappam; detecto capite, manus lavat, dein paramenta assumit, ac postea ad nutum Caeremoniarum se confert ante infimum Altaris gradum, super quo genuflectit unico genu (D. 2682 ad 47). Missam inchoat ut alias. Facta vero Confessione etc., sine genuflexione suppedaneum ascendit, et, priusquam incipiat: *Oramus te, Domine*, etc., genuflectit; Altari deosculato, iterum genuflectit, atque pergat ad legendum Introitum; quo lecto, rediens ad medium, antequam *Kyrie* incipiat, genuflectit.

1090. — Cum versus populum pronunciare debet: *Pax vobis*, vel: *Dominus vobiscum*, si est in medio Altaris, prius osculatur Altare, dehinc genuflectit, ac postea vertit se ad populum; contra, si venit ad medium Altaris, prius genuflectit, dehinc osculatur Altare, ac postea vertit se ad populum. Se porro ad populum convertit extra Altaris medium, nimirum abducendo se aliquantulum ad cornu Evangelii, faciemque vertendo ad cornu Epistolae; pronunciato autem: *Pax vobis*, vel: *Dominus vobiscum*, per eandem viam se obvertit ad medium Altaris, cum genuflexione, tam si ibidem sistat, quam si ad Missale accedere debeat.

Si Orationi praemittendum esset: *Flectamus genua*, tunc genuflectit, more solito, facie ad librum versa (D. 2859).

1091. — Dum Praelatus legit Epistolam, Graduale, Evangelium vel quid aliud, quaedam si ipsi verba occurrant in quibus genuflectendum sit, versus SS. Sacramentum genuflectere debet. Genuflectit ante et post: *Munda cor meum* etc.

1092. — Ante: *Credo* genuflectit; quo recitato, osculatur Altare, genuflectit iterum, et conversus ad populum, uti n. **1090** explicuimus, profert: *Dominus vobiscum*; tum vertit se ad Altare cum genuflexione, et dicit: *Oremus*.

Dicto: *Veni, sanctificator* etc., benedictisque Oblatis, flectit genu, et accedens ad cornu Epistolae, descendit in secundum gradum lateralem, vel in planum, iuxta consuetudinem (D. 2682 ad 48), ubi per suam sinistram ad populum conversus, ne terga vertat SS. Sacramento, lavat et abstergit manus, legens ex Canone Pontificali Psalmum 25: *Lavabo* etc.; quo absoluto, ascendit suppedaneum, ad medium Altaris pergit ac genuflectit.

Post Orationem: *Suscipe, sancta Trinitas*, etc., osculatur Altare, genuflectit, ac tantisper deflectens ad cornu Evangelii, faciemque vertendo ad cornu Epistolae dicit: *Orate, fratres*, etc., et non perficit circulum, sed per eandem viam rediens ad medium Altaris, genuflectit. Benedictione impertita, non perficit circulum, sed ibidem volvens se ad Altare, continuo subdit: *Dominus vobiscum*, ac legit Evangelium, non signans Altare, si SS. Sacramentum super mensam consistit; ad: *Et Verbum caro factum est*, flectit genu aliquantulum versus SS. Sacramentum (D. 3875 ad 4).

1093. — Expleto Evangelio, accedens ad medium Altaris genuflectit, gradus descendit, iterum genuflectit, super infimum gradum, unico genu; postea se confert ad abacum, ubi paramenta dimittit, reassumit cappam, vel mozzettam, et Crucem pectoralem ac postea accedit ad Faldistorium; facta genuflexione in plano, unico genu, in Faldistorio genuflectit ubi se, more solito, gerit. Precibus absolutis, surgit, genuflectit in plano, utroque genu (D. 4179 ad 1), e Presbyterio discedit; extra conspectum SS. Sacramenti sibi imponit pileolum et biretum, si Cruce non utatur.

Assistentes Praelato ac ceteri Ministri se gerunt ut respective diximus in Art. III et IV Capitis XVI, cum exceptionibus notatis sub n. **1070**, I, II et III.

CAPUT XX.

DE MISSA PONTIFICALI DE REQUIE AD THRONUM

ARTICULUS I.

De iis quae praeparanda sunt.

1094. — I. - IN SACRISTIA CAPITULARI. — Disponuntur paramenta pro sacris Ministris, scilicet: pro Diacono: dalmatica, stola, cingulum, alba, amictus; pro Subdiacono: tunicella, cingulum, alba, amictus.

Si Sacristia Altari maiori contigua capax non sit, tunc paramenta pro Canonicis parantur, ut sub n. VIII dicemus.

II. - IN SACRISTIA MAIORI. — Super aliquam mensam: tria pluvialia pro Ministris libri, candelae et mitrae; vimpa pro Ministro mitrae. Superpellicea et bireta pro Clero et Ministris inferioribus.

Congruo in loco erit vasculum aquae benedictae cum aspensorio; thuribulum cum navicula; funalia pro elevatione.

III. - AD ALTARE MAIUS. — Altare nullo festivo ornatu paratur, et super illud ponuntur sex candelabra, numquam argentea, vel deaurata, cum candelis ex cera communi, et in medio eorum praealta Crux, absque floribus, Reliquiis, vel Sanctorum Imaginibus (Caer. Episc. L. II, cap. XI, n. 1). Etiamsi Missa pontificalis celebranda sit ab Episcopo Ordinario septimum candelabrum non apponitur (D. 235 ad 8).

Altare pallio nigri coloris instruitur, eiusque gradus et totum Presbyterium nuda sint, excepto suppedaneo, quod aliquo tapete tegi potest; unum tapetum etiam poni potest sub Faldistorio.

Super Altaris mensam disponuntur Episcopi paramenta nigri coloris, quae velo eiusdem coloris cooperiuntur, scilicet: manipulus, planeta, dalmatica, tunicella, stola, cingulum, alba et amictus; in cornu Evangelii collocatur mitra simplex.

IV. - SUPER ABACUM. — Calix, ex argento simplici, non deaurato, et sic omnia vasa erunt, pro Missae celebratione cum suis ornamentis, scilicet: purificatorio, patena, palla, velo, bursa cum corporali;

super patena ponuntur duae hostiae; ampullae vini et aquae, urceus cum pelvi et duo manutergia in lance; gremiale, Missale cum legile, Epistolarium, Evangeliarium, Canon Pontificalis, palmatoria cum candela, lanx pro Cruce pectorali; duo manipuli pro Ministris sacris, patera pro praegustatione; campanula.

Si Absolutio impertienda est, collocanda sunt duo candelabra cum candelis e cera communi pro Ceroferariis; liber continens Ritum Absolutionis; vasculum aquae benedictae cum aspersorio; pluviale cum formali simplici in lance.

V. - IN CORNU EVANGELII. — Thronus (v. n. 398) exornatur panno violaceo non autem serico (Caer. Episc. L. II, cap. XII, n. 1); illius gradus conteguntur tapeto et in plano eius collocantur tria scabella; super infimum gradum ad sinistram Cathedrae basis pro Cruce, si Episcopus uti ea potest.

Apud infimum gradum eiusdem Throni statuuntur scabella pro Caeremoniario primo et pro Ministro mitrae.

VI. - IN CORNU EPISTOLAE. — Duo scabella pro sacris Ministris.

VII. - ANTE ALTARE. — Faldistorium cum pulvinis violacei coloris.

VIII. - IN SACRISTIA ALTARI MAIORI CONTIGUA. — Super praecipuam mensam praeparantur: pluviale pro Presbytero Assistente; dalmaticae pro Diaconis Assistentibus; tres amictus. Si possibile est, paramenta haec collocentur super abacum a tergo eiusdem Altaris maioris.

Si Sacristia capax erit, alias in Sacristia capitulari, disponuntur paramenta pro Canonicis, scilicet, si praebendae distinctae sunt: pluvialia pro Dignitatibus; planetae pro Canonicis Presbyteris; dalmaticae pro Diaconis; tunicellae pro Subdiaconis. Si praebendae distinctae non sunt: pluvialia pro Dignitatibus; planetae pro ceteris Canonicis; pro omnibus: amictus.

IX. - AD ALTARE SS. SACRAMENTI. — Paratur genuflexorium cum strato et pulvinis violacei coloris. Sex cerei super Altare accenduntur.

Si candelarum distributio in Choro facienda sit intra Missam pontificalem, candelae sint albi coloris, ponderis proportionalis, quod relationem habeat cum iis quibus distribuuntur. Si Absolutio impertienda est, praeparatur intorticium pro Episcopo.

ARTICULUS II.

De Episcopo ad Missam pontificalem de Requite ad Thronum.

1095. — Episcopus in accessu ad Ecclesiam se gerit more solito (v. n. 519 et seqq.); adoratione ad Altare SS. Sacramenti peracta, procedit ad Altare maius, non vero ad Secretarium (Caer. Episc. L. II, cap. XI), ubi Cruci reverentiam peragit, breviter orat in Faldistorio ac postea ad Thronum accedit, sedet, tecto capite «... non dicet Antiphonam: *Ne reminiscaris*, nec leget Psalmos *Quam dilecta* etc., nec Orationes quae in aliis Missis dicendae sunt, antequam induatur » (l. c. n. 2). Hic intelligendum est de publica solempni recitatione, ut in aliis Missis dum Hora Tertia canitur, privatim itaque Episcopus «ne omittat ad Eucharistici Sacrificii oblationem sese piis precibus disponere » (C. I. C. 810). Episcopus vero legere potest, nisi memoria illas teneat, Orationes ad paramenta, omittens Orationes ad caligas et ad chirothecas.

1096. — Precibus paramentorum lectis, vel cum Canonici reversi fuerunt ad sua sedilia, Episcopus ad nutum Caeremoniarii, Crucem et cappam dimittit, manus lavat atque paramenta assumit. Quamvis in Missa de Requite manipulus assumendus est ante stolam, tamen, ob impedimentum tunicellae et dalmaticae manicarum, assumi potest post dalmaticam; haec est etiam Urbis praxis.

1097. — Ad nutum Caeremoniarii primi, accedit Episcopus ad Altare non benedicens, sed iunctis manibus; hoc servandum est quoties de Throno ad Altare accedat et de Altari ad Thronum revertatur. Quum ante infimum Altaris gradum pervenerit, mitram dimittit, dein, profunda Cruci reverentia facta, Missam incipit. Ascendens ad Altare illud tantum osculatur, non vero textum Evangelii; accepta mitra, ad Thronum revertitur, sedet, mitram deponit, dein surgit et versus Altare incipit Introitum, faciens Crucis signum versus Missale dum dicit: *Requiem aeternam* etc.; cum Assistentibus recitat: *Kyrie* etc., quibus absolutis, sedet ut alias, mitram et gremiale accipit. Quum a Choro ultimum *Kyrie* decantatur, gremiale ac mitram dimittit, surgit et, cantu absoluto, canit: *Domine vobiscum*, deinde Orationem tono feriali. Ad litteram *N.* quae in aliquibus Orationibus posita est, nomen Defuncti exprimitur, scilicet nomen Baptismale, si saecularis; nomen Religionis, si religiosus. Dignitas et Titulus addi nequit; excipitur tamen dignitas Summi Pontificis, Cardinalis, Episcopi et Sacerdotis quae exprimi

debet. Si Missa celebréetur pro uno et una defunctis, dicatur in Oratione *famuli et famulae* quando non exprimuntur nomina, secus dicatur *famulorum tuorum* (D. 4074 ad 7).

Oratione vel Orationibus completis, Episcopus sedet, mitram et gremiale accipit. Decantata Epistola, non praebet manum Subdiacono deosculandam, sed statim legit Graduale, Tractum, Sequentiam; cum vero dicit: *Munda cor meum* etc., iungit manus; non dicit: *Iube, Domine*, etc., neque: *Dominus sit* etc.; dicto: *Dominus vobiscum*, signat textum Evangelii ac seipsum in fronte, ore et pectore, ut alias. Lectione absoluta, manum Diacono deosculandam non porrigit. Dum a Choro canitur Versus Sequentiae: *Recordare Iesu pie*, ad verbum: *Iesu*, caput inclinatur cum mitra; similiter dum canitur Versus: *Pie Iesu Domine*, pariter ad verbum: *Iesu*, caput inclinatur cum mitra. Ante Evangelii cantum, Diaconum non benedicit, sed, decantata a Choro Sequentia, ad nutum Caeremoniarum, mitram dimittit, surgit et versus Diaconum Evangelium canentem consistit, iunctis manibus.

Evangelii cantu absoluto, librum non deosculatur, sed statim canit: *Dominus vobiscum*, *Oremus*, et legit Offertorium; quo lecto, sedet, mitram accipit, manus lavat; quibus abstersis, surgit et ad Altare procedit.

Quum ante infimum Altaris gradum pervenerit, mitram dimittit, Cruci reverentia peracta, ascendit ad Altare illudque in medio deosculatur et se ut in Missa solemni pontificali gerit, sed aquam non benedicit neque pacem dat.

Dicto: *Placeat* etc., Altare deosculatur, versus Evangelii cornu dicit: *Dominus vobiscum*, et signum Crucis super Altare faciens dicit: *Initium* etc.; accepta mitra, prosequens Evangelium, procedit ad Thronum ita ut ad verba: *Et Verbum* etc., genuflectere possit in pulvino collocato apud Cathedram; si dum haec verba profert adhuc procedit, non genuflectit.

1098. — Completa Evangelii recitatione, si Absolutio impertienda est, deponit mitram, planetam, manipulum, dalmaticam et tunicellam, dein assumit pluviale nec non mitram. Si vero Absolutio non fiat, tunc deponit etiam stolam, Crucem pectoralem, cingulum, albam, amictum; cappa et Cruce pectorali reassumptis, caput bireto tegit ac legit Antiphonam: *Trium puerorum* etc., Canticum: *Benedicite* etc. cum Psalmo 150: *Laudate Dominum* etc., alternatim cum suis Assistentibus, non omittens: *Gloria Patri* etc., post Psalmum, nec *Alleluia*, tempore paschali. Repetita Antiphona: *Trium puerorum* etc., caput detegit, surgit; iunctis manibus, versus Altare recitat: *Kyrie*

eleison etc., *Pater noster* etc., Versiculos et Orationes; quibus absolutis, de Throno descendit, ad Faldistorium procedit et se gerit ut sub n. 527 diximus.

1099. — Si sermo habendus erit in laudem Defuncti pro quo Missa celebrata fuerit, tunc Episcopus sedet cum pluviale et mitra.

Si ipse Episcopus sermonem dicat, tunc id faciet vel in propria Sede, vel in ambone, prout concionem audiendi causa commoditas exigit. Sermone completo, Absolutionem impertit.

ARTICULUS III.

De Presbytero Assistente

ad Missam pontificalem de Requie ad Thronum.

1100. — Presbyter Assistens (v. n. 538 et 539) cum ceteris Canonicis ad associandum Episcopum procedit et in accessu ad Ecclesiam se gerit ut sub n. 522 et 524 tradidimus.

Quum ad Altare maius pervenerit, genuflectit in plano ad sinistram secundi Diaconi Assistentis, surgit cum Episcopo eumque ad Thronum sequitur et in suo scabello sedet, si Episcopus non legit Orationes ad paramenta; alias sistit ante scabellum.

Cappa ab Episcopo dimissa, Presbyter Assistens, absque oculis et sic in toto Missae decursu (Caer. Episc. L. II, cap. XI, n. 5), educit ex digito eiusdem Episcopi anulum ac super lancem a Clerico sustentam deponit; deinde mantile accipit et extendit in gremio Episcopi, alterum mantile accipit illudque eidem porrigit ad absterendas manus. Depositis mantilibus in lance, de Throno descendit; cum Diaconis Assistentibus, debitis cum reverentiis, pergit ad amictum et pluviale assumendum.

Ad nutum Caeremoniarum secundi, una cum iisdem Diaconis, sed ultimo loco, accedit ad Thronum, debitis cum reverentiis Altari et Episcopo. Quum Missae Ministri, Episcopo parato, recedunt, ascendit Thronum, in Episcopi digitum inducit anulum, dein eum praecedit ad Altare et se gerit ut in Missa pontificali solemni (v. n. 886), sed, dicto ab Episcopo: *Oremus*, Altare non ascendit. Quum Episcopus ad Thronum, deosculato Altari, pergit, eum, more solito, praecedit et ante scabellum suum consistit; ad: *Kyrie eleison* etc. cum Diaconis Assistentibus respondet. Sedente Episcopo, et ipse sedet, tecto capite.

Quum cantatur ultimum *Kyrie*, ad nutum Caeremoniarum primi, surgit et ad Orationem Missale super caput, more solito, sustinet;

qua absoluta, Ministro librum tradit, Episcopo reverentiam pergit, sedet ac caput tegit. Decantata a Subdiacono Epistola, surgit, consistit dum Episcopus legit Epistolam ac reliqua, eique respondet, se signat ad initium lectionis Evangelii; quo lecto, sedet et caput tegit.

Dum canitur Versus Sequentiae: *Recordare, Iesu pie*, ad verbum: *Iesu*, caput detegit; similiter dum canitur Versus: *Pie Iesu Domine*, caput detegit ad: *Iesu*.

Ad Evangelii cantum stat versus Diaconum; quo absoluto, ante Episcopum se confert et se gerit ut ad Orationem, sed postquam Episcopus cantaverit: *Oremus*, Missale Ministro tradit ac se gerit ut in Missa solemniori pontificali (v. n. 892 et seqq.), sed non incensatur. Recitato: *Agnus Dei* etc., ad Missale manet quia pax non datur. Decantata ab Episcopo Oratione quae «*Postcommunio*» dicitur, Presbyter Assistens persistit in cornu Epistolae et quum Episcopus ad Thronum pergit, illum praecedit.

1101. — Completa Evangelii S. Ioannis recitatione, si Absolutio impertienda est, tunc manet ad Thronum; si vero impertienda non est, Presbyter Assistens reverentiam Episcopo pergit et cum Diaconis Assistentibus discedit ad paramenta deponenda.

Habitu choralis reassumpto, ad Chorum revertitur et se aliis Canonicis conformat.

1102. — Si sermo habendus est in laudem Defuncti, et ipse Episcopus illum faciat in Sede sua, tunc Presbyter Assistens sedet ad sinistram Cathedrae, apud secundum Diaconum Assistentem, ut Episcopus respicere populum commode possit; si vero Episcopus sermonem in ambone dicat, tunc et ipse ad ambonem pergit ac sedet, congruo in loco, ad sinistram primi Diaconi Assistentis.

ARTICULUS IV.

De Diaconis Assistentibus ad Missam pontificalem de Requie ad Thronum.

1103. — **Diaconi Assistentes** (v. n. 540 et seqq.) cum ceteris Canonicis ad associandum Episcopum, more solito, procedunt (v. n. 519 et seqq.).

Quum Episcopus ad Altare maius pervenerit, genuflectunt ad latera Faldistorii et super illud cappam extendunt; **Diaconus primus** accipit a Caeremoniario ipsius Episcopi biretum. Surgente Episcopo, et **ipsi** surgunt, eum ad Thronum comitantur; **primus** Episcopo

sedenti biretum porrigit; **ambo** sedent, tecto capite, si Episcopus non legit Orationes ad paramenta, alias consistunt.

Annulo ab Episcopo dimisso, **Diaconus primus** ei biretum porrigit quod, lotis manibus, recipit et Caeremoniario tradit, deinde **ambo** de Throno descendunt, facta prius Episcopo reverentia, et cum Presbytero Assistente pergunt ad paramenta sumenda. Ad nutum Caeremoniarii secundi, **unus** post **alium** ad Altare procedunt (v. n. 581), ad Thronum accedunt; cum Missae Ministri, Episcopo parato, recedunt, Thronum ascendunt et se gerunt ut in Missa solemniori pontificali, sed postquam Episcopus, deosculato Altari, mitram per Diaconum Missae acceperit, ad latera eiusdem Episcopi ascendunt et se gerunt more solito (v. n. 902 et seqq.), mutatis et omissis quae in Missis de Requie alias mutanda et omittenda.

Dum a Choro canitur Sequentiae Versus: *Recordare, Iesu pie*, ad verbum: *Iesu*, caput detegunt et inclinant; pariter dum canitur Versus: *Pie Iesu Domine*, ad verbum: *Iesu*, iterum caput detegunt et inclinant. Quum Episcopus profert verba: *Qui pridie* etc., genuflectunt, et genuflexi manent, more solito, donec ipse Episcopus surgat post Calicis elevationem.

1104. — Si Absolutio impertienda est, tunc, si planum solii amplum sit, **Diaconi Assistentes** recedunt aliquantulum et loca Ministris Missae cedunt, alias de Throno descendunt et ante infimum eius gradum sistunt donec Episcopus Missae paramenta dimiserit et pluviale nec non mitram acceperit, ac postea ad eius latera accedunt; si vero Absolutio impertienda non est, completo Evangelio S. Ioannis, statim Missae Ministris locum cedunt. Episcopo reverentia peracta, cum Presbytero Assistente discedunt ad paramenta deponenda; habitu canonicali reassumpto, se gerunt ut diximus sub n. 909.

1105. — Si sermo in laudem Defuncti habendus est et ab ipso Episcopo in Sede dicatur, tunc, mitra ab Episcopo accepta, suis in locis sedent; si vero Episcopus ad ambonem accedat eum comitantur et in scabellis ad eiusdem Episcopi latera sedent.

ARTICULUS V.

De Diacono et Subdiacono ad Missam pontificalem de Requie ad Thronum.

1106. — **Diaconus** (v. n. 545 et 547) et **Subdiaconus** (v. n. 546 et 547) dum Canonici pergunt ad associandum Episcopum, paramenta, absque manipulis, assumunt (v. n. 910 et 924); ante

eiusdem Episcopi adventum accedunt **unus** post **alium** ad Altare et super scamnum suum sedent. Quum Episcopus ad Faldistorium venerit, surgunt eique se profunde inclinant.

Ad nutum Caeremoniarii secundi, scilicet dum Episcopus manus lavat, ad Thronum procedunt et dum Diaconi Assistentes de eodem Throno descendunt, ad latera Episcopi accedunt. More solito, **Diaconus** (v. n. 911 et 912), adiuvante **Subdiacono** (v. n. 925 et 926), Episcopum induit, sed Ministri sacri chirothecas ei non imponunt et **Subdiaconus** manipulum ei imponit post dalmaticam.

Sacri Ministri in hac Missa, tum dantes tum aliquam rem accipientes ab Episcopo, neque eius manum, neque rem osculabuntur (Caer. Episc. L. I, cap. XVIII, n. 16; L. II, cap. XI, n. 5).

Episcopo parato, de Throno **ambo** descendunt et se more solito gerunt, sed **Subdiaconus** Missale non accipit. Confessione absoluta, **uterque** ascendit Altare ad Episcopi latera et postquam Episcopus illud deosculatus fuerit, **Diaconus** ei mitram imponit. Quum Episcopus ad Thronum procedit **ambo** ad scamnum pergunt et, more solito, se gerunt, sed **Subdiaconus** Epistolam non legit in ambone (Caer. Episc. L. II, cap. XI, n. 5).

Post Epistolae cantum, **Subdiaconus** non accedit ad Thronum, sed Caeremoniario tradit Epistolarium.

Dum cantatur Sequentiae Versus: *Recordare, Iesu pie*, ad verbum: *Iesu*, **uterque** caput detegit et inclinatur. Circa finem cantus Sequentiae, ad nutum Caeremoniarii, **ambo** surgunt, **Diaconus** librum accipit (v. n. 914) et ad Altare defert; collocato libro in medio Altaris reverentiam peragit et, in suppedaneo genuflexus, dicit: *Munda cor meum* etc., dein librum accipit, in planum descendit et ante infimum gradum consistit; quo tempore, **Subdiaconus** ante Altare accedit; dum a Choro canitur Versus: *Pie Iesu Domine*, ad verbum: *Iesu*, **ambo** reverentiam Cruci peragunt, deinde pergunt ad locum ubi Evangelium cantari solet, non vero ad ambonem (*l. c.*); incedit primo Caeremoniarius, tum **Diaconus** librum deferens, deinde **Subdiaconus**. Absoluto Evangelii cantu, **Subdiaconus** tradit librum Caeremoniario; **ambo** simul ad Altare revertuntur, eique reverentia peracta, ad scamnum pergunt.

Quum Episcopus, post Offertorii lectionem, lotis ac abstersis manibus, ad Altare procedit, **Ministri sacri** se more solito gerunt, sed **Subdiaconus**, absque velo humerali, defert Calicem cum velo et bursa; **Diaconus**, accepta bursa, corporale extrahit, deinde bursam ad Evangelii cornu collocat, et, ambabus manibus, in medio Altaris corporale explicat. **Subdiaconus** vero tradit velum Calicis Acolythro

et ante aquae infusionem non invitat ad benedictionem; patenam non accipit, descendit de Altari et dum Episcopus recitat Orationem: *Veni, sanctificator* etc., iterum ascendit in suppedaneum, consistens tantillum ad Altare conversus, fere ad sinistrum latus Episcopi; ad impositionem incensi assistit ut in initio Missae sollemnisi pontificali (v. n. 928).

Episcopo thurificato, iterum se confert ante infimum Altaris gradum ut prius. Dum Episcopus pronunciat: *Hanc igitur* etc., **Subdiaconus**, genuflexione peracta, ad cornu Epistolae accedit, ubi, in infimo Altaris gradu genuflexus, thuribulum fumicans a Thuriferario accipit; ter ad elevationem adolet Hostiam et Calicem, nimirum: dum Episcopus genuflectit, dum Hostiam et Calicem attollit, atque dum ea super corporale deponit, profunde se inclinans ante et post utramque incensationem; postea reddit thuribulum Thuriferario, ad medium Altaris, cum genuflexione in infimo gradu (D. 4027 ad 2 et 3), regreditur, ibique perstat donec Episcopus ablutionem digitorum sumpserit; tunc ad cornu Evangelii ascendit et se gerit more solito (v. n. 936).

Diaconus, recitato cum Episcopo: *Agnus Dei* etc., ad eius dexteram perstat eique inservit, scilicet Calicem detegit, vinum et aquam ministrat, imponit et aufert mitram ad manuum lotionem.

Decantato ab Episcopo: *Dominus vobiscum*, post Orationem dictam «*Postcommunio*», **Diaconus** ad Altare conversus canit: *Requiescant in pace*; incepto Evangelio S. Ioannis mitram Episcopo imponit, deinde **ambo** ad Thronum procedunt ut in aliis Missis pontificalibus, scilicet primo **Subdiaconus** tum **Diaconus**, ad sinistram Presbyteri Assistentis.

1107. — Completa Evangelii recitatione, **Ministri sacri**, si Absolutio impertienda est, depositis manipulis, accedunt ad Episcopi latera: **Subdiaconus** ei manipulum exuit, quem osculandum porrigit; **Diaconus** mitram aufert, deinde, **Subdiacono** adiuvante, exuit Episcopum planetam, dalmaticam et tunicellam, ac postea a Caeremoniario pluviale accipit, quod Episcopo imponit, tandem mitram imponit; deinde, debitis cum reverentiis, cum **Subdiacono** de Throno descendit.

1108. — Si vero Absolutio impertienda non sit, expleto Evangelio S. Ioannis, **Ministri sacri**, depositis manipulis, Episcopum exuunt (v. n. 923 et 937), dein, more solito, ad Sacristiam pergunt.

1109. — Si sermo habendus est in laudem Defuncti et Episcopus, sive in Sede, sive in ambone illum faciat, **Diaconus** et **Subdiaconus** postquam de Throno descenderint, pergunt ad scamnum ibique sedent.

ARTICULUS VI.

*De Canonicis deque Clero
ad Missam pontificalem de Requite ad Thronum.*

1110. — Canonici, habitu canonicali induti, more solito, ad associandum Episcopum procedunt (v. n. 519). Quum ad Altare maius pervenerint, facta brevi oratione, ad nutum Caeremoniarum secundi, pergunt ad Sacristiam, ubi paramenta assumunt, et se gerunt ut in Missa solemniter pontificalem ad Thronum, sed genuflectunt ad Orationes ante Epistolam, ad Orationem «*Postcommunio*» dictam, nec non a: *Sanctus* etc., usque ad: *Pax Domini* etc. Ad Sequentiam, dum a Choro canuntur *Versus Recordare, Iesu pie* et *Pie Iesu Domine*, omnes caput detegunt ad verbum *Iesu*.

1111. — Si distribuendae sint candelae, id, dum Sequentia canitur, efficitur, et quidem ita tempestive, ut omnes ad principium cantus Evangelii accensae sint. Canonici et alii candelas dextera tenent dum Evangelium cantatur; quo completo, extinguuntur et deponuntur; iterumque infra Praefationem accenduntur et ardebunt donec Episcopus pretiosissimum Sanguinem sumpserit.

ARTICULUS VII.

De Caeremoniarum ad Missam pontificalem de Requite ad Thronum.

1112. — I. - DE CAEREMONIARIO PRIMO. — Caeremoniarum primus se gerit more solito (v. n. 944). In Episcopi accessu ad Ecclesiam neque campanae neque organa pulsantur.

Episcopus non legit Psalmos et preces praeparationis Missae (Caer. Episc. L. II, cap. XI, n. 2), sed postquam Canonici paramenta sumpserint, Caeremoniarum Crucem pectoralem Episcopo sedenti aufert, etc., ut sub n. 945 diximus. Praemoneat Episcopum ut accedens ad Altare et ab eo revertens non benedicat.

« In Officiis Defunctorum, organa non pulsantur, in Missis autem, si musica adhibeatur, silent organa cum silet cantus » (Caer. Episc. L. I, cap. XXVIII, n. 13). Quod confirmatum est a Sacra Rituum Congregatione (DD. 2959 ad 1; 4156).

Sequentia a Cantoribus integre canenda est, etiamsi unicus sit Cantor; similiter et cetera omnia, quae preces suffragii re-

spiciunt, cani debent (DD. 2959 ad 2; 3051 ad 1; 3365 ad 7; 3624 Dub. XI).

Dum a Choro canitur *Versus Sequentiae: Recordare, Iesu pie*, ad verbum: *Iesu*, Episcopo caput inclinandi aliisque caput detegendi et inclinandi signum dat; pariter ad verbum: *Iesu*, dum canitur *Versus: Pie Iesu Domine*. Absoluto Sequentiae cantu, signum surgendi dat.

Si sermo in laudem Defuncti habendus est, non fiat nisi cum Episcopus, Missa de Requite absoluta, pluviale et mitram sumpserit.

Si ipse Episcopus sermonem dicat, et in Sede, dum ille planetam deponit Caeremoniarum innuit ut Caudatarius transferat scabellum Presbyteri Assistentis ad sinistram Cathedrae. Si Episcopus in ambone sermonem dicat, tunc ad ambonem proceditur sequenti ordine:

1. Crucifer, si Episcopus uti Cruce potest;
2. Presbyter Assistens solus;
3. Episcopus medius inter Diaconos Assistentes;
4. Caudatarius sustinens caudam;
5. Minister de mitra;
6. Ministri de libro atque de candela.

Si vero sermo habendus est ab aliquo Praelato, tunc Praelatus ipse accedit sermocinaturus habitu praelatio indutus. Si Orator sit Clericus saecularis, in veste talari nigra absque superpelliceo; si Clericus Regularis erit, in habitu suae Religionis (Caer. Episc. L. II, cap. XI, n. 10 et D. 2888 ad 1). Ante sermonem Orator non petit benedictionem ab Episcopo, neque recitat Salutationem Angelicam, sed signo Crucis se tantum munit.

II. - DE CAEREMONIARIO SECUNDO. — Caeremoniarum secundus se gerit ut sub n. 951 diximus, sed Ministros Missae invitat ad paramenta sumenda dum alii Canonici procedunt ad associandum Episcopum eosque ad Altare maius ducit ante Episcopi adventum. Campanae et organa non pulsantur in accessu Episcopi ad Ecclesiam. Quum Episcopus ad Thronum accedit, Caeremoniarum innuit Clerico ut ex abaco lancem accipiat pro Cruce pectorali et annulo; aliis duobus Clericis pariter innuit ut Faldistorium de medio Presbyterio tollant ac postea Clericis paramenta Episcopi distribuit et sacros Ministros ad Thronum more solito ducit (v. n. 951). Pariter, more solito se gerit ad cantum Epistolae, sed in ambone ea non decantatur (Caer. Episc. L. II, cap. XI, n. 5); cantu absoluto, accipit Epistolarium a Subdiacono, quem ad eius ducit scamnum.

Dum Sequentiae *Versus* canitur: *Recordare, Iesu pie*, ad verbum:

Iesu, signum Ministris sacris caput detegendi et inclinandi dat: circa finem cantus eiusdem Sequentiae, signum surgendi dat, deinde Evangelium ex abaco sumit et illud Diacono tradit eumque ad Altare ducit; interim innuit Ceroferiis ut, absque candelabris, ante infimum Altaris gradum accedant.

Recitata a Diacono Oratione: *Munda cor meum* etc., Caeremoniarius signum dat accedendi ad locum ubi Evangelium decantari solet, non vero ad ambonem (loc. cit.), sequenti ordine:

1. Caeremoniarius;
2. Diaconus Evangelium deferens;
3. Subdiaconus, iunctis manibus;
4. duo Ceroferii, pariter iunctis manibus.

Evangelio decantato, Caeremoniarius accipit a Subdiacono Evangelium, ducit Ministros sacros ad scamnum, facta prius Altari reverentia.

Ante Praefationem, monet Clericos, iam designatos pro funalibus, ut, peracta elevatione, genuflexi maneant usque ad pretiosi Sanguinis sumptionem inclusive, dein ad Sacristiam pergant. In reliquis, more solito se gerit, sed Pax non datur neque Indulgentia publicatur.

Missa absoluta, monet sacros Ministros ut manipulum deponant; si Absolutio impertienda est, innuit duobus Clericis ut ex abaco pluviale et formale in lance sumant et ad Thronum accedant; innuit pariter Clericis pro paramentis ut ad Thronum pergant ad missalia indumenta accipienda.

Si vero sermo in laudem Defuncti habendus est ab aliquo Clerico, tunc Caeremoniarius illum, habitu praelatitio indutum, si Praelatus, alias veste talari nigra absque superpelliceo, vel in habitu suae Religionis, si Regularis, in ambonem ducit eumque praemoneat ut se tantum signo Crucis muniat et statim sermonem incipiat.

ARTICULUS VIII.

De Ministris inferioribus ad Missam pontificalem de Requie ad Thronum.

1113. — I. - DE MINISTRO LIBRI ET CANDELAE. — **Hi Ministri**, de quorum officio generatim diximus sub n. 554 et 555, cum aliis ad associandum Episcopum procedunt.

Dum Episcopus ad Thronum accedit, si Orationes ad paramenta legere velit, tunc **Ministri**, acceptis Canone Ponticali et candela, pergunt ad Thronum; Orationibus completis, ad abacum revertuntur;

depositis libro et candela, procedunt ad Sacristiam ad induenda pluvialia, deinde ad Altare revertuntur.

Postquam Episcopus Altare deosculatus fuerit, eum ad Thronum sequuntur et cum mitram deposuerit ad eum accedunt. Lecto ab Episcopo Introitu, de Throno descendunt et ad dexteram eiusdem Throni consistunt, donec ultimum *Kyrie* decantetur a Choro; quo absoluto, rursus ad Episcopum accedunt; **Minister libri** tradit Presbytero Assistenti Missale quod, Oratione absoluta, recipit; deinde **ambo** de Throno descendunt et persistere possunt ad dexteram Throni dum Epistola canitur; qua absoluta, statim ad Episcopum iterum accedunt et genuflexi manent usque ad Evangelii lectionem inclusive; qua completa, ad abacum pergunt, ubi Missale et candelam deponunt.

Evangelii cantu absoluto, ad Thronum accedunt; **Minister libri** Missale Presbytero Assistenti tradit, quod recipit quum Episcopus decantaverit *Oremus*, et ante eundem Episcopum sustinet, dum Offertorium legit; quo lecto, de Throno **ambo** descendunt et se gerunt more solito (v. n. 964).

II. - DE MINISTRO MITRAE. — Minister mitrae, de cuius officio iam generatim diximus sub n. 557, cum aliis procedit ad associandum Episcopum.

Quando Ministri libri et candelae ad Sacristiam pergunt et ipse cum eis procedit ubi vimpam et pluviale induit, dein pariter cum eis ad Altare revertitur et sistit ante infimum gradum in cornu Epistolae; quum a Caeremoniario secundo mitram acceperit procedit ad Thronum, ibique reverentiam peragit et sistit ante suum scamnum ad dexteram Throni in plano Presbyterii.

Quum Episcopus planetam induerit, Diacono mitram tradit et se gerit more solito (v. n. 965), sed, postquam Episcopus Altare deosculatus fuerit, Minister ascendit suppedaneum, mitram Diacono porrigit, dein Episcopum ad Thronum accedentem sequitur, ibique a secundo Diacono mitram recipit.

Recitato ab Episcopo: *Kyrie* etc., mitram primo Diacono Assistenti tradit, quam a secundo Diacono recipit dum a Choro decantatur ultimum *Kyrie* et se gerit more solito, ut in Missa solemniori ponticali ad Thronum, sed semper Episcopus utitur mitra simplici; recitata Oratione: *Placeat* etc., statim Diacono tradit mitram, quam ab eodem Diacono recipit quum Episcopus ad Thronum pervenerit.

Si Absolutio facienda non sit, genuflexione peracta, pergunt ad Sacristiam cum Ministris libri et candelae, alias, pluviali ab Episcopo

assumpto, mitram Diacono tradit. Si sermo habendus est in laudem Defuncti, mitram pariter Diacono Missae porrigit, postquam Episcopus pluviale se induerit; si ipse Episcopus ad ambonem accedat, illum sequitur.

III. - DE MINISTRO DE GREMIALI. — Minister de gremiali (v. n. 966, III) primo Diacono Assistenti illud porrigit, recitato ultimo *Kyrie* ab Episcopo, et recipit dum a Choro ultimum decantatur *Kyrie*. Cantata Oratione, illud tradit et ante Evangelii cantum recipit.

IV. - DE THURIFERARIO. — Thuriferarius (v. n. 966, IV) prima vice ad Offertorium thuribulum et naviculam ministrat; Episcopo thurificato, a Diacono thuribulum recipit et nullum alium incensat.

Paulo ante Consecrationem ipse Thuriferarius incensum imponit, atque Subdiacono, in cornu Epistolae genuflexo, thuribulum ministrat; elevatione completa, thuribulum recipit et ad Sacristiam procedit.

V. - DE CEROFERARIIS. — Ceroferarii se gerunt ut in Missa solemniori pontificali ad Thronum (v. n. 966, V), sed ad Evangelium candelabra non deferunt et assistunt iunctis manibus. Ad Evangelii locum accedentes, ultimo loco post Diaconum et Subdiaconum incedunt.

VI. - **Ceteri Ministri inferiores** se gerunt ut ad Missam solemniori pontificalem ad Thronum, sed **Clerici pro funalibus** designati, permanent genuflexi usque ad pretiosi Sanguinis sumptionem inclusive.

In hac Missa Episcopus non utitur s. Pallio nec chirothecis, nec baculo.

CAPUT XXI.

DE ABSOLUTIONE PRO DEFUNCTIS RITU PONTIFICALI PERAGENDA GENERATIM

1114. — Duplici modo Absolutio Ritu pontificali peragi potest, nempe:

I. - Absolutio praesente cadavere;

II. - Absolutio absente Defuncti corpore.

Absolutio, praesente Defuncti corpore, praeceptiva est post Missam exequialem, et distinguitur in duplici Ritu, scilicet: Ritus cum quinque Absolutionibus; Ritus cum unica Absolutione.

Quinque Absolutiones peragendae sunt tantum « in exequiis alicuius Summi Pontificis, S. R. E. Cardinalis, seu Metropolitanani

aut Episcopi proprii, seu Imperatoris, Regis, vel Ducis magni, aut Domini loci » (Pont. Rom. pars III, « *De officio quod post Miss. sol. pro Def. agitur* ») « et ut videtur, etiam in eorum uxorum exequiis iuxta Caeremoniale lib. I, cap. XXIII, n. 31, et Pontificale de receptione Reginae et magnae Principissae, ubi iidem honores uxoribus sicut viris adscribuntur » (De Herdt, *Prax. Pont.*, Tom. II, n. 203).

Pro aliis vero Personis, cuiuscumque sint dignitatis et conditionis, cum in allatis liturgicis libris non exprimantur, una tantum Absolutio fit.

1115. — Ritus cum quinque Absolutionibus peragendus est tantum in primis exequiis quae fieri solent post obitum, non vero in exequiis anniversariis, et quidem in Ecclesiis Cathedralibus post Missam pontificalem de Requie, non autem in aliis; si Ecclesia Cathedralis impedita est, Episcopi arbitrio Ecclesiae electio relinquenda est (D. 2306 ad 1 et 2).

Si quatuor Episcopi non adsint, tunc loco deficientium parantur Dignitates et Canonici Ecclesiae Cathedralis, iuxta ordinem praecedentiae; Canonicis deficientibus, parantur Sacerdotes in aliqua ecclesiastica dignitate constituti.

1116. — Absolutio absente Defuncti corpore pariter duplici distinguitur Ritu:

I. - Absolutio ad Tumulum;

II. - Absolutio ad pannum.

Absolutio haec praeceptiva non est, nam in Missali Romano legitur « finita Missa si facienda est absolutio » (Rit. cel. Miss. Tit. XIII, n. 4) et in S. R. Congregationis Decretis « non ex obligatione, sed ad arbitrium facienda est Absolutio in Anniversariis mortuorum » (D. 1322 ad 6), « ad libitum Celebrantis, nisi accedat mandatum illius qui eleemosynam obtulit » (D. 3369 ad 2).

1117. — Absolutionis Ritus post Missam de Requie ab alio celebratam peragendus est tantum ab Episcopo loci Ordinario, neque ab Episcopo titulari.

Episcopus Ordinarius potest Absolutionem ad Tumulum facere sive Missae solemniter in Throno adstiterit, sive mozzetta indutus in Choro interfuerit, sive omnino tempore Missae abfuerit (Caer. Ep. L. II, cap. XII, n. 6; cap. XXXVI, n. 1; cap. XXXVII, n. 1; DD. 3029 ad 10; 3798 ad 2; 4355, II ad 3).

« Absolutionis ritus post Missam de Requie ab Episcopo aut Presbytero celebratam non est a Patre Cardinali ordinis Episcoporum aut Presbyterorum peragendus, nisi quum iusta funebria persolvantur aut Summo Pontifici, aut Purpurato Patri, aut catholico Principi; vel etiam sicubi solemnior fiat Commemoratio omnium fidelium Defunctorum; item pro insigni aliqua Communitate, vel publicum ob aliquem lacrimabilem casum » (Ex Decr. S. C. Caeremonialis diei 30 Maii 1902, quod confirmatum est per Decr. eiusdem S. C. diei 2 Dec. 1930).

CAPUT XXII.

DE RITU CUM QUINQUE ABSOLUTIONIBUS

ARTICULUS I.

De iis quae praeparanda sunt pro Ritu quinque Absolutionum.

1118. — I. - AD ALTARE MAIUS. — Super abacum Missae pontificali de Requie necessariis adiungenda: duo candelabra cum candelis e cera communi pro Ceroferariis; liber continens Ritus quinque Absolutionum; vasculum aquae benedictae cum aspersorio; pluviale cum formali simplici; intorticium pro Episcopo. Apud abacum: Crux processionalis.

II. - IN SACRISTIA ALTARI MAIORI CONTIGUA. — Parantur quatuor pluvialia, stolae et amictus pro Episcopis qui Absolutiones imperientur, nisi iidem Praelati Missae pontificali de Requie assistant pluviali induti; congruo in loco parantur quatuor candelae pro iisdem Praelatis.

III. - IN MEDIA ECCLESIA. — Erigitur Tumulus ornatus et lodice funerea in summitate. Supra Tumulum vel nullum signum apponatur, vel illud dumtaxat quod designat qualitatem Personae: triregnum pro Pontifice Summo, pro S. R. E. Cardinali biretum rubri coloris, quod apponi potest etiam si Emus Pater caractere episcopali sit insignitus, pro Episcopo mitra simplex; pro Imperatore, Rege, Duce magno, et Domino loci licet apponere stemmata gentilicia et alia insignia Defuncto convenientia et ab Ecclesia non prohibita. Defuncti imago exponi nequit, et ubi huiusmodi usus viget curandum est ut eliminetur abusus (D. 3898).

Pallia aut alia Altaris ornamenta, ad ornatum feretri vel tumbae ne adhibeantur (Rit. R. Tit. VI, cap. I, n. 19).

Tumulus pro Summo Pontifice, Cardinali et Episcopo, praesente corpore, ita erigitur ut caput versus Altare et pedes versus Ecclesiae fores respiciant; pro iisdem, absente corpore, nec non pro Imperatore, Rege, Duce magno, Domino loci, sive praesente sive absente corpore, ita erigitur ut caput versus Ecclesiae fores et pedes versus Altare respiciant.

Circa Tumulum disponuntur congruenti numero cerei vel intorticia candelabris infixi. Crux, dum cantatur Missa, et Officium emortuale perdurat, non est collocanda ad caput Tumuli.

In quatuor Tumuli angulis collocantur quatuor scabella nuda, ponuntur super parvum tapetum nigri vel violacei coloris, si Absolventes Episcopi essent; ad caput Tumuli scilicet versus Altare, vel Ecclesiae fores, statuitur, super tapetum nigri vel violacei coloris, Faldistorium ornatum violaceo tegumento; si Celebrans sit Cardinalis, vel Metropolita, Faldistorio supponatur suppedaneum, pariter nigro vel violaceo tapeto contactum. Similiter supponatur suppedaneum si Episcopus celebrans sit loci Ordinarius et Absolventes non sint Episcopi.

Ad latera Faldistorii collocantur scabella pro Diaconis Assistentibus; ad dexteram scabelli primi Diaconi, scabellum pro Presbytero Assistente; ad sinistram illius secundi Diaconi, scabellum pro Diacono Missae.

ARTICULUS II.

De Episcopo celebrante et de eius Assistentibus in Ritu quinque Absolutionum.

1119. — I. - DE EPISCOPO CELEBRANTE. — Completa Evangelii recitatione, Episcopus deponit mitram, manipulum, planetam, dalmaticam ac tunicellam, dein assumit pluviale ac mitram; ad nutum Caeremoniarum, surgit, intorticium accipit et medius inter Diaconos Assistentes ad Tumulum procedit. Quo cum pervenerit, intorticium Clerico tradit, sedet in Faldistorio; mitra deposita, surgit, cantat Orationem: *Non intres in iudicium* etc.; qua absoluta, sedet et mitram recipit. Si Episcopus sit loci Ordinarius et quatuor Absolventes non sint Episcopi, dum repetitur Responsorium incensum cum benedictione imponit (D. 2089 ad 6). Repetito Responsorio, mitram deponit; ad: *Kyrie eleison*, surgit et consistit. Oratione

absoluta, sedet, mitram accipit. Et ita se gerit ad sequentes tres Absolutiones.

Dum repetitur quintum Responsorium, scilicet: *Libera me, Domine*, etc., incensum cum benedictione imponit; repetito Responsorio, mitram deponit et ad: *Kyrie*, surgit; decantato ultimo *Kyrie*, dicit: *Pater noster*, secreto prosequens; medius inter Diaconos Assistentes de suppedaneo descendit; accepto a Presbytero Assistente aspersorio, circumiens aspergit Tumulum ter ab una parte terque ab altera, incipiens in latere ubi adest primus Absolvens. Transiens ante Crucem reverentiam peragit; pariter reverentiam Absolventibus peragit, si Episcopi sint. Reversus ante Faldistorium aspersorium Presbytero Assistenti tradit et ab eo thuribulum accipit; eodem modo quo asperserat, circuit ac incensat Tumulum, postea ad pristinum locum reversus, thuribulum Presbytero Assistenti tradit; stans in suo loco, iunctis manibus, dicit: *Et ne nos inducas* etc., ac reliquos Versiculos, ut in Pontificali Romano, cum Oratione: *Absolve, quaesumus, Domine*, etc.

Si Defunctus fuerit Summus Pontifex, in Oratione dicatur: *animam famuli tui N. Summi Pontificis*; si Episcopus Cardinalis: *famuli tui N. Episcopi Cardinalis*; si Presbyter Cardinalis (etsi caractere episcopali insignitus): *famuli tui N. Presbyteri Cardinalis*; si Cardinalis Diaconus (quamvis Sacerdos): *famuli tui N. Diaconi Cardinalis*; si Defunctus fuerit Archiepiscopus vel Episcopus: *famuli tui N. Episcopi vel Pontificis*. Si Defunctus fuerit laicus, in Oratione exprimi potest pariter dignitas, scilicet: *famuli tui N. Imperatoris, vel Regis, vel Ducis* etc.

Absoluta Oratione et responso a Choro: *Amen*, post: *Requiescat in pace*, sedet in Faldistorio, mitram accipit, nullum signum versus Tumulum facit, nec dicit Versiculum: *Anima eius* etc., sed, ad nutum Caeremoniarum primi, surgit, intorticiam accipit et ad Thronum revertitur ubi paramenta dimittit (v. n. 1098).

II. - DE PRESBYTERO ASSISTENTE. — Presbyter Assistens, ad nutum Caeremoniarum primi, de Throno descendit et ad dexteram Diaconi Missae ad Tumulum accedit ante Episcopum. Quo cum pervenerit, sistit ad dexteram primi Diaconi Assistentis. Deposita mitra ab Episcopo, accipit librum, quem sustinet apertum ante Episcopum ad Orationem: *Non intres* etc.; qua absoluta, librum Ministro tradit et sedet ad dexteram primi Diaconi Assistentis. Si Episcopus sit loci Ordinarius et quatuor Absolventes non sint Episcopi, dum Responsorium repetitur ante singulam Absolutionem surgit, accedit

ad Episcopum eique incensum, sine osculis, ministrat dicens: *Benedicite, Reverendissime Pater*; si vero Episcopus sit Cardinalis dicit: *Benedicite, Eminentissime ac Reverendissime Pater*; postea ad suum redit locum et sedet.

Ad quintam Absolutionem, postquam ministraverit incensum, consistit apud Episcopum et ab eodem decantatis verbis: *Pater noster*, sine osculis ei aspersorium porrigit. Quum Episcopus, asperso Tumulo, ante Faldistorium redierit, ab eo aspersorium recipit eique thuribulum porrigit. Tumulo incensato, thuribulum recipit, quod Thuriferario tradit, deinde redit ad suum locum, quia ad Versiculos et ad Orationem librum non sustinet. Absolutione completa, ad Thronum revertitur et se gerit ut sub n. 1101 diximus.

III. - DE DIACONIS ASSISTENTIBUS. — Ad nutum Caeremoniarum primi, **Diaconi Assistentes** de Throno descendunt, sustinentes fimbrias pluvialis Episcopi, et cum eo, reverentia Altaris Cruci peracta, procedunt. Quum in Faldistorio Episcopus sederit, **Diaconus secundus** mitram ei aufert et ad Orationem: *Non intres* etc., **ambo** pluvialis fimbrias sustinent. Oratione absoluta, **Diaconus primus** mitram Episcopo imponit, deinde **ambo** sedent.

Si quatuor Absolventes Episcopi non sint, dum repetitur Responsorium ante singulam Absolutionem, **ambo** surgunt pro ministracione incensi et consistunt usque ad Orationem inclusive. Si vero Absolventes Episcopi sint, tunc surgunt, repetito Responsorio, et **Diaconus secundus** Episcopo aufert mitram, quam **alter** imponit, Oratione completa.

Dum repetitur Responsorium: *Libera me, Domine*, etc., ante quintam Absolutionem, **ambo** surgunt pro ministracione incensi; absoluto Responsorio, **Diaconus secundus** mitram Episcopo aufert, dein **ambo** fimbrias eius pluvialis sustinent. Decantatis verbis: *Pater noster*, comitantur Episcopum in aspersione et thurificatione; transeuntes ante Crucem, reverentiam peragunt, et etiam transeuntes ante Absolventes, si Episcopi, reverentiam faciunt. Ad Versiculos et Orationem sustinent fimbrias pluvialis Episcopi; cum ille sederit, **Diaconus primus** mitram ei imponit, deinde **ambo**, ad nutum Caeremoniarum primi procedunt ad Thronum cum Episcopo sustinentes eius pluvialis fimbrias et se gerunt ut sub n. 1104 diximus.

IV. - DE DIACONO ET SUBDIACONO. — **Diaconus** postquam Episcopo mitram imposuerit, una cum **Subdiacono** de Throno descendit et accedit ad sinistram Presbyteri Assistentis, **Subdiaconus** vero accipit Crucem processionalem et medius inter Ceroferos ad cancellos

Presbyterii se confert, facie ad Altare versa. Ad nutum Caeremoniarum secundi, procedit ante omnes, sed post Thuriferarium et Ministrum de vasculo aquae benedictae, ad caput Tumuli. Si vero caput Tumuli est versus Altare, tunc cum apud illud pervenerit, recedit in parte respondente ad cornu Evangelii ut ceteri transire possint, dein se confert in medium ubi consistit, facie ad Tumulum versa.

Diaconus, invitante Caeremoniario secundo, dum a Choro canitur Versiculus: *Requiem aeternam* etc., surgit, reverentiam Episcopo celebranti peragit, accedit ad primum Absolventem eique reverentiam facit et ad eiusdem dexteram consistit. Dum Responsorium repetitur, incensum, sine osculis, ministrat dicens: *Benedicite, Reverendissime Pater*; absoluto Responsorio, mitram Episcopo aufert et attollit fimbriam pluvialis.

Postquam Absolvens decantaverit verba: *Pater noster*, ei, sine osculis, aspersorium porrigit, eumque in aspersione comitatur, reverentiam Cruci et Absolventibus faciens.

Quum redierit ante scabellum, recipit ab Absolvente aspersorium quod Ministro vasculi aquae benedictae reddit, et a Thuriferario accipit thuribulum, quod pariter, sine osculis, Absolventi porrigit eumque in thurificatione, sicut in aspersione, comitatur. Recepto thuribulo ac Thuriferario tradito, sustulit fimbriam pluvialis Absolventis. Oratione completa, Episcopo sedenti mitram imponit eique reverentiam peragit; cum Caeremoniario secundo et aliis accedit ad secundum Absolventem.

Si Absolvens non sit Episcopus, Diaconus, equidem eodem modo, ad illum accedit, sed incensum non ministrat.

Quum accesserit ad secundum Absolventem ei reverentiam peragit et ad eiusdem dexteram consistit; se ut supra gerit et ita ad sequentes duas Absolutiones.

Postquam mitram iuniori Absolventi imposuerit, ei reverentiam facit et accedit ad suum scamnum, facta prius Episcopo celebranti reverentia. Absolutione quinta completa, ad nutum Caeremoniarum primi ad sinistram Presbyteri Assistentis procedit ad Thronum ante Episcopum celebrantem.

Subdiaconus, decantatis a Cantoribus verbis: *Requiescat in pace*, post ultimam Absolutionem, eodem ordine ac supra procedit ad Altare maius; reposita Cruce in basi, se apud Thronum confert. Quum Episcopus ad Thronum pervenerit, cum **Diacono** ad Episcopi latera accedit, et **ambo** se gerunt ut diximus sub n. 1107.

ARTICULUS III.

De quatuor Absolventibus et de eorum Ministris in Ritu quinque Absolutionum.

1120. — DE ABSOLVENTIBUS. — Si Absolventes Episcopi sint et Missae pontificali de Requite adstiterint, pluviali induti, ad nutum Caeremoniarum secundi, accedunt ad medium Presbyterium et se disponunt ad lineam, scilicet versus cornu Evangelii **quartus Absolvens** nempe **iunior**, ad eius dexteram **secundus**, ad dexteram secundi **primus Absolvens**, scilicet **dignior**, dein **tertius**.

Quum Episcopus celebrans de Throno descendit se ei inclinant ac postea mitram sibi imponunt (haec est Urbis praxis), candelam accipiunt; reverentia Altaris Cruci peracta, accedunt ad Tumulum sequenti ordine: **quartus** ad sinistram **tertius**; post eos, **secundus** ad sinistram **dignioris**.

Si vero Missae adstiterint habitu praelatio induti, tunc, Missa absoluta, deponunt Crucem pectoralem et mantelletum, accipiunt amictum, Crucem reassumunt, stolam ac pluviale induunt et se ut supra gerunt.

1121. — Si Absolventes Episcopi non sint, dum Celebrans recitat Evangelium S. Ioannis, accedunt ad Sacristiam Altari maiori contiguam, ubi amictum, stolam ac pluviale assumunt; candela accepta, ad Altare revertuntur, et ante illud consistunt ordine supra notato.

1122. — Si caput Tumuli est versus fores Ecclesiae, cum apud Faldistorium pervenerint, **quartus Absolvens**, scilicet **iunior**, parumper sistit ut transeat **tertius Absolvens** qui reverentiae **quarti Absolventis** respondet et accedit ad scabellum in angulo Tumuli respondente sinistrae Faldistorii; **quartus Absolvens** se confert ad scabellum in angulo Tumuli respondente sinistrae Crucis a Subdiacono sustentae; similiter ad Faldistorium **secundus Absolvens** reverentiam peragit **digniori** qui ei respondet et accedit ad scabellum in angulo Tumuli respondente dexterae Faldistorii; **secundus Absolvens** accedit ad scabellum in angulo Tumuli respondente dexterae Crucis a Subdiacono sustentae; transiens ante tertium Absolventem ei se inclinat (v. n. 1139).

1123. — Si vero caput Tumuli versus Altare sit, **quartus Absolvens** cum apud eundem Tumulum pervenerit se tertio Absolventi

inclinat et accedit ad scabellum in angulo eiusdem Tumuli respondente ad cornu Epistolae; **tertius Absolvens** reverentiae quarti respondet et se confert ad scabellum in angulo Tumuli respondente sinistrae Faldistorii; **secundus Absolvens** parumper sistit ut transire possit dignior Absolvens, se ei inclinat, dein pergit ad scabellum in angulo Tumuli respondente ad cornu Evangelii; **primus Absolvens** postquam se secundo Absolventi inclinaverit procedit ad scabellum in angulo Tumuli respondente dexteræ Faldistorii (v. n. 1138).

1124. — **Unusquisque** tradit Ministro candelam et suo loco sedet. Quum Diaconus secundus mitram Episcopo celebranti aufert, **Absolventes** mitram sibi ipsi detrahunt eamque Ministro tradunt et surgunt. Oratione: *Non intres* etc. completa, sedent, a Ministro mitram accipiunt quam sibi ipsi imponunt.

1125. — **Primus Absolvens** dum repetitur Responsorium: *Subvenite*, etc., incensum more solito imponit; Responsorio absoluto, per Diaconum mitram dimittit atque surgit. **Ceteri Absolventes** mitram dimittunt et surgunt. **Primus Absolvens** post ultimum *Kyrie* dicit: *Pater noster*; accepto a Diacono aspersione, Tumulum aspergit, circumcirca ambulans, incipiens a sua parte dextera, tertio aspergens quamlibet partem lateralem Tumuli. Dum transit ante Crucem et Absolventes, si Episcopi sint, reverentiam peragit. Cum ad suum redierit locum tradit aspersionem Diacono et ab eodem thuribulum accipit. Tumulum similiter circumcirca thurificat et cum ante scabellum reversus fuerit, Diacono thuribulum tradit; iunctis manibus, dicit Versiculos et Orationem ut in Pontificali Romano, qua absoluta, sedet et per Diaconum mitram accipit. Etiam **ceteri Absolventes** sedent et mitram sibi ipsi imponunt.

Si **Absolvens** Episcopus non sit, incensum in thuribulum non imponit.

1126. — Dum repetitur secundum Responsorium: *Qui Lazarum* etc., **secundus Absolvens** se gerit ut supra diximus de primo Absolvente; ita se gerunt **tertius** et **quartus Absolvens** ad duas sequentes Absolutiones.

Repetito ultimo Responsorio, **Absolventes** mitram dimittunt, surgunt et sic perstant usque ad: *Requiescat* etc. post ultimam Orationem, dein sedent, mitram sibi imponunt; ad nutum Caeremoniarum secundi, surgunt atque, ordine quo venerunt, procedunt ad Altare maius. Si Episcopi paramenta deponunt in Choro, alias procedunt ad Sacristiam capitularem.

1127. — DE ABSOLVENTIUM MINISTERIS. — Si Absolventes Episcopi sint, designantur pro unoquoque **duo ministri** scilicet, **alter de mitra**, **alter de candela**; si Episcopi non sunt, **unus** tantum designatur **Minister** nempe **de candela**.

Si Absolventes Missae pontificali de Requie adstiterint habitu praelatitio induti, **Ministri de mitra** et **de candela** dum Episcopus celebrans recitat Evangelium S. Ioannis accedunt ad Sacristiam capitularem; **Ministri de mitra** accipiunt pluviale, stolam, amictum, et mitram simplicem, **Ministri de candela** accipiunt candelam et ad Chorum revertuntur. **Ministri de mitra** deponunt paramenta ante Absolventes et eos adjuvant in deponendis Cruce pectorali et mantelletto, dein in assumendis amictu, Cruce pectorali et pluviali. Ubi Absolventes mitram sibi imposuerint, **Ministri de candela** iisdem eam porrigunt, **Ministri de mitra** et **de candela** apud eosdem Absolventes consistunt. In Processione ad Tumulum **Minister de mitra** incedit ad dexteram **Ministri de candela** et procedunt post Ministros de libro et de scotula Episcopi celebrantis, primo loco **Ministri** dignioris Absolventis dein **ceteri**, iuxta ordinem praecedentiae Absolventium.

Quum ad Tumulum pervenerint, se collocant apud respectivum Absolventem, scilicet **Minister de mitra** ad dexteram, **alter** ad sinistram qui statim candelam ab eo accipit. **Minister de mitra** ab Absolvente mitram accipit cui reddit, absoluta Oratione: *Non intres* etc.

Quum ad primum Absolventem accedit Diaconus cum aliis, **Minister de mitra** se collocat retro post Diaconum, **alter** ad sinistram **Ministri de libro**. Repetito Responsorio, **Minister mitrae** eam a Diacono accipit cui porrigit, completa Oratione. Quum Diaconus cum aliis profectus fuerit, **Minister de mitra** et **Minister de candela** apud Absolventes accedunt ut prius. Ita se gerunt **Ministri** ceterorum Absolventium ad Absolutionem quam respectivus Absolvens impertit.

Ad sequentes Absolutiones **Minister de mitra** eam ab Episcopo accipit, repetito Responsorio, et eidem porrigit, decantata Oratione. Mitra ab Episcopo accepta post ultimam Absolutionem, **Minister de candela** eam Episcopo tradit, dein **ambo**, ordine quo venerunt, ad Altare maius revertuntur, ubi **Minister de candela** ab Episcopo eam accipit. **Minister de mitra**, ab Episcopo mitra accepta, eum adjuvat in exuendis paramentis et in reassumendis mantelletto et Cruce pectorali, ac postea paramenta in Sacristiam defert.

1128. — Si Absolventes Episcopi non sint, tunc, dum ab Episcopo legitur Evangelium S. Ioannis, **Minister de candela** invitat Absol-

ventem ad Sacristiam capitularem eumque adiuvat in assumendis paramentis ac postea candelam eidem porrigit. In reliquis se ut supra gerit, sed cum Absolvens caput detegit, accipit ab eo biretum quod iterum ei tradit cum opus sit. Absolutionibus completis, procedit ad Sacristiam, et Absolventem adiuvat in paramentis deponendis.

ARTICULUS IV.

De Canonicis deque Choro in Ritu quinque Absolutionum.

1129. — **Canonici** aliique **Chorales**, ad nutum Caeremoniarii secundi, de suis locis descendunt et ad Tumulum procedunt, ibique in circuitu se collocant, ita ut **iuniores** Cruci a Subdiacono sustentae sint viciniore, **digniores** Episcopo celebranti et **omnes** ad Tumulum faciem convertunt. Si scamna pro Canonicis apponantur, decantata ab Episcopo Oratione: *Non intres* etc., **Canonici** sedent usque ad *Kyrie eleison*, ad quod surgunt et tunc perstant usque ad Orationem inclusive in qualibet Absolutione, sed post Orationem quintae Absolutionis non sedent. Decantatis a Cantoribus verbis: *Requiescat in pace*, ordine quo venerunt ad Altare maius revertuntur.

1130. — **Cantores**, decantata ab Episcopo celebrante Oratione: *Non intres* etc., respondent: *Amen*, dein incipiunt cantum Responsorii: *Subvenite*, etc.; quo repetito, addunt pariter in cantu: *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison*. Asperso et thurificato Tumulo, respondent ad Versiculos. Decantato: *Amen*, post primam Orationem, statim incipiunt in cantu secundum Responsorium: *Qui Lazarum* etc.; ita se gerunt ad reliquas Absolutiones. Post ultimam Orationem respondent: *Amen*; ad: *Requiem aeternam dona ei, Domine*, tantum **duo Cantores** elata voce dicunt: *Requiescat in pace*, et **omnes: Amen**.

ARTICULUS V.

De Caeremoniariis in Ritu quinque Absolutionum.


1131. — DE CAEREMONIARIO PRIMO. — Dum Episcopus celebrans Evangelium S. Ioannis recitat, Caeremoniarius innuit Clericis, iam designatis, ut ex abaco pluviale ac formale simplex in lance sumant et ad Thronum accedant cum aliis Clericis designatis pro recipiendis paramentis. Completo Evangelio, a Diacono paramenta accipit et

Clericis tradit, deinde eidem Diacono porrigit prius pluviale ac postea formale. Omnibus rite dispositis, innuit Ministro de intorticio ut illud Episcopo tradat, tandem signum Episcopo aliisque ad Tumulum procedendi dat.

Quum Episcopus ad Faldistorium pervenerit, innuit Ministro de intorticio ut illud ab Episcopo recipiat, Ministris de libro et de candela ut ad Episcopum accedant. Completa Oratione: *Non intres* etc., Episcopo aliisque signum sedendi dat. Si quatuor Absolventes Episcopi non sint, Assistentibus, dum Responsorium repetitur, signum surgendi dat pro ministracione incensi; si vero Absolventes Episcopi sint, signum surgendi dat, repetito Responsorio; omnes consistere debent usque ad Orationem inclusive. Et ita se gerit ad reliquas Absolutiones; quibus completis, Episcopus et Assistentes, ordine quo venerunt, ad Thronum revertuntur.

1132. — DE CAEREMONIARIO SECUNDO. — Dum Episcopus recitat Evangelium S. Ioannis, Caeremoniarius admonet Ministros de mitra et de candela Absolventium ut se conferant ad Sacristiam capitularem ad paramenta accipienda et candelas; monet quoque Ceroferrarios ut ad Thronum accedant ad Ministrorum Missae manipulos accipiendos.

1133. — Dispositio ad Altare antequam procedatur ad Tumulum.



1134. — Assumpta ab Episcopo celebrante mitra, Caeremoniaris, sequenti ordine, Processionem ad Tumulum ordinat:

1. Minister vasculi aquae benedictae ad dexteram Thuriferarii;
2. Subdiaconus Crucem deferens, medius inter Ceroferarios;
3. Clerici Seminarii, Clerus et Beneficarii Ecclesiae Cathedralis;
4. Crucifer, si Celebrans uti Cruce potest, cum Imagine Crucifixi ad Praelatum versa;
5. Canonici;
6. Tertius Absolvens ad dexteram quarti Absolventis;
7. Primus Absolvens ad dexteram secundi Absolventis;
8. Presbyter Assistens ad dexteram Diaconi;
9. Episcopus Celebrans, medius inter Diaconos Assistentes;
10. Caudatarius;
11. Minister de mitra ad dexteram Ministri de intorticio;
12. Ministri de libro et de candela Celebrantis;
13. Ministri de mitra et de candela primi Absolventis;
14. Ministri de mitra et de candela secundi Absolventis;
15. Ministri de mitra et de candela tertii Absolventis;
16. Ministri de mitra et de candela quarti Absolventis;
17. Familiares Episcopi celebrantis;
18. Familiares Absolventium, si Episcopi.

1135. — Quum ad Tumulum pervenerint, omnes disponuntur ut sub n. 1138 vel sub n. 1139 conspicitur.

Si Absolvens primus sit Episcopus, dum a Choro canitur Versiculus: *Requiem aeternam* etc. Responsorii: *Subvenite*, etc., ducit Diaconum ad primum Absolventem, praeceuntibus Thuriferario, Ministro vasculi aquae benedictae et Ministro de libro. Absolventi reverentia peracta, omnes ut in sequenti numero disponuntur.

Si Absolvens non sit Episcopus et Celebrans sit Ordinarius, praemoneat Thuriferarium ut ad Celebrantem accedat pro ministracione incensi; ita se gerit ad tres sequentes Absolutiones.

1136. — Dispositio ad quamlibet ex quatuor Absolutionibus.

M. a. b. Th. D. Ab. Caer. M. lib. M. int.

1137. — Dum Responsorium repetitur, Caeremoniaris monet Absolventem ut incensum imponat in thuribulum et benedicat, more solito; absoluto Responsorio, innuit Diacono ut Absolventi mitram auferat. Dicto ab Absolvente: *Pater noster*, eum praecedat in aspersione Tumuli, gyrum incipiens a sua dextera; reverentiam peragit quarto Absolventi, Cruci a Subdiacono sustentae, ac postea secundo ac tertio Absolventi, tandem Episcopo celebranti. Similiter praecedat Absolventem in tumuli thurificatione. Completa Oratione, innuit Diacono ut mitram Absolventi imponat; reverentia eidem Absolventi peracta, ducit Diaconum aliosque ad secundum Absolventem, transiens ante quartum ei reverentiam peragit et ita se gerit ante Crucem a Subdiacono sustentam. Coram secundo Absolvente reverentiam facit, ac postea se gerit ut supra diximus de prima Absolutione.

Quinta Absolutione completa, ad: *Requiem aeternam*, innuit Subdiacono ut ad Altare maius procedat cum ceteris, ordine quo venerunt.

ARTICULUS VI.

De Ministris inferioribus in Ritu quinque Absolutionum.

1140. — I. - DE MINISTRIS LIBRI ET CANDELAE. — Absoluto Evangelio S. Ioannis, **Minister libri** ex abaco sumit librum continentem Riturum quinque Absolutionum; ad nutum Caeremoniarum secundi, cum **Ministro candelae** procedit ad Tumulum post Ministros de mitra et de intorticio. Quo cum pervenerint, **Minister libri** se confert ad dexteram Thuriferarii, **Minister de candela** ad sinistram Caeremoniarum secundi. Deposita ab Episcopo mitra, **ambo** accedunt ad Faldistorium; **Minister libri** tradit illum Presbytero Assistenti; completa ab Episcopo Oratione: *Non intres* etc., librum recipit; **ambo** ad sua loca recedunt; **Minister libri** alteri Clerico illum tradit. Quarta Absolutione impertita, ab eodem Clerico librum recipit.

Postquam Episcopus celebrans Tumulum incensaverit, **ambo** accedunt ad Faldistorium; **Minister libri** ipse sustinet librum ante Episcopum. Oratione completa, **ambo** ad sua loca recedunt; ad nutum Caeremoniarum secundi, ordine quo venerunt, procedunt ad Altare. Cruce pectorali ab Episcopo reassumpta, **ambo** se gerunt ut sub n. 964, I diximus.

II. - DE MINISTRO MITRAE. — Recitato ab Episcopo Evangelio S. Ioannis, Minister de mitra eam a Diacono Missae accipit quam reddit postquam Episcopus pluviale et formale acceperit. Ad Tumulum procedit post Caudatarium, ad dexteram Ministri de intorticio, et se collocat retro post Faldistorium ad dexteram Caudatarum.

A secundo Diacono Assistente mitram accipit, quam primo Diacono porrigit post Orationem: *Non intres* etc. Ad singulas Absolutiones, repetito Responsorio, recipit mitram a secundo Diacono eamque iterum porrigit Diacono primo post Orationem. Completis Absolutionibus, ad Altare maius, ordine quo venerat, revertitur.

III. - DE MINISTRO INTORTICII. — Evangelio S. Ioannis completo, Minister intorticiam Episcopi celebrantis accipit, se ad Thronum confert et sistit ad dexteram Cathedrae. Mitra ab Episcopo accepta, ad nutum Caeremoniarum primi, Thronum ascendit, absque osculis, Episcopo intorticiam porrigit. In Processione ad Tumulum, incedit ad sinistram Ministri de mitra. Quum Episcopus ad Faldistorium pervenerit, ad eum statim accedit, intorticiam recipit et se collocat retro post Faldistorium ad sinistram Caudatarum. Accepta ab Episcopo mitra post ultimam Absolutionem, intorticiam ei porrigit, quod recipit cum Celebrans ad Thronum pervenerit.

IV. - DE THURIFERARIO DEQUE MINISTRO VASCULI AQUAE BENEDICTAE. — Dum Episcopus recitat Evangelium S. Ioannis, **Thuriferarius** accedit ad Sacristiam, thuribulum accipit statimque ad Altare revertitur; interim **Minister de aqua benedicta** ex abaco sumit vasculum cum aspersorio et se confert ad cancellos Presbyterii. Ad nutum Caeremoniarum secundi, **Thuriferarius**, ad sinistram **Ministri de aqua benedicta** ante omnes procedit ad Tumulum; quo cum pervenerit, consistit ad dexteram **eiusdem Ministri**, qui se collocat ad dexteram scamni Presbyteri Assistentis (v. n. 1138 vel n. 1139).

Dum a Choro canitur Versiculus: *Requiem aeternam* etc. primi Responsorii, **Thuriferarius** et **Minister de aqua benedicta**, ad nutum Caeremoniarum secundi, accedunt ad primum Absolventem; **Thuriferarius** consistit ad dexteram Diaconi, **alter** ad dexteram Thuriferarii. Dum Responsorium repetitur, **Thuriferarius** accedit ad Absolventem pro ministracione incensi; thure benedicto, recedit ad priorem locum; aspersione completa, thuribulum Diacono ministrat a quo recipit post Tumuli incensationem.

Minister de aqua benedicta quum Absolvens cantat: *Pater noster*, aspersorium porrigit Diacono a quo recipit post Tumuli aspersionem.

Completa Oratione, **Thuriferarius** et **Minister de aqua benedicta** cum aliis ad secundum Absolventem accedunt se gerentes ut prius et ita ad sequentes duas Absolutiones.

Si Absolventes non sint Episcopi et Celebrans sit Ordinarius loci, tunc **Thuriferarius** dum primum Responsorium repetitur accedit ad Celebrantem pro incensi ministracione; tradita Presbytero Assistenti navicula, genuflexus thuribulum Episcopo praesentat. Thure benedicto, surgit, genuflexionem Episcopo peragit, accedit ad primum Absolventem; reverentia ei facta, se confert ad dexteram Diaconi et se ut supra gerit.

Completa Oratione, accedit ad dexteram Presbyteri Assistentis. Dum secundum Responsorium repetitur, se ut supra gerit, et ita ad sequentes duas Absolutiones. Quarta Absolutione impertita, **Thuriferarius** et **Minister de aqua benedicta** cum aliis procedunt ad Faldistorium, et se conferunt ad priora loca ac se gerunt ut ad alias Absolutiones, sed **Thuriferarius** tradit naviculam Presbytero Assistenti; si Celebrans sit Ordinarius loci genuflexus thuribulum praesentat.

Completa quinta Absolutione, **Thuriferarius** et **Minister de aqua benedicta**, ordine quo venerunt, ad Altare maius revertuntur.

V. - DE CLERICO LIBRI. — Clericus cum aliis procedit ad Tumulum. Completa a Celebrante Oratione: *Non intres* etc., a Ministro libri

accipit librum; dum a Choro canitur Versiculus: *Requiem aeternam* etc., accedit cum Caeremoniario ad primum Absolventem et sistit ad sinistram ipsius Caeremoniarii. Postquam Absolvens thurificaverit Tumulum, accedit ante eundem Absolventem et sustinet librum. Completa Oratione, cum aliis ad secundum Absolventem se confert et se ut prius gerit et ita ad duas sequentes Absolutiones. Absoluta quarta Oratione, accedit ad Ministrum libri eique tradit librum.

VI. - DE CEROFERARIIS. — Recitato ab Episcopo Evangelio S. Ioannis, Ceroferarii ad Thronum accedunt, manipulos sacrorum Ministrorum accipiunt eosque deponunt super abacum, ex quo postea candelabra sumunt et ad cancellos Presbyterii se conferunt atque ad latera Subdiaconi, facie ad Altare versa, consistunt; ad nutum Caeremoniarii secundi, ad Tumulum procedunt post Thuriferarium et Ministrum de aqua benedicta. Quo cum pervenerint, ad caput eiusdem Tumuli se collocant, atque sic perstant usque ad: *Requiem aeternam* etc., post Orationem quintae Absolutionis, dein, ordine quo venerunt, ad Altare revertuntur.

CAPUT XXIII.

DE RITU CUM UNICA ABSOLUTIONE AD TUMULUM

1141. — Omnia servantur ut in praecedenti Capite diximus, exceptis praescriptionibus quae respiciunt quatuor Absolventes eorumque Ministros.

In media Ecclesia erigitur Tumulus ut sub n. 1118, III diximus; pro Sacerdotibus apponitur supra illum biretum et stola nigri vel violacei coloris, pro laicis vero apponere licet stemmata gentilicia, aliaque insignia Defuncto convenientia et ab Ecclesia non prohibita.

Tumulus pro Sacerdote, praesente corpore erigitur ut caput versus Altare et pedes versus Ecclesiae fores respiciant; pro eodem, absente corpore, nec non pro laicis, sive praesente sive absente corpore, Tumulus ita erigitur ut caput versus Ecclesiae fores et pedes versus Altare respiciant.

Si Ritus peragatur, absente Cadavere, **Episcopus** omittit Orationem: *Non intres* etc. Si vero **Episcopus Ordinarius** Missae tantum astiterit, sive pluviali, sive cappa indutus, potest Absolutionem impertire,

et in casu, si cappa sit indutus, post Evangelium S. Ioannis, Crucem pectoralem et cappam dimittit, accipit amictum, reassumit Crucem, ac se induit stola et pluviali; mitra accepta, se ut supra gerit.

Presbyter Assistens et **Diaconi Assistentes**, habitu choralis tantum induti, pariter se ut supra gerunt. Crux processionalis defertur a Clerico superpelliceo induto.

CAPUT XXIV.

DE ABSOLUTIONE AD PANNUM AB EPISCOPO
IN THRONO IMPERTIENDA

1142. — Absolutio haec generaliter impertitur ab Episcopo post Missam solemnem de Requite a Canonico celebratam, et in casu si **Episcopus** Missae astiterit cappa indutus, absoluto Evangelio S. Ioannis, paramenta assumit eo modo ut in praecedenti Capite diximus; interim pannum nigrum a **Ceroferariis** extenditur ante Thronum. In hac Absolutione Crux processionalis non defertur.

Episcopus versus Altare dicit: *Pater noster*; ter super Pannum aspergit et thurificat scilicet in medio, a sinistris et a dextris suis; in reliquis se gerit more solito.

Presbyter Assistens accedit ad Thronum pro ministratione incensidum a Choro canitur: *Requiem aeternam* etc. Panno incensato, revertitur ad suum stallum.

Diaconi Assistentes se, more solito, gerunt.

Minister mitrae, si Episcopus Missae astiterit cappa indutus, absoluto Evangelio S. Ioannis, ad Thronum procedit. Postquam Episcopus pluviale et formale acceperit, mitram primo Diacono porrigit, quam a secundo recipit, repetito Responsorio.

Ministri de libro et **de candela** una cum **Ceroferariis** ad Thronum pergunt dum repetitur Responsorium et consistunt ante infimum gradum inter se dirempti ne aspersionem et thurificationem impediant.

Panno thurificato, **Ministri de libro** et **de candela** accedunt ad Episcopum; Oratione completa, una cum **Ceroferariis** ad abacum revertuntur.

Thuriferarius cum **Ministro de aqua benedicta** se confert ad Thronum ubi consistit in plano Presbyterii ad dexteram Cathedrae; alter ad sinistram eiusdem Thuriferarii.

Si Episcopus Missam celebraverit, tunc **Diaconus** et **Subdiaconus** postquam ille pluviale et mitram acceperit de Throno descendunt et ad scamna in cornu Epistolae pergunt. Completa Absolutione, iterum ad Thronum accedunt, Episcopum exuunt (v. n. 923 et 937), dein, more solito, ad Sacristiam pergunt.

CAPUT XXV.

DE ABSOLUTIONE AD PANNUM
POST MISSAM PONTIFICALEM DE REQUIE
AD FALDISTORIUM

1143. — I. - DE EPISCOPO. — Episcopus, recitato Evangelio S. Ioannis, mitram accipit et Evangelium proseguens procedit ad Faldistorium; recitatione completa, paramenta missalia usque ad stolam exclusive deponit; pluviale, formale et mitram accipit. Dum Responsorium repetitur, imponit et benedicit incensum, dein surgit et statim, retinens mitram, per brevioram viam ascendit ad medium Altaris; repetito Responsorio, mitram dimittit et post ultimum *Kyrie*, facie ad Altare versa, dicit: *Pater noster*, tum reverentiam Altaris Cruci peragit, se convertit ad Pannum, quod ter aspergit, scilicet in medio, a sinistris et dextris suis, atque eodem modo thurificat. Reddito thuribulo Diacono, versus ad Pannum, iunctis manibus, ex libro dicit Versiculos et Orationem; qua absoluta, dicens: *Requiem aeternam* etc., producit signum Crucis super Pannum. Decantatis a Choro verbis: *Requiescat in pace*, mitram accipit et ad Faldistorium revertitur.

II. - DE PRESBYTERO ASSISTENTE. — Presbyter Assistens, quum Episcopus ad Faldistorium pervenerit, pergunt ad suum scamnum ubi sedet usque ad: *Kyrie*; Absolutione impertita, procedit ad Sacristiam capitularem, ubi pluviale deponit; habitu canonicali reasumpto, ad Chorum revertitur et se aliis Canonicis conformat.

III. - DE DIACONO ET SUBDIACONO. — Incepto Evangelio S. Ioannis, **Diaconus** mitram Episcopo imponit et ad eiusdem dexteram procedit ad Faldistorium; **Subdiaconus** vero ad sinistram Episcopi incedit. Ad Faldistorium **Ministri sacri** manipulos deponunt, dein **Diaconus** Episcopo mitram aufert; **ambo** adiuvant Episcopum in deponendis paramentis Missae usque ad stolam exclusive et in assumendo pluviali ac formali; **Diaconus** mitram ei imponit, deinde uterque ad scamnum procedit, ubi sedet; dum Responsorium repe-

titur, surgit et ad Faldistorium accedit; **Diaconus** ministrat naviculam more solito, ac postea **ambo** elevant pluvialis fimbrias Episcopi et cum eo ad medium Altaris, per brevioram viam, pergunt, ubi consistunt, facie ad Altare versa. Responsorio repetito, **Diaconus** mitram Episcopo aufert; decantatis ab Episcopo verbis: *Pater noster*, **sacri Ministri** loca permutant et cum Episcopo ad Pannum se convertunt, **Diaconus** ministrat aspersorium et thuribulum. **Ambo** in eodem loco consistunt, sustinentes pluvialis fimbrias, dum Episcopus dicit Versiculos et Orationem. Decantatis verbis: *Requiescat in pace*, **Diaconus** mitram Episcopo imponit; **ambo** cum eodem Episcopo ad Faldistorium procedunt eumque exuunt (v. n. 923 et 937).

IV. - DE MINISTRO MITRAE. — Postquam Episcopus pluviale et formale acceperit, Minister Diacono mitram porrigit, quam ab eodem recipit, repetito Responsorio. Decantatis verbis: *Requiescat in pace*, Minister iterum Diacono mitram tradit quam ab eodem recipit postquam Episcopus in Faldistorio sederit.


V. - DE MINISTRIS LIBRI ET CANDELAE DEQUE CEROFERARIIS. — Thurificato Panno, **Ministri libri** et **candelae** ex abaco sumunt librum et candelam, interim **Ceroferarii** candelabra accipiunt; **omnes** una simul pergunt cum consuetis genuflexionibus ad Altare; **Ministri libri** et **candelae** accedunt ad Episcopum, **Ceroferarii** consistunt ante infimum gradum.

Oratione completa, **Ministri de libro** et **de candela** descendunt in planum, et una cum **Ceroferariis** ad abacum revertuntur.

VI. - DE THURIFERARIO DEQUE MINISTRO AQUAE BENEDICTAE. — Dum repetitur Responsorium, **Thuriferarius** accedit ad Faldistorium pro incensi ministracione; tradita Diacono navicula, profunde inclinatus praesentat thuribulum. Thure benedicto, una cum **Ministro de aqua benedicta** se confert ad cornu Evangelii. Decantatis ab Episcopo verbis: *Pater noster*, **Minister de aqua benedicta** ascendit ad dexteram Diaconi; Panno asperso, recipit aspersorium, de Altari descendit dum ascendit **Thuriferarius** ad dexteram Diaconi, cui thuribulum tradit. Recepto thuribulo, de Altari descendit.

VII. - DE CETERIS MINISTRIS INFERIORIBUS. — **Duo Clerici**, cum Episcopus accedit ad Faldistorium post Missam, extendunt Pannum ante Altare. **Quatuor Clerici** accedunt ad Sacristiam, intorticia accipiunt, ad Altare revertuntur et se collocant ad quatuor angulos Panni, facie ad Altare versa. Absolutione completa, **Clerici intorticia** deferentes ad Sacristiam redeunt, **duo alii** Pannum amovent.

1144. — Dispositio ad Absolutionem super Pannum.



I, II, III, IV indicant loca Clericorum intorticia deferentium.

CAPUT XXVI.

DE ABSOLUTIONE AD PANNUM
POST MISSAM PONTIFICALEM DE REQUIE AD FALDISTORIUM
AB EPISCOPO ORDINARIO IMPERTIENDA
PRAESENTE S. R. E. CARDINALI

1145. — Omnes se gerunt ut in praecedenti Capite, sed advertant ad sequentia.

I. - DE EPISCOPO. — Ordinarius postquam imposuerit et benedixerit incensum, surgit cum mitra et ascendit per brevioram viam ad cornu Epistolae ibique ante librum apertum sistit. Repetito Responsorio a Choro, mitram dimittit et post ultimum *Kyrie*, stans ante librum, dicit: *Pater noster*, ac postea inter sacros Ministros ad medium Altaris procedit; Cruci reverentia peracta, ad Pannum se vertit et se ut supra gerit. Completa thurificatione, ad librum in cornu Epistolae se confert, ubi dicit Versiculos et Orationem; qua

completa, dicit: *Requiem aeternam* etc., faciens signum Crucis super librum ut ad Introitum in Missa de Requite. Decantatis a Cantoribus verbis: *Requiescat in pace*, mitram accipit et ad Faldistorium redit.

II. - DE PRESBYTERO ASSISTENTE. — Cum Episcopus Ordinarius incensum benedixerit, ascendit ad Altare et consistit ad dexteram ipsius Episcopi ad librum in cornu Epistolae. Quum Episcopus ad medium Altaris se confert, ipse in eodem loco consistit, facie ad cornu Evangelii versa. Ad Versiculos et ad Orationem assistit ut ad Orationes in Missa. Decantatis verbis: *Requiescat in pace*, ad Faldistorium procedit ante Episcopum et se ut supra gerit.

III. - DE MINISTRIS SACRIS. — Postquam Episcopus incensum benedixerit, Ministri sacri accedunt ad Altare cum eodem Episcopo et ad eius latera, sed aliquantulum retro, consistunt, elevantes pluvialis fimbrias, ac se gerunt ut supra; ad medium autem se conferunt, decantatis ab Episcopo verbis: *Pater noster*, atque, Panno thurificato, ad librum in cornu Epistolae revertuntur.

IV. - DE MINISTRIS INFERIORIBUS. — **Minister libri** et **Ceroferarii** non accedunt ad Altare.

CAPUT XXVII.

DE ABSOLUTIONE AD TUMULUM
POST MISSAM PONTIFICALEM DE REQUIE
AD FALDISTORIUM

1146. — Omnes se gerunt more solito, sed Episcopus ad Tumulum procedit inter **Presbyterum Assistentem** et **Diaconum** qui incensum ministrat; **Subdiaconus** vero defert Crucem processionalem. **Presbyter Assistens** dum Episcopus aspergit et thurificat Tumulum perstat suo in loco.

1147. — Praesente S. R. E. Cardinali, **Canonici** et **alii chorales** non accedunt ad Tumulum, sed suis in locis consistunt; **Canonici** sedere possunt usque ad ultimum: *Kyrie*.

CAPUT XXVIII.

DE MISSA SOLEMNI DE REQUIE
CUM ASSISTENTIA
EPISCOPI ORDINARIII CAPPA VEL PLUVIALI INDUTI

ARTICULUS I.

De iis quae praeparanda sunt.

1148. — I. - IN SACRISTIA CAPITULARI. — Omnia ut sub n. 1313, I notavimus.

II. - IN SACRISTIA MAIORI. — Thuribulum cum navicula; vasculum aquae benedictae cum aspersorio.

III. - AD ALTARE MAIUS. — Omnia ut sub n. 1094, III diximus. Super Altaris mensam disponuntur Episcopi paramenta nigri coloris, scilicet: pluviale, stola, cingulum, alba, amictus; formale simplex in lance; in cornu Evangelii collocatur mitra simplex. Paramenta cooperiuntur velo nigri coloris.

Ante Altare statuitur Faldistorium cum pulvinis violacei coloris.

IV. - SUPER ABACUM. — Omnia pro Missa solemni de Requite (v. n. 1313, IV) praeterea Missale et palmatoria cum candela pro Episcopo, lanx pro Cruce pectorali; liber cum Ritu Absolutionis.

V. - IN CORNU EVANGELII. — Thronus ut sub n. 1094, V notavimus.

VI. - IN CORNU EPISTOLAE. — Scamnum pro Celebrante et sacris Ministris, vel nudum, vel panno violaceo contactum.

VII. - AD ALTARE SS. SACRAMENTI. — Paratur genuflexorium cum strato et pulvinis violacei coloris.

Sex cerei super Altare accenduntur.

Si in Choro candelarum distributio facienda est intra Missam, candelae sint albi coloris, ponderis proportionalis quod relationem habeat cum iis quibus distribuuntur.

Si Absolutio impertienda est, praeparatur intorticiam pro Episcopo.

ARTICULUS II.

De Episcopo assistente Missae solemni de Requite.

1149. — Episcopus, more solito, procedit ad Ecclesiam (v. n. 529). Si paratus assistat, dimissa Cruce pectorali, et cappa, accipit amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, stolam, pluviale, formale et mitram simplicem.

Ad nutum Caeremoniarum, procedit ad Altare absque baculo, non benedicens, et se gerit more solito, sed Psalmum 42: *Iudica* etc. omittit et dum in Sede legere incipit Introitum non signat seipsum, sed Crucis signum versus Missale facit.

Dum Celebrans dicit: *Dominus vobiscum*, ante Orationem, ad Faldistorium procedit. Si paratus, mitram dimittit et ad: *Oremus* genuflectit. Oratione completa, surgit, mitram accipit, si eam dimiserit, et ad Thronum revertitur.

Cantata a Subdiacono Epistola, statim eam et reliqua, more solito, legit. Dum a Choro canitur Versus Sequentiae: *Recordare, Iesu pie*, si paratus caput inclinatur; si vero cappa sit indutus, caput detegit et inclinatur ad verbum: *Iesu*. Similiter se gerit dum canitur Versus: *Pie Iesu Domine* ad verbum: *Iesu*. Ad cantum Evangelii consistit iunctis manibus.

Lecto Offertorio, imponit et benedicit incensum, more solito, dicens: *Per intercessionem* etc. Cum Diaconus ad Thronum accedit, Episcopus, detecto capite, surgit et a Presbytero Assistente thurificatur, sed eum non benedicit.

Recitato: *Sanctus* etc., si paratus, mitram accipit, cum suis Assistentibus procedit ad Faldistorium ubi permanet usque ad: *Pax Domini* etc., inclusive, ac postea surgit, genuflectit, unico genu (D. 4135 ad 3); acceptis pileolo et mitra ad Thronum revertitur, quo cum pervenerit sedet, mitram ac pileolum dimittit (D. 2895 ad 3), vel potest etiam pileolum retinere, si consuetudo adsit (D. 3188), surgit et cum suis Assistentibus recitat: *Agnus Dei* etc.

Sumpto a Celebrante pretioso Sanguine, Episcopus accipit pileolum si illud dimiserit et legit Antiphonam «*Communio*» dictam, dein sedet et mitram vel biretum accipit. Dum Celebrans dicit: *Dominus vobiscum*, ante Orationem «*Postcommunio*» dictam iterum ad Faldistorium redit et se gerit ut ad Orationem ante Epistolam. Oratione absoluta, ad Thronum revertitur et ad recitationem Evangelii S. Ioannis consistit, iunctis manibus; ad: *Et Verbum caro* etc., genuflectit in pulvino.

1150. — Evangelio completo, si ipse Absolutionem impertiatur et cappa tantum sit indutus, tunc Crucem et cappam deponit, assumit amictum, Crucem, stolam, pluviale, formale atque mitram simplicem et se gerit ut supra (v. n. 1141 vel 1142) notavimus.

Si vero Absolutio impertiatur a Canonico Celebrante, Episcopus imponit et benedicit incensum dum repetitur Responsorium. Ad: *Kyrie*, surgit, detecto capite, et perstat usque ad Orationem inclusive.

ARTICULUS III.

De Presbytero Assistente deque Diaconis Assistantibus ad Missam solemnem de Requie cum assistentia Episcopi.

1151. — I. - DE PRESBYTERO ASSISTENTE. — Presbyter Assistens, usque ad Orationem ante Epistolam inclusive, se aliis Canonicis conformat. Quum Episcopus, absoluta Oratione, Thronum ascenderit, et ipse ad Thronum accedit, ubi in scamno sedet et se gerit more solito. Ad Offertorium naviculam ministrat, absque osculis; Episcopum terthurificat ac postea ad Chorum redit et se aliis Canonicis conformat.

Si Absolutio fiat sive ab Episcopo, sive a Canonico Celebrante, dum a Choro canitur: *Requiem aeternam* etc., post Responsorium, accedit ad Thronum, naviculam ministrat. Si Absolutio ab Episcopo impertiatur, ministrat etiam aspersionem et thuribulum; ante suum scabellum perstat usque ad Absolutionis finem; alias, incenso imposito et benedicto, revertitur ad Chorum.

II. - DE DIACONIS ASSISTENTIBUS. — **Diaconi Assistantes** more solito se gerunt, mutatis et omissis illis quae ad Missam de Requie non conveniunt. Decantato a Choro ultimo *Kyrie*, surgunt; dum Celebrans dicit: *Dominus vobiscum*, cum Episcopo de Throno descendunt et ad Faldistorium procedunt; ibi, si Episcopus sit paratus, **Diaconus secundus** ei aufert mitram, dein **ambo** ad Faldistorii latera genuflectunt. Oratione absoluta, surgunt et **Diaconus primus** mitram Episcopo imponit ac postea **uterque** ad Thronum revertitur. Dum a Choro canitur Versus Sequentiae: *Recordare, Iesu pie*, ad verbum: *Iesu*, caput detegunt et inclinant; similiter se gerunt dum canitur Versus: *Pie Iesu Domine*, ad verbum: *Iesu*. Recitato cum Episcopo: *Sanctus* etc., iterum ad Faldistorium procedunt et se ut supra gerunt, sed genuflexi permanent usque ad: *Pax Domini* etc. inclusive, et ita se gerunt ad Orationem « *Postcommunio* » dictam.

Si Absolutio ab Episcopo impertiatur et ille Missae cappa indutus astiterit, tunc, completo Evangelio S. Ioannis, illum adiuvant in

cappa deponenda atque in assumendis paramentis, ac postea sedent, vel ad Tumulum procedunt et se gerunt ut sub n. 1119, III.

Si Absolutio impertiatur ad Pannum, Episcopo parato, sedent donec Presbyter Assistens accedat ad Thronum pro incensi ministracione et se more solito gerunt.

ARTICULUS IV.

De Celebrante deque sacris Ministris in Missa solemni de Requie coram Episcopo cappa vel pluviali induto.

1152. — I. - DE CELEBRANTE. — Celebrans se gerit ut in Missa solemni coram Episcopo, mutatis et omissis quae ad Missam solemnem de Requie non conveniunt. Recitat Orationem: *Deus, qui humanae* etc.

Si Absolutio ab Episcopo impertiatur, tunc, recitato Evangelio S. Ioannis, procedit ad Sacristiam. Si vero Episcopus Absolutionem non faciat, Celebrans se gerit ut in Capite XXXV huius Partis, sed non imponit, nec benedicit incensum (Caer. Ep. L. II, cap. XXXVII, n. 3).

II. - DE DIAcono ET SUBDIAcono. — **Hi Ministri** quoque se gerunt ut in Missa solemni coram Episcopo, mutatis et omissis quae ad Missam solemnem de Requie non conveniunt.

Thurificato Celebrante, **Diaconus** statim thuribulum tradit Thuriferario.

Si post Missam Absolutio ab Episcopo impertiatur ad Pannum, **Diaconus** et **Subdiaconus** procedunt ad Sacristiam cum Celebrante; si ad Tumulum, tunc **Subdiaconus** defert Crucem et **Diaconus** pergit ad Sacristiam cum Celebrante.

Si vero Celebrans Absolutionem ad Pannum impertiat, tunc, more solito, assistunt, sed **Diaconus** naviculam non ministrat.

ARTICULUS V.

De Canonicis deque Choro ad Missam solemnem de Requie coram Episcopo.

1153. — **Canonici et alii Chorales** se gerunt more solito (v. n. 988), sed in hac Missa Circuli non fiunt (Caer. Episc. L. I, cap. XXI, n. 6). Ad Orationem ante Epistolam genuflectunt. Dum a Cantoribus canitur Versus: *Recordare, Iesu pie*, ad verbum: *Iesu*, caput detegunt et inclinant; similiter se gerunt ad Versum: *Pie Iesu Domine*, dum canitur verbum: *Iesu*. Recitato: *Sanctus* etc., genuflectunt et sic permanent usque ad: *Pax Domini* etc. inclusive. Genuflectunt etiam ad Orationem « *Postcommunio* » dictam.

ARTICULUS VI.

De Ministris inferioribus ad Missam solemnem de Requie coram Episcopo.

1154. — I. - DE MINISTRIS LIBRI ET CANDELAE. — Hi Ministri accedunt ad Episcopum: I. post Confessionem ad Introitum legendum; II. cantata a Subdiacono Epistola; III. decantato a Celebrante: *Dominus vobiscum*, ante Offertorium; IV. dum Celebrans digitorum ablu-tionem sumit. Si Absolutio ab Episcopo impertiatur se gerunt ut sub n. 1140, I vel 1142 notavimus.

II. - DE MINISTRO MITRAE. — Si Episcopus paratus Missae assistat, Minister mitrae eam

primo Diacono porrigit:
assumpto ab Episcopo pluviale;

facta ab Episcopo Confessione;

cum Episcopus sederit, recitato:
Kyrie;

surgente Episcopo post Orationis
cantum;

lecto ab Episcopo Offertorio;

recitato: *Sanctus*, etc.;

decantatis a Celebrante verbis:
Pax Domini etc.;

Pretioso Sanguine sumpto;

Oratione « *Postcommunio* » dicta
absoluta.

a secundo Diacono recipit:

cum Episcopus ante infimum Al-
taris gradum pervenerit;

cum Episcopus ad Thronum per-
venerit;

cum ante Faldistorium pervene-
rit ante Orationem;

ante Evangelii cantum;

ante Praefationis cantum;

cum Episcopus ante Faldisto-
rium pervenerit;

cum ad Sedem Episcopus per-
venerit;

cum ad Faldistorium pervene-
rit ante Orationem « *Postcom-
munio* » dictam;

Episcopo ad Thronum reverso.

Quum Episcopus genuflectit in Faldistorio, Minister de mitra genu-
flectit ad dexteram Diaconi primi, sed aliquantulum retro.

Si Absolutio ab Episcopo impertienda est, tunc se gerit ut sub
n. 1140, II notavimus.

III. - DE THURIFERARIO, DE MINISTRO AQUAE BENEDICTAE DEQUE
CEROFERARIIS. — **Thuriferarius** se gerit more solito, ut ad Missam
solemnem de Requie (v. Art. II Cap. XXXV), sed, lecto ab Epi-
scopo Offertorio, ad Thronum accedit pro ministracione incensi.

Si Absolutio facienda est ab Episcopo, se gerit ut diximus sub
n. 1140, IV, ad quintam Absolutionem, vel ut sub n. 1142; si vero
Celebrans Absolutionem impertiat, pro ministracione incensi pa-
riter accedit ad Episcopum ac postea ad Altare procedit et se gerit
ut sub n. 1330.

Minister aquae benedictae se gerit ad Absolutionem ut diximus
sub n. 1140, IV, ad quintam Absolutionem, vel ut sub n. 1142.

Ceroferarii se gerunt ut in aliis Missis solemnibus de Requie.

CAPUT XXIX.

DE MISSA PONTIFICALI DE REQUIE
AD FALDISTORIUM EPISCOPO ORDINARIO CELEBRANTE
CORAM S. R. E. CARDINALI

ARTICULUS I.

De iis quae praeparanda sunt.

1155. — I. - IN SACRISTIA MAIORI, IN SACRISTIA CAPITULARI ET
IN SACRISTIA ALTARI MAIORI CONTIGUA omnia quae notavimus
respective sub n. 1094, I, II, VIII.

II. - AD ALTARE MAIUS. — Circa Altaris ornatum iam diximus
sub n. 1094, III, super eius mensam disponuntur Episcopi para-
menta.

III. - SUPER ABACUM. — Praeter ea quae sub n. 1094, IV nota-
vimus ponitur Missale pro S. R. E. Cardinali.

IV. - IN CORNU EVANGELII. — Thronus exornatus ut sub n. 1094, V
diximus, sed in eius plano non statuuntur scabella pro Assistentibus;

apud infimum gradum, ad dexteram Cathedrae, collocatur scabellum pro Caeremoniario Emi Cardinalis; congruo in loco ponatur pulvinar violacei coloris.

V. - IN CORNU EPISTOLAE. — Omnia ut sub n. 1005, V diximus.

VI. - ANTE ALTARE. — Collocatur Faldistorium cum pulvinis violacei coloris et ad eius sinistram, sed aliquantulum retro, pulvinar pariter violacei coloris pro Episcopo Ordinario.

VII. - AD ALTARE SS. SACRAMENTI. — Omnia quae sub n. 1005, VIII diximus; stratum et pulvinaria genuflexorii tam pro Emo Cardinali quam pro Episcopo Ordinario erunt violacei coloris.

ARTICULUS II.

De S. R. E. Cardinali Missae pontificali de Requie assistente, Episcopo Ordinario celebrante ad Faldistorium.

1156. — Emus Cardinalis accedit ad Ecclesiam cum suis Familiaribus immediate ante Missam pontificalem, etiamsi Episcopi Ordinarii hospitio fruatur, et a Canonicis excipitur.

Brevi oratione in Faldistorio, ante Altare maius, facta, surgit et reverentiae Ordinarii respondet atque ad Thronum procedit. Quum Episcopus Missam inchoat, Emus Praelatus, stans in Sede cum suis Cappellanis Confessionem recitat; qua absoluta, dum Ordinarius Introitum legit et ipse legit Introitum, faciens signum Crucis versus Missale recitans: *Requiem aeternam* etc.; cum suis Cappellanis recitat: *Kyrie* etc.; quibus completis, ut alias sedet, tecto capite. Dum Ordinarius dicit: *Dominus vobiscum*, ante Orationem, detecto capite, ad Faldistorium procedit et ad: *Oremus*, genuflectit. Oratione absoluta, surgit et ad Thronum revertitur. Cantata a Subdiacono Epistola, statim eam et reliqua, more solito, legit.

Dum a Choro canitur Versus Sequentiae: *Recordare, Iesu pie*, Emus Praelatus ad verbum: *Iesu*, caput detegit et inclinat; pariter se gerit, dum canitur Versus: *Pie Iesu Domine*, ad verbum: *Iesu*.

Ad cantum Evangelii consistit, iunctis manibus. Lecto Offertorio, sedet et caput tegit, quod aperit cum Diaconus ad Thronum accedit pro thurificatione; qua accepta, Diaconum non benedicit ac postea sedet. Dum Praefatio inchoatur surgit, detecto capite; recitato cum suis Cappellanis: *Sanctus* etc., ad Faldistorium procedit, ubi genuflexus permanet usque ad: *Pax Domini* etc. inclusive, ac postea ad Thronum revertitur, ubi cum suis Cappellanis recitat: *Agnus Dei* etc.

Quum Ordinarius dicit: *Dominus vobiscum*, ante Orationem dictam «*Postcommunio*», ad Faldistorium procedit et se gerit ut ad Orationem ante Epistolam; qua absoluta, ad Thronum revertitur. Ad recitationem Evangelii S. Ioannis consistit, iunctis manibus; ad: *Et Verbum caro* etc., genuflectit in pulvino.

1157. — Completa Evangelii recitatione, si Absolutionem ipse impertit, et hoc accidit tantum in casibus allatis (v. n. 1117) in Decreto S. C. Caeremonialis diei 30 Maii 1902 quod confirmatum est per Decretum eiusdem Congregationis, die 2 Decembris 1930, se gerit ut sub n. 1119, I, ad quintam Absolutionem, vel sub n. 1141.

Si Absolutio vero impertiatur ab Episcopo Ordinario sive ad Pannum sive ad Tumulum, in media Ecclesia, Emus Cardinalis in Throno permanet et sedet usque ad Responsorii repetitionem inclusive; Oratione absoluta, iterum sedet.

ARTICULUS III.

De Episcopo Ordinario Missam pontificalem de Requie celebrante ad Faldistorium, coram S. R. E. Cardinali.

1158. — Episcopus Ordinarius, etiamsi Emus Cardinalis eius fruatur hospitio, procedit ad Ecclesiam ut alias, nam non convenit ut Emus Praelatus diu in Sede permaneat ante Missae initium.

Brevi oratione in pulvino, super infimum Altaris gradum collocato, facta, procedit ad Faldistorium in cornu Epistolae ubi legere potest, nisi memoria teneat, Orationes ad paramenta, illis exceptis quae caligas et chirothecas respiciunt (v. n. 853).

1159. — Emo Praelato in Presbyterium ingrediente, Ordinarius surgit cum mitra; cum Emus Cardinalis ad Thronum accedit, ille ad Altare procedit et se gerit ut sub n. 1097 diximus circa ea quae ad Missam pontificalem de Requie pertinet, sub n. 1016 pro caeremoniis spectantibus ad Missam pontificalem ad Faldistorium.

1160. — Si Absolutio impertiatur ab Emo Cardinali (v. n. 1117), completa recitatione Evangelii S. Ioannis, Episcopus Ordinarius cum suis Assistentibus, peracta reverentia Altari et Praelato, ad Sacristiam capitularem procedit, ubi paramenta dimittit; cappam atque Crucem pectoralem reassumit. Precibus in gratiarum actione post Missam recitatis, ad Altare maius revertitur; postquam Emus

Praelatus, cappa et Cruce pectorali reassumptis, ad Faldistorium procedit, ipse in pulvino ad sinistram Faldistorii genuflectit; surgente Emo Cardinali, et ipse surgit atque ad eius sinistram incedit et licet cappam induat, tamen, reverentiae causa, eam explicare nequit.

1161. — Si vero Ritus cum quinque Absolutionibus peragatur, tunc Episcopus Ordinarius, recitato Evangelio S. Ioannis, ad Faldistorium paramenta missalia usque ad albam inclusive dimittit, Crucem pectoralem et stolam reassumit, pluviale et mitram accipit, ac postea ad locum qui ei competit, iuxta ordinem praecedentiae, se confert inter alios Absolventes, ut sub n. 1120 iam diximus.

ARTICULUS IV.

De Presbytero Assistente, de sacris Ministris, de Caeremoniario deque Ministris inferioribus ad Missam pontificalem de Requie ad Faldistorium, celebrante Episcopo Ordinario coram S. R. E. Cardinali.

1162. — I. - DE PRESBYTERO ASSISTENTE. — Presbyter Assistens cum ceteris Canonicis procedit ad associandum Episcopum, more solito (v. n. 522-524), dein se gerit ut sub n. 1100 et seqq. diximus circa ea quae pertinent ad Missam pontificalem de Requie et sub n. 1019 et seqq. pro caeremoniis respicientibus Missam pontificalem ad Faldistorium.

Si Absolutio impertiatur ab Emo Cardinali, tunc Presbyter Assistens, Missa absoluta, procedit cum Celebrante et sacris Ministris ad Sacristiam capitularem, ubi pluviale et amictum deponit. Si vero Ritus cum quinque Absolutionibus peragatur, tunc, postquam Episcopus celebrans missalia paramenta deposuerit et pluviale necnon mitram acceperit, ad Sacristiam capitularem pergat.

II. - DE DIACONO ET DE SUBDIACONO. — **Hi Ministri**, dum Canonici pergunt ad associandum Episcopum, paramenta assumunt; ante adventum ipsius Episcopi ad Altare accedunt, et super scamnum sedent.

Episcopo adveniente, surgunt, se ei inclinant ac postea cum ille ad Faldistorium accedit et ipsi accedunt ac se gerunt ut sub n. 1106 notavimus circa ea quae pertinent ad Missam pontificalem de Requie et sub n. 1022 et seqq., 1027 et seqq. respective pro caeremoniis respicientibus Missam pontificalem ad Faldistorium.

Si Absolutio impertiatur ab Emo Cardinali, tunc postquam Episcopus recitaverit Evangelium S. Ioannis, **Diaconus** cum eodem Episcopo et Presbytero Assistente procedit ad Sacristiam capitularem; **Subdiaconus** defert Crucem.

Si vero Ritus cum quinque Absolutionibus peragatur, **Diaconus** et **Subdiaconus** ad Faldistorium procedunt; manipulis depositis, exiunt Episcopum Missae paramentis usque ad albam inclusive, deinde **ambo** se gerunt ut sub n. 1119, IV.

III. - DE CAEREMONIARIO PRIMO. — Si post Missam pontificalem Absolutio impertiatur ab Emo Cardinali, Caeremoniarius ducit Episcopum celebrantem ad Sacristiam capitularem.

Si Ritus cum quinque Absolutionibus peragatur, Caeremoniarius praemoneat Ministros de mitra et de candela designatos pro Episcopo Ordinario ut, recitato Evangelio S. Ioannis, ad Faldistorium accedant cum pluviali, stola et candela. Ipse Caeremoniarius Episcopo imponit Crucem pectoralem et induit eum stola ac pluviali. Episcopum praemoneat ut mitram sibi imponat, ac postea ducit eum ad suum locum, iuxta ordinem praecedentiae, inter Praelatos Absolventes.

IV. - DE MINISTRIS INFERIORIBUS. — **Ministri inferiores** se gerunt ut diximus respective suis in locis in Art. VIII Capitis XX circa ea quae spectant ad Missam pontificalem de Requie et in Art. X Cap. VII pro caeremoniis respicientibus Missam pontificalem ad Faldistorium.

Circa Missam pontificalem de Requie ad Thronum vel ad Faldistorium, Episcopo Ordinario celebrante coram Metropolita; Missam pontificalem de Requie Metropolita celebrante, praesente Episcopo Ordinario; necnon Missam pontificalem de Requie ad Faldistorium cum Assistentia Episcopi Ordinarii cappa induti; tandem circa Missam pontificalem de Requie ad Thronum vel ad Faldistorium, celebrante Episcopo extraneo, consule quod diximus respective in Capitibus IX, X, XII, XIII et XIV huius Partis, mutatis et omissis quae ad Missam pontificalem de Requie non conveniunt.

CAPUT XXX.

DE MISSA SOLEMNI ABSENTE EPISCOPO ORDINARIO

ARTICULUS I.

De iis quae praeparanda sunt.

1163. — I. - IN SACRISTIA CAPITULARI. — Super mensam digniorem, pro Canonico celebrante praeparantur: amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, planeta; pro sacris Ministris: duo amictus ac totidem albae cum cingulis, dalmatica et tunicella, duo manipuli et stola pro Diacono.

Diebus vero Dominicis, ob aspersionem aquae benedictae, loco planetae et manipuli, pro Canonico celebrante paratur pluviale et non collocantur manipuli pro Ministris.

Omnia paramenta, plus minusve nobilia, iuxta solemnitatem, coloris Missae congruentis erunt.

Super aliam mensam duo candelabra cum candelis pro Ceroferariis.

II. - IN SACRISTIA MAIORI. — Super consuetam mensam: superpellicea pro Caeremoniario ac Clericis, thuribulum cum navicula, intorticia pro elevatione; ac, diebus Dominicis, vas aquae lustralis cum aspersorio. Paratur insuper vas cum carbonibus accensis ac forcipe pro usu thuribuli.

III. - AD ALTARE. — Altare erit plus minusve splendide ornatum, prout solemnitatis ratio requirit.

Altari superimponuntur sex candelabra cum Cruce; candelabris interponi possunt, iuxta rationem Officii, vasa cum floribus, vel Sanctorum Reliquiae; adsint quoque tres consuetae tabellae.

Super Altaris mensam ad latus Epistolae ponitur, iuxta Rubricas Missalis Romani, Missale apertum super legile (Rit. cel. Miss. Tit. II, n. 5); sed iuxta plurium locorum consuetudinem, Missale apertum poni potest super abacum.

IV. - IN PLANO PRESBYTERII, a latere Epistolae, adsit abacus, in cuius medio Calix statuitur cum suis ornamentis, videlicet purificatorio, patena, hostia, palla, et, super eodem, bursa cum corporali; prope Calicem collocatur parvum velum complicatum; item ponitur, nisi super Altare adsit, Missale apertum super legile pro Cele-

brante et Missale pro sacris Ministris, pelvicula cum ampullis vini et aquae, linteum ac tintinnabulum, eaque omnia conteguntur velo humerali; Pyxis vero, si opus sit pro Communione, retro collocatur post Calicem.

Quae omnia ita disponuntur ut relinquatur spatium pro collocandis hinc inde Ceroferariorum candelabris.

V. - IN CORNU EPISTOLAE, e regione Throni, paratur scamnum oblongum panno paramentorum coloris contectum pro Celebrante et sacris Ministris (v. n. 400).

ARTICULUS II.

De quibusdam generalibus animadversionibus circa Celebrantem et sacros Ministros in Missa solemni.

1164. — In Missa solemni **Celebrans** triplici voce verba pronunciat, nempe in cantu, media voce, et submisse.

I. - In cantu autem Celebrans pronunciat:

1. *Gloria in excelsis Deo; Credo in unum Deum*, quando iis locus est.

2. *Dominus vobiscum* et Orationes ante Epistolam.

3. *Dominus vobiscum* et vocem: *Oremus*, ante Offertorium.

4. Praefationem.

5. *Per omnia saecula saeculorum*, cum: *Pater noster* etc.

6. *Per omnia saecula saeculorum*, cum: *Pax Domini* etc.

7. *Dominus vobiscum*, Orationes et iterum: *Dominus vobiscum*, post Communionem.

Quae omnia semper pronuntianda sunt a Celebrante cum cantu, consuetudine non obstante in contrarium (D. 3104 ad 1).

II. - **Celebrans** media voce profert quae in Missa privata elata voce dicuntur (v. n. 1331, III), sic tamen ut a Ministris intelligantur. Benedictio tamen in fine Missae, voce intelligibili profertur (Rit. cel. Miss., Tit. XII, n. 7).

III. - Celebrans quidquid in Missa privata profert submisse, eadem voce pronunciat.

1165. — Quum **Celebrans** (idem dicitur de **Diacono** et **Subdiacono**, quibus vocibus hic **sacri Ministri** innuuntur) transiens ante personas inclinare se debet, regulam servat a Caeremoniali Episcoporum traditam (Lib. I, c. XVIII, n. 13), nempe « Cum aliquis ex Canonicis,

vel Ministris transeundo ante Celebrantem, Altare et Episcopum, vel aliquem maiorem, facturus erit plures reverentias, ... inspicitur tantum commoditas gradientis... et reverentia fieri debet semper primo ei, a quo disceditur, et ultimo ei, ad quem itur, nullo habito respectu, quis eorum sit maior». Propterea si eundo ad Altare transeat v. gr. ante Chorum, reverentiam faciet (capite iugiter detecto) primo iis qui sunt ipsi viciniore, dehinc remotioribus, ac ultimo Altari. Contra, discedendo ex Altari, reverentiam exhibet primum Altari, tum illis de Choro qui sunt viciniore, ultimo remotioribus. Rursum quando accedit ad Altare, vel ex eo recedit, aut ante ipsum transit, profunde se tantum inclinatur, nisi adsit SS. Sacramentum; tunc enim genuflectit.

1166. — **Ministri sacri** cum e Sacristia ad Altare pergunt et viceversa, **unus** post **alium** procedere debent. Quando vero Celebrans est pluviali indutus, **Ministri** procedunt hinc inde a latere eius, cui anteriorem pluvialis fimbriam elevant. Si egressus angustior occurrit, incedunt **unus** post **alium**, ita ut **Subdiaconus Diaconum** praecedat, et **Diaconus** Celebrantem.

1167. — In toto Missae decursu manus ante pectus iunctas tenent, nisi actione impediatur vel sedeant. Item nunquam manus super Altare ponunt, ne quidem dum genuflectunt; et cum aliquid una manu operantur, alteram pectori admovent.

Sacri Ministri in actionibus communibus, quoad fieri potest, quamdam inter se servabunt conformitatem, adeo ut una simul genuflectant, surgant, se inclinent, se signent etc.

1168. — Quoties ab uno gradu ad alterum, licet proximum descendere opus est, id caveant ne retrocedant, quod est indecorum; sed conversi ad dexteram vel sinistram, iuxta diversos casus, descendunt versus locum, ad quem accedere debent.

1169. — **Celebrans** medius inter **Ministros sacros** assidere potest, dum canuntur: *Kyrie, Gloria, Credo* (Rubr. Gen. Miss. Tit. XVII, n. 6) et si tempus concedit, sedere licet dum cantatur Epistola a Subdiacono et a Cantoribus Graduale, Tractus ac Sequentia (D. 9 ad 6), necnon si post Evangelium sermo habeatur.

Ad sedendum **Celebrans** et **Ministri sacri**, detecto capite pergere debent, ac ita ad Altare regredi (DD. 1563 ad 1; 2684 ad 13). Item ad scamnum per brevioram viam procedere debent, id est e latere Epistolae; atque ad Altare reverti per longiorem, scilicet e plano Presbyterii ad medium Altaris.

Cum sedendum est, primum sedet **Celebrans**, dehinc **Ministri**, postea caput cooperiunt. Quum porro est surgendum, prius caput detegunt, dein assurgunt, et quidem **Ministri** ante **Celebrantem**. Rursum si **unus Minister** surgit, aliquid proprii muneris acturus, surgit et **alter**, ac consistit, aperto capite, donec socius redierit.

1170. — **Diaconus** et **Subdiaconus** tenentur se Celebranti conformare quotiescumque hic se signat, vel inclinatur, tempore quo aliquid cantat, vel clara, aut submissa voce, profert iuxta Rubricas, quod ad Secreta non pertineat: nempe ad Confessionem, ad Introitum, ad *Gloria* et *Credo*, ad Epistolam et Graduale, ad Evangelium, ad *Sanctus* et *Benedictus*, excepto quando Celebrans recitat *Confiteor*, et etiam excepto **Subdiacono** Patenam sustinente ad *Benedictus* (D. 4057 ad 5). Respondendo verba simul pronuntient ac utantur voce uniformi, demissiori tamen quam illa Celebrantis.

Demum quacumque vice Celebrans ascendit ad Altare, **sacri Ministri**, a suo quisque latere, paullum eidem elevabunt anteriorem vestis fimbriam.

1171. — Quoties **sacri Ministri** aliquid offerunt Celebranti, rem osculantur quam porrigunt et manum Celebrantis; cum vero aliquid ab eodem recipiunt, primo manum, dehinc rem deosculantur, praeterquam in Missa ac Functionibus Defunctorum, nec non in Missa Praesantificationum, Feria VI in Parasceve, in quibus eiusmodi deosculatio omittitur. In Missa porro ac Functionibus coram SS.mo Sacramento exposito, illa dumtaxat praetermittuntur oscula quae fiunt ob specialem Celebrantis reverentiam, minime vero quae ad Ritus solemnitatem pertinent. Eapropter **Diaconus** ex. gr. praebens Celebranti, vel ab eo recipiens, aspersionem, cochlear, thuribulum aut quid simile, semper oscula omittit tam manus quam rei; sed minime osculari omittit manum Celebrantis, accepta benedictione ante Evangelium, neque Patenam, Calicem ac iterum manum Celebrantis ad Offertorium, nec rursus Patenam et manum sub finem Orationis Dominicae; quod oscula haec non sint actus mere reverentiales, sed proprie spectent ad Ritus Missae sollemnis.

1172. — Regulae servandae circa genuflexiones quas **Ministri sacri** peragere debent, hae sunt:

I. - Dum ab uno latere Altaris ad aliud transeunt, Sacramento super Altari non extante, **Ministri sacri** semper genuflectunt, et tantum in medio; Sacramento vero extante super Altari, semper et tantum in utroque latere (D. 4027 ad 1).

II. - Dum ab uno latere pergunt in medium vel e medio ascendant ad Altare aut viceversa, Sacramento extante super Altari, semper et tantum genuflectunt in loco e quo recedunt, excepto **Subdiacono**, qui reversus ab incensatione Sacramenti ad elevationem in Missa solemni de Requie, genuflectere debet in medium tantum: Sacramento non extante super Altari, numquam genuflectunt praeter **Subdiaconum**, quando, accepta Patena, vadit post Celebrantem ante medium Altaris, et, facta genuflexione, ibi stat (D. 4027 ad 2 et 3).

III. - Genuflectunt etiam quotiescumque e medio Altaris in Presbyterium vel Chorum recedunt, uti dum pergunt ad sedendum, post: *Gloria* et *Credo* recitata, ad Evangelium canendum, ad Chorum incensandum etc., et cum in similibus casibus ad Altare redeunt.

Quapropter genuflexiones reliquae, quas plerique perficiunt, ut postquam ad Altare (peracta Confessione) conscenderint, post intonationem: *Gloria* et *Credo*, nec non ad: *Sanctus*, antequam ascendunt ad Altare, et similes si modo illas excipias, quas efficit **Subdiaconus** ante et post Epistolam, sunt praetereundae, nisi SS. Sacramentum adsit expositum, utpote a Rubricis nequaquam admissae.

IV. - **Sacri Ministri**, si Canonici, loco genuflexionis, reverentiam peragunt.

ARTICULUS III.

De Celebrante in Missa solemni, absente Episcopo Ordinario.

1173. — Celebrans, hora praestituta, sacra induit paramenta, consuetas recitans Orationes, et caput cooperit.

Deinceps, ad nutum Caeremoniarum, medius inter Diaconum et Subdiaconum profunde se inclinat praecipuae Sacrae Imagini; resalutatis Ministris, illinc egreditur omnium ultimus, capite cooperto, iunctisque manibus. Ad Ecclesiae ingressum (quoties aspersionem locum non habet), paulisper subsistens, aperit caput, digitis dexterae accipit a Diacono aquam benedictam, et se signat; tum caput cooperit, ac suum prosequitur iter.

1174. — Si transierit ante Altare super quo SS. Sacramentum expositum est, detecto capite, utrumque flectit genu, addita mediocri corporis inclinatione (D. 4179 ad 1); si vero SS. Sacramentum in Tabernaculo inclusum est, unum flectit genu; ita se gerit in transitu ante Sanctae Crucis Reliquiam, vel alterius Dominicae Passionis

Instrumenti, publice expositam. Transiens autem ante Altare maius, cum forte Missa solemnis in Altari laterali sit celebranda, ante Reliquias Sanctorum solemniter expositas, ante Praelatos maiores in loco eorum iurisdictionis, detecto capite, profunde se illis inclinat.

1175. — Cum ante infimum Altaris gradum pervenerit, stans inter Diaconum et Subdiaconum caput detegit, biretum Diacono porrigit, ac facta Cruci profunda inclinatione, Missam inchoat recitans Psalmum 42: *Iudica* etc., ac Confessionem faciens alternatim cum sacris Ministris; at dum pronunciat: *Vobis fratres*, et: *Vos fratres*, nec non: *Misereatur vestri*, sese ad illos convertit incipiens a parte Epistolae versus Diaconum.

Dicto *Oremus*, Altaris gradum conscendit, illudque ex more osculatur. Dein ad cornu Epistolae tantillum se vertens, sinistram infra pectus ponit, ac dextera e navicula accipit chochlear, imponit, benedicit incensum et Altare thurificat, se gerens ut diximus de Episcopo sub n. 858 et 859.

Cum Celebrans incensatus fuerit, se volvit ad Missale ac legit Introitum; deinceps, ibidem consistens, alternatim cum Ministris dicit: *Kyrie*, *eleison* etc., nec inde recedit, donec Chorus ultimum ex ipsis canere incipiat. Tunc graditur ad Altaris medium, ubi, completo cantu organoque silente, Hymnum Angelicum intonat, quem una cum suis Ministris ad finem usque perducit, solitas non omittens inclinationes, etc. (v. n. 860).

1176. — Si Celebrans, recitato Hymno, sedere voluerit (quod certe decet), facta in suppedaneo profunda inclinatione Cruci, vel simplici genuflexione SS. Sacramento in Tabernaculo incluso, sequens Diaconum per latus Epistolae ad paratum scamnum progreditur. Ibi medius inter sacros Ministros, assidet, caput cooperit, ac manus super planetam, prope genua, extensas tenet. Dum a Choro illa canuntur verba, vel sub organorum sono recitantur (D. 3457 ad 3), ad quae inclinatio facienda est, caput detegit, ponens biretum ad 3), ad quae inclinatio facienda est, caput detegit, ponens biretum ad 1); prope genu dexterum et capitis inclinationem facit (D. 1563 ad 1); cum postrema decantantur, nempe: *Cum Sancto Spiritu*, ad quae novum Crucis signum minime efficitur, caput, ad nutum Caeremoniarum, detegit, surgit, ac per planum ad Altare se confert; ubi, repetita inclinatione vel genuflexione in infimo gradu (D. 2682 ad 47), suppedaneum conscendit. Haec eadem servabit, si ad *Kyrie* quoque sedendum sit; at tunc ad scamnum pergat, facta Cruci profunda reverentia, quin prius Altaris medium adeat, sedet porro usque ad ultimum *Kyrie*.

1177. — Angelico Hymno decantato, vel, si non sit dicendus, postremo cantato *Kyrie*, Celebrans Altare osculatur, et canit: *Dominus vobiscum*; dein ad cornu Epistolae secedit *Oremus* cantaturus et Orationem, unam vel plures, iuxta Rubricas, cum solitis caeremoniis; sed ad: *Dominus vobiscum*, et ad: *Oremus*, manus lentius extendit ac iungit, adeo ut initio cantus illas extendat, ac in exitu coniungat.

1178. — Quum Subdiaconus Epistolam cantat, eandem Celebrans legit una cum Graduali, Tractu, etc. usque ad: *Munda cor meum* exclusive, ibidem perstans donec ille, cantata Epistola, adveniat.

Si infra Epistolam genuflexio praescripta sit, Celebrans non genuflectit cum Diacono quando verba, quibus genuflexio adnexa est, ipse pronuntiat, sed prosequi debet quin genuflectat donec praedicta verba a Subdiacono cantentur.

Similiter si *Adiuva nos* etc., vel *Veni, Sancte Spiritus* etc. dicendum sit, quae etiam a Choro cantantur, non genuflectit legens dictum Versiculum (D. 4057 ad 6).

1179. — In ora suppedanei ad Epistolae latus, in genua procumbente Subdiacono, se paululum convertit ad ipsum; sinistra super Altare deposita, dexteram super librum extendit, simulque eam Subdiacono deosculandam praebet, cui dehinc signo Crucis benedicit, nihil proferens.

1180. — Si dicenda sit *Sequentia*, Celebrans legit illam solus, non vero alternatim cum Ministris (D. 2956 ad 7). Porro si ad eius cantum sedere velit, statim atque eam legerit, facta Crucis profunda reverentia, graditur, post Diaconum, ad scamnum, quin accedat prius ad medium Altaris. Circa finem *Sequentiae*, ad Caeremoniarum nutum, assurgit, per longiorem viam redit ad Altare, ubi, debita peracta reverentia, illud ascendit, et osculatur; tum, more solito, dicit: *Munda cor meum* etc.

1181. — Cum *Sequentia* minime locum obtinet, tunc, impertita Subdiacono benedictione, sese ad medium Altaris confert, ibique de more recitat: *Munda cor meum* etc., *Iube, Domine*, etc., et *Dominus sit in corde meo* etc. Deinceps in cornu Evangelii, voce mediocri, legit Evangelium, ut in Missa privata, sub cuius finem non osculatur librum, neque subiicit: *Per Evangelica dicta* etc. Si infra Evangelium genuflexio facienda est, se gerit ut supra ad Epistolae lectionem (v. n. 1178).

Completa Evangelii lectione, accedit Altaris medium, imponit ac benedicit incensum in thuribulo, prout ante Introitum (v. n. 1175).

1182. — Cum Diaconus in suppedaneo genuflexus dicit: *Iube, domne, benedicere*, Celebrans aliquantulum ad ipsum conversus, iunctis manibus, subdit: *Dominus sit in corde tuo, et in labiis tuis: ut digne et competenter annunties Evangelium suum: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.* Cumque profert: *In nomine Patris* etc., sinistra pectori admota, dextera signum Crucis versus Diaconum efformat; mox dexteram ipsam super illius librum extendit, ut eam Diaconus osculetur. Quo peracto, Cruci caput inclinat, ac se ad cornu Epistolae recipit, ubi stat, facie ad Altare versa, quousque Diaconus cantet: *Dominus vobiscum*; tunc vertit se ad illum, sic consistens, manibus iunctis, ad finem usque Evangelii. Quum Diaconus cantat: *Sequentia* etc., vel *Initium* etc., se quoque Celebrans signat in fronte, ore et pectore; ad nomen Iesu caput flectit versus Altare; ad nomen autem Mariae et Sancti, de quo Missa celebratur vel specialis fit Commemoratio, minime vero in initio Evangelii, inclinat illud erga librum Diaconi, nisi in loco principali Altaris habeatur Statua vel Imago B. M.V. aut Sancti, ad quam inclinare caput debet (D. 3767 ad 25). Si porro sit genuflectendum, id efficit Altare versus, manibus super ipsam mensam positus, ac statim se erigens, ad Diaconum iterum se vertit. Decantato Evangelio, librum osculatur sibi a Subdiacono delatum, illum ad se utraque manu appropinquans, ac pronuncians: *Per Evangelica dicta* etc. Tum ibidem, stans, iunctis manibus, ter incensatur.

1183. — Si, cantato Evangelio, habenda sit concio, Celebrans, postquam thurificatus fuerit, accedit ad Altaris medium, ubi, peracta cum Ministris debita reverentia, descendit ex more per latus Epistolae ad scamnum ubi respondet, detegendo caput, salutationi Concionatoris, si ab eo salutatur.

Absoluta concione, ad Altare redit ut alias.

Si Celebrans ipse sit concionaturus, id perficiet sedendo ad Evangelii cornu super scabellum in suppedaneo collocatum. Sermo regulariter infra Missam debet esse de Evangelio currenti (Caer. Episc. l. I, cap. XXII, n. 2).

1184. — Celebrans post concionem, vel, si concio minime habeatur, post suipsius incensationem, reversus ad medium Altaris, praecinit, si dicendum est: *Credo in unum Deum*, quod cum suis prosequitur Ministris, nequaquam praetermittens consuetas inclinationes, genuflexionem, etc.

Recitato Symbolo, pergit ad scamnum et se gerit ut supra post recitationem Angelici Hymni. Ad verba: *Et incarnatus* etc. caput tantum apertum profunde inclinat.

Ad verba: *Et vitam venturi saeculi*, post Caeremoniarum signum, surgit et ad Altare, ut alias, revertitur.

1185. — Decantato Symbolo, vel, si non sit dicendum, thurificatione accepta, vel peracta concione, si habita fuit, Celebrans osculatur Altare, cantat: *Dominus vobiscum*, ac subinde: *Oremus*. Tum legit Offertorium; quo lecto, de manu Diaconi accipit Patenam, offert Hostiam, et se gerit ut diximus de Episcopo sub n. 869-874.

Incensatione Altaris confecta, Celebrans reddens thuribulum Diacono subiungit: *Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris, et flammam aeternae caritatis. Amen*. Ab eodem Diacono, ut initio Missae, incensatur, ac subinde lavat manus, et Missam prosequitur usque ad: *Agnus Dei* etc., quemadmodum in privata praeterquam quod decantat Praefationem: *Per omnia saecula* etc., cum: *Pater noster* etc., ac alterum: *Per omnia saecula* etc., cum: *Pax Domini* etc., nec non Diacono munus relinquit cooperiendi detegendique Calicem cum opus sit, atque ab eodem Patenam accipit, postquam sub finem Orationis Dominicae dixit secrete: *Amen*.

1186. — Recitata Oratione: *Domine Iesu Christe, qui dixisti* etc., osculatur Altare, et ad Diaconum a dextris eius stantem conversus, pacem dat illi dicendo: *Pax tecum*, sicque eum amplexando, ut manus prope illius humeros et genam suam sinistram sinistrae eius apponat.

Postmodum Missam, more consueto, prosequitur usque ad ablutionem; qua sumpta abstersisque labiis, purificatorium super os Calicis ponit, se confert ad cornu Epistolae Antiphonam lecturus, quae dicitur « *Communio* ». Si vero Subdiaconus non sit in sacris constitutus, ipse Celebrans Calicem abstergere debet (D. 4181 ad 2). Tum, loco ac more solito, cantat: *Dominus vobiscum*, *Oremus* et Orationem vel Orationes post Communionem. Hisce expletis, minime claudit Missale, sed continuo Altaris medium adit, ubi, repetito: *Dominus vobiscum*, subsistit versus populum, donec a Diacono cantatum fuerit: *Ite Missa est*. Celebrans vero non dicit: *Ite Missa est* (D. 2572 ad 22).

Quod si pro: *Ite Missa est* canendum sit: *Benedicamus Domino*, illico post: *Dominus vobiscum* vertit se ad Altare, ac submisso profert: *Benedicamus Domino*. Dicto subinde: *Placeat* etc., benedictionem populo impertit eadem voce, eodemque modo ac in Missa privata (Rit. cel. Miss., Tit. XII, n. 7), et Evangelium legit ut alias; post

quod rediens ad medium Altaris, cum suis Ministris caput Cruci inclinat, et ante infimum Altaris gradum descendit, ubi, denuo facta profunda inclinatione aut simplici genuflexione in plano, ut initio Missae, caput cooperit et ad Sacrarium revertitur modo quo venit.

ARTICULUS IV.

De Presbytero Assistente in Missa solemniter, absente Episcopo Ordinario.

1187. — « Nulli sacerdoti celebranti, praeter Episcopos aliosque praelatos usu pontificalium fruantes, licet, sola honoris aut solemnitatis causa, habere presbyterum assistentem » (C. I. C. 812). Presbyter Assistens in Missa solemniter non datur, nisi ex speciali gratia, vel privilegio, et ex immemorabili praescripta consuetudine, Canonicis et Dignitatibus; itemque, ex antiquissima consuetudine, Praelatis maioribus Ordinum Religiosorum Generali nempe, Provinciali ac Custodi Regiminis, nec non novis Sacerdotibus primo solemniter celebrantibus, dummodo assistat tantum ad librum (D. 3564 ad 2).

Presbyter Assistens semper in ordine sacerdotali esse debet constitutus, quia Rubrica Caeremonialis Episcoporum requirit ut Presbyter Assistens Episcopo sit dignior ex Presbyteris et in sacerdotalibus officiis expertus, ut digne et decenter officium suum exercere valeat (Caer. Episc. l. I, cap. VII, n. 1; D. 284). Presbyteri Assistantis cura praecipua est Missam totam in Sacratio praevidere ac signacula suis locis componere, ut accurate et opportune Celebranti demonstrare valeat quae ex libro legenda vel canenda sunt, submissa quoque voce illi suggerendo vel modesto nutu indicando, si forte in aliquo deficeret aut titubaret (Caer. Episc., loc. cit., n. 3).

1188. — Presbyter Assistens, hora praestituta, ad Sacristiam accedit, perquirat Missam et in Missali congruis locis signacula disponit, tum pluviale super superpelliceum, vel super rocchetto, si eo uti potest, et amictum, induit absque stola.

Ad nutum Caeremoniarum, accedit ad dexterum Celebrantis latus, profunde se inclinat Imagini praecipuae Sacristiae; salutato Celebrante, ad Altare progreditur ad sinistram eiusdem Celebrantis (D. 4018 ad II, 1) capite cooperto, iunctisque manibus.

Si transierit ante Altare supra quo SS. Sacramentum expositum est, etc., se gerat ut Celebrans; consule quae tradidimus n. 1174.

1189. — Cum ad Altare pervenerit, sistit ante infimum gradum ad dexteram Celebrantis (D. 4018 ad II, 2); detecto capite, accipit

biretum a Celebrante et utrumque Caeremoniario tradit, genuflexionem, si Canonicus reverentiam, facit et Celebranti una cum Diacono, a sinistris illius stante, respondet, sese ad Celebrantem convertens, dum in Confessione haec profert verba: *Tibi Pater*, et *Te Pater*. Qua absoluta et dicto: *Oremus* a Celebrante, ascendit cum eo ad Altare, eidem paululum elevans a suo latere anteriorem vestis fimbriam. Mox Diacono cedens locum, retrahit se ad cornu Epistolae, facie tantisper ad Celebrantem, thus iniicientem in thuribulum, versa. Postea Missale apprehendit cum legili, si super Altare in cornu Epistolae adsit, et descendens in planum, stat ad Altaris latus conversus donec Epistolae cornu incensatum fuerit. Si vero Missale super abacum sit collocatum, Presbyter Assistens, imposito ac benedicto a Celebrante incenso, descendit in planum, Missale accipit, stat ut supra. Thurificato Epistolae cornu, ponit Missale super Altare, in cornu Epistolae, redit iterum in planum, ubi ulterius recedit versus posteriorem Epistolae cornu partem donec Celebrans incensatus fuerit. Postea ad dexteram Celebrantis accedit et ei indicat Introitum, se signans cum eo. Quod Presbyter Assistens observat per totam Missam, dum Celebrans se signat, vel inclinatur, proferens aliquid voce non secreta (D. 4057 ad 5). Ad: *Kyrie* respondet cum aliis Ministris.

Ad Hymnum vero Angelicum suppedaneum ascendit, illumque a dextris Diaconi cum aliis recitat, solitis cum inclinationibus et signo Crucis.

1190. — Quum ad praefati Hymni cantum est sedendum, facta in suppedaneo genuflexione vel reverentia, vertens se per suam dexteram, et sequens Diaconum, via breviori, ad suum pergat scabellum, ita situm a dextris Diaconi, ut sedens faciem tantillum habeat Celebrantem versus, et directe Altari minime renes obvertat. Ibi sedet, capite cooperto, quod tamen apertum et inclinatum tenet ad quaedam verba, prout Celebrans. Sub cantus exitum, detecto capite, assurgit, et se per planum confert ante infimum Altaris gradum, ubi, peracta a dextris Diaconi genuflexione, Altaris gradus conscendit ac se sistit ad Missale, uti prius, ostendens Celebranti Orationes, Epistolam, post quam respondet: *Deo gratias*, Graduale, etc. Idipsum perficit si ad: *Kyrie* quoque vel ad Sequentiam assidendum sit, sed tunc ad scamnum procedit, facta Cruci profunda reverentia quin prius suppedaneum ascendat.

1191. — Cantata a Subdiacono Epistola, Presbyter Assistens se aliquantulum in cornu Epistolae retrahit, usque dum Subdiaconus benedictionem acceperit. Mox Missale sumit cum legili, ac

incedens, Celebrantem inter et Diaconum, genuflectensque in medio Altaris, transfert illud ad cornu Evangelii.

Dum Celebrans Evangelium legit ad eiusdem sinistram assistit, initium Evangelii ostendens, folia vertens et respondens, se signans et caput inclinans quando opus fuerit. Lecto a Celebrante Evangelio, Missale aptat prope Altaris medium.

Ad thuris impositionem a sinistris perstat Subdiaconi, facie aliquantulum ad Celebrantem conversa; tum se retrahit e suppedaneo prope Altaris latus eiusdem cornu, ac, manibus iunctis, vertit se ad Diaconum Evangelium canentem, se signans, inclinans ac genuflectens erga Altare, cum opus fuerit.

1192. — Incensato post Evangelium Celebrante, Presbyter Assistens suppedaneum iterum ascendit, ad Celebrantis dexteram accedit, eumque monet an dicendum sit: *Credo*; deinde ad cornu Epistolae parum deflectens, locum praebet Diacono, et simul cum aliis Symbolum recitat. Quod ad sedendum attinet, servantur quae de Hymno Angelico praemonuimus.

Cum Diaconus bursam defert ad Altare, non assurgit, neque caput detegit (D. 4018 ad V). Sub finem Symboli, alios praecedendo, ad Altare redit; facta genuflexione a sinistris Subdiaconi, accedit ad librum, indicans, suo tempore, quidquid Celebrans dicere debet.

1193. — In thuris impositione Presbyter Assistens se gerit ut ante Introitum, et dum thurificatur Altare, prope Missale, iunctis manibus, consistit usque dum Celebrans post incensationem lateris Epistolae Altaris in medium redierit; tunc cum aliis genuflectit, amovet inde Missale, prout ante Introitum. Peracta incensatione in cornu Evangelii, Missale in pristinum locum reponit, cum aliis genuflectit et ad librum consistit neque amplius ab illo recedit usque ad: *Agnus Dei* etc., inclusive, ostendens Celebranti quae successive dicenda erunt.

Ipsa ante Subdiaconum, duplici ductu, incensatur a Diacono, sese aliquantulum ad ipsum convertens, ante et post, inclinatione sibi invicem facta (D. 4018 ad VI, 1).

Ad: *Sanctus*, parum se retrahens ad cornu Evangelii, dat locum Subdiacono et dicit, submissa voce: *Sanctus* etc., medio-criter inclinatus, et ad verba: *Benedictus* etc., signum Crucis facit, deinde ad Missale accedit.

Ad verba: *Quam oblationem*, flectit utrumque genu in suppedaneo ad sinistram Celebrantis, nec assurgit donec Celebrans, post alteram elevationem, Calicem super corporale deposuerit.

1194. — Ad: *Pax Domini*, cedit locum Subdiacono, ut supra, et cum ceteris dicit: *Agnus Dei* etc., ter pectus sibi percutiens. (D. 3535 ad 3). Postmodum, facta cum sacris Ministris genuflexione, accedit ad dexteram Celebrantis, ubi iterum genuflectit ac continuo surgit; mox Altare una cum Celebrante, iunctis manibus, extra corporale osculatur, et ab eodem pacem accipit, respondens: *Et cum spiritu tuo* (D. 4018 ad VI, 2). Deinceps, repetita genuflexione, se per sinistram suam vertit ad Diaconum, eique dat pacem dicens: *Pax tecum*; facta denuo genuflexione, Caeremoniario comitante, ad Chorum pergit, pacem Clero daturus eodem modo ac Subdiaconus (v. n. 1244).

Ad Altare cum genuflexione reversus, dat pacem Caeremoniario; genuflexione iterata, ascendit ad librum, consistit ad laevam Celebrantis, ubi ad: *Domine, non sum dignus* etc., et ad Communionem se gerit prout Diaconus (v. n. 1217).

Si sacra Eucharistia sit distribuenda, retrahit se ad cornu Evangelii extra saltem supremum gradum, ibi consistens usque ad eius exitum.

1195. — Peracta a Celebrante digitorum ablutione, transfert Missale ad cornu Epistolae, genuflectens ante medium Altaris, ibique Celebranti assistit in iis, quae ab ipso dicenda sunt. Post Orationes librum claudit, nisi ultimum Evangelium sit proprium, et consistit in cornu Epistolae, facie ad Altare conversa, donec a Diacono cantatum sit: *Ite Missa est*. Tum, cum genuflexione ante Altaris medium, se ad cornu Evangelii recipit, quo cum pervenerit, genuflectit ad benedictionem.

Si Evangelium proprium legendum sit, cantato a Diacono: *Ite Missa est*, transfert librum ad cornu Evangelii, genuflexione in medio prius facta, et ad benedictionem genuflectit.

1196. — Benedictione accepta, surgit et ad sinistram Celebrantis accedit, eidem tabellam Evangelii S. Ioannis sustinet, non autem se signans, et ad: *Et Verbum caro* etc., non genuflectens, quando tabellam prae manibus tenet.

Si vero aliud Evangelium legendum sit, seipsum signat, et in fine librum claudit, ita ut apertura Altare respiciat. Expleto Evangelio, accedit ad dexteram Celebrantis, ibi cum ipso caput Cruci inclinatur, ac descendit ante infimum Altaris gradum, ubi, facta ex more genuflexione, caput cooperit, et, quo venit modo, ad Sacristiam redit, ubi praecipuae Imagini ac Celebranti inclinatione peracta, paramenta deponit.

ARTICULUS V.

De Diacono in Missa solemni, absente Episcopo Ordinario.

1197. — Diaconus, hora praestituta, Sacrarium ingreditur, ubi sumpto prae manibus Celebrantis Missali, Missam, Commemorationes, Praefationemque perquirat, ac quovis loco signacula disponit; dehinc alio in Missali Evangelium praevidet ac signat, quod erit ipse cantaturus. Postmodum manus lavat, et ad dexteram Celebrantis, sui Ordinis induit paramenta eodem modo ac Celebrans deosculans amictum, manipulum ac stolam, quam humero sinistro superimponit, extremitatibus sub brachio eius dextero pendentibus, ac recitans, si lubet, Orationes pro Sacerdote praescriptas, quo casu cum dalmatica sumit profert: *Indue me, Domine, indumento salutis, et vestimento laetitiae et dalmatica iustitiae circumda me semper*. Manipulum vero post Dalmaticam assumit.

1198. — Diaconus etiamsi Canonicus una cum Subdiacono Celebrantem adiuvaré debet dum sacras vestes induit, nisi contraria vigeat consuetudo (D. 3866 ad 1), et in casu, Celebrante parato, manipulum assumit.

1199. — Omnibus rite dispositis, stans in plano ad dexterum Celebrantis latus, innuente Caeremoniario, profunde se inclinatur cum aliis praecipuae Sacrae Imagini; salutato Celebrante, caput cooperit, et post Subdiaconum ad Altare graditur, demissis oculis, iunctisque manibus. Ad Ecclesiae ingressum, si aspersione aquae benedictae minime locum obtineat, paulisper subsistens, aperit caput, ac, digitis dexterae aquam accipit lustralem a Subdiacono, eamque statim Celebranti praebet; quo peracto, seipsum signat, caput tegit, suumque iter prosequitur.

Si transeundum sit ante SS. Sacramentum etc., confer quae animadvertimus n. 1174.

1200. — Cum ad Altare pervenerit, consistit a dextris Celebrantis, ante infimum gradum; caput detegit, et eiusdem Celebrantis biretum, una cum suo, Caeremoniario tradit. Si ad Presbyterium ex parte Evangelii pervenerit, Diaconus procedit, absque genuflexione in medio, usque ad cornu Epistolae ante infimum Altaris gradum et se ut supra gerit; si vero ex parte Epistolae pervenerit, ante infimum Altaris gradum in eodem cornu Epistolae, detecto capite, Celebranti transitum praebet et se ut supra gerit. Facta deinde

in plano genuflexione (D. 2682 ad 47), se signo Crucis signat, quando Celebrans ea verba profert: *In nomine Patris, Adiutorium nostrum, et Indulgentiam*, ac Celebranti ut in Missa privata respondet. Ad: *Gloria Patri* etc., caput profunde inclinatur, ad: *Misereatur tui*, se inclinatur profunde versus Celebrantem, et ad: *Confiteor*, erga Altare, sese ad Celebrantem vertens in iis verbis: *Tibi Pater, ac: Te Pater*, pectusque sibi percutiens dum dicit: *Mea culpa*. Ad: *Indulgentiam*, se erigit, et ad: *Deus, tu conversus*, mediocriter se inclinatur.

1201. — Pronunciato: *Oremus* a Celebrante, Diaconus, dextera infra pectus posita, sinistra anteriorem vestis Celebrantis fimbriam aliquantulum a suo latere elevat, et cum Celebrante ascendit ad Altare. Quod ubi Celebrans osculatus sit se gerit ut in Missa pontificali, sed dicit: *Benedicite, Pater Reverende* (v. n. 913). Altari thurificato, in secundo gradu lateris Epistolae consistit, cum osculis thuribulum recipit, in planum e latere Epistolae descendit, ibi, triplici ductu, Celebrantem incensat, profunda huic facta, ante et post, reverentia; tandem Thuriferario, a dextris suis stanti, thuribulum tradit.

Postmodum ad secundum ascendit gradum, a dextris Celebrantis, eique indicat Introitum, signans se cum ipso (D. 4057 ad 5); ad: *Gloria Patri* etc., caput inclinatur, et ad: *Kyrie*, Celebranti respondet.

1202. — Si ad cantum *Kyrie* sedendum sit, Cruci Altaris caput profunde inclinatur absque genuflexione, capite detecto manibusque iunctis, sequens Subdiaconum ad scamnum procedit (DD. 1563 ad 1; 2684 ad 13).

Ibi a dextris Celebrantis consistens, eidem posteriorem sublevat planetae limbum, et apte post scamni tergum demittit; a priori Ceroferario Celebrantis biretum accipit et cum osculis ei porrigit; tum, eidem Celebranti exhibita reverentia, assidet, caput cooperit, ac manus prope genua super dalmaticam extensas imponit.

Ad postremum *Kyrie*, Caeremoniario innuente, caput detegit, assurgit, Celebranti exhibet reverentiam, removet posteriorem planetae partem, cum consuetis osculis ab eodem adhuc sedente, accipit biretum quod priori Ceroferario porrigit, dein per planum se confert ante infimum Altaris gradum, ubi ad Celebrantis dexteram, peracta genuflexione, elevans eidem anteriorem vestis fimbriam, ad secundum ascendit gradum, ac retro se collocat, post Celebrantem.

Idipsum perfici opus est, quoties sedendum sit ad Sequentiam; at tunc ad scamnum pergunt, quin prius ad Altaris medium accedat, aut ullam reverentiam exhibeat.

1203. — Si vero sedendum non sit, dum a Choro ultimum decantatur *Kyrie*, Diaconus per eundem incedens gradum, dexteramque Altari obvertens latus, una cum Celebrante ac Subdiacono, quod semper in similibus efficiendum est, accedit ad Altaris medium, ibique perstat donec a Celebrante decantatum fuerit: *Dominus vobiscum*, si Hymno Angelico locus non adsit, vel intonatum: *Gloria in excelsis Deo*.

In hoc posteriori casu ad vocem: *Deo*, flectit caput, et ita lente Altaris gradus conscendit, ut simul cum Subdiacono ad Altare perveniat; tum ad dexteram Celebrantis consistens, voce submissa, recitat cum eo Hymnum Angelicum, inclinans se cum ipso ad: *Adoramus te; Gratias agimus tibi; Iesu Christe; Suscipe deprecationem nostram*; et iterum ad: *Iesu Christe*.

Dum vero profert: *Cum Sancto* etc., sinistra infra pectus posita, Cruce se signat, ita tamen ut ad verba: *Cum Sancto*, frontem tangat; ad: *Spiritu*, pectus; ad: *in gloria*, humerum sinistrum; ad: *Dei*, dexterum; proferens: *Patris. Amen*, manus iungat.

1204. — Si, recitato Hymno, non est sedendum, Diaconus perstat, iunctis manibus, ad dexterum Celebrantis latus, usquedum a Choro Hymnus persolvatur. Quando a Choro cantantur, vel sub organorum sono recitantur verba inclinationes exposcentia, caput inclinatur et circa finem Hymni, quin genuflectat, ad secundum descendit gradum a tergo Celebrantis.

Sin autem est sedendum, peracta in suppedaneo genuflexione, ad suam se vertit dexteram, et sequens Subdiaconum per latus Epistolae, capite detecto, ad paratum pergunt scamnum. Cum a Choro cantantur, vel sub organorum sono recitantur, verba quae inclinationes exposcunt (D. 3457 ad 3), caput detegit, ponens biretum prope genu dexterum et capitis inclinationem facit (D. 1563 ad 1). Ad postrema Hymni verba, scilicet: *Cum Sancto Spiritu*, ad nutum Caeremoniarii, se gerit ut supra sub n. 1202 diximus.

1205. — Ubi *Dominus vobiscum* a Celebrante cantatum fuerit, Diaconus per eundem secundum gradum se confert una cum eodem Celebrante ac Subdiacono ad Epistolae cornu, in incessu obvertens Altari latus sinistrum, quod semper in similibus servandum est. Ad Orationem, seu Orationes, stat a tergo Celebrantis, flectit cum eo caput, ac, si Caeremoniarius desit, folia vertit; versis tamen foliis, pristinum petit locum.

Absoluta ultima Oratione cum sua conclusione, ad dexteram accedit Celebrantis, eique, in secundo gradu, assistit dum legit

Epistolam, post quam subdit: *Deo gratias*. Ad Graduale, etc., folia volvit, ac cum Celebrante inclinatur ac genuflectit, quum opus fuerit (D. 4057 ad 5). Cantata Epistola, aliquantulum post Celebrantem recedit, et dat locum Subdiacono. Si Sequentiae locus sit, et ad eius cantum sit sedendum, ut supra se gerit (v. n. 1202).

1206. — Dum Celebrans incipit Evangelium legere, Diaconus in cornu Epistolae adhuc consistens, signat se in fronte, in ore et in pectore, quum haec facit Celebrans, et si in initio Evangelii nominetur Iesus, caput inclinatur; tum conversus super dexteram suam per gradus laterales in planum descendit, a Caeremoniario librum accipit Evangeliorum, quem utraque manu ad inferiores angulos ante pectus elevatum tenens, cum apertura ad suam sinistram conversa, progreditur per planum ad Altaris medium. Facta ibi genuflexione, Altare conscendit, et in eiusdem medio clausum deponit librum (D. 4077 ad 3) cum apertura cornu Evangelii versus; tum paulum deflectit ad cornu Epistolae donec Celebrans Evangelium expleat. Si vero lectio Evangelii a Celebrante iam completa fuerit, dum ipse Diaconus adhuc est ad Altare, ibi, absque ulla genuflexione, sistit pro administratione incensi.

1207. — Lecto a Celebrante Evangelio, Diaconus stans a dextris eius, eidem thus ministrat uti ante Introitum. Mox ante Altaris medium in ora suppedanei genuflexus, inclinato capite manibusque iunctis, profert secreto: *Munda cor meum, ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiae Prophetae calculo mundasti ignito: ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

Quo dicto, surgit, ad medium Altaris accedit, utraque manu Evangeliorum accipit librum, uti supra, ac denuo in suppedanei ora versus Celebrantem genuflexus et capite profunde inclinato, si Canonicus fuerit profunde inclinatus tantum (D. 3491 ad 7), ab eo benedictionem petit, pronuncians, intelligibili voce: *Iube, domne, benedicere*, cumque Celebrans post signum Crucis dexteram libro aliquantulum erga se deflexo superponit, eam Diaconus deosculatur et non respondet: *Amen*. Mox se erigit, et Celebranti, non autem Altari, debitam reverentiam facit, dein faciem vertens ad cornu Evangelii, in planum ante Altaris medium descendit; ibique ad dexteram Subdiaconi sistit. Ubi ad nutum Caeremoniarii, facta cum aliis genuflexione, per suam se vertit laevam, et librum clausum ante pectus sustinens, uti prius, a dextris Subdiaconi ad locum procedit, ubi Evangelium canendum est; nimirum ad Evangelii cornu aliquan-

tulum longe ab Altaris gradibus. Quo cum accesserit, ita se collocat, ut dexterum habeat latus Altare versus, et sinistrum erga populum, faciem autem ad illam partem conversam quae pro aquilone figuratur (Caer. Episc., l. II, cap. VIII, n. 44 in fine).

Stans ita compositus, librum ponit apertum in manus Subdiaconi, et se gerit ut sub n. 914.

Completo Evangelio, manu dextera indicat Subdiacono principium textus, vel librum de legili sumit, et apertum Subdiacono tradit ac se parum retrahens ad cancellos Presbyterii, facie quasi ad Altare versa, Subdiacono ante se transeunti dat locum. Deinceps accedit iterum ad gradus Altaris in medio, ubi, facta genuflexione, thuribulum accipit, et postquam Celebrans librum osculatus fuerit, triplici ductu, eum incensat, profunde se, ante et post, inclinans. Demum thuribulum Thuriferario reddit.

1208. — Si post Evangelium habenda sit concio, Diaconus, thurificato Celebrante, ad eius ascendit dexteram, et continuo, facta genuflexione, descendit ut alias ad scamnum, ubi a dextris Celebrantis assidet, et Concionatori caput aperit, cum ipsos salutatur (D. 1772 ad 5). Post concionem ad Altare revertitur cum genuflexione.

1209. — Expleta concione, vel, si huic locus non fuerit, incensato post Evangelium Celebrante, ad secundum ascendit gradum a tergo eiusdem, donec iste *Dominus vobiscum* et *Oremus* decantaverit, si Symbolum non sit dicendum, vel *Credo in unum Deum* intonaverit. Tunc ad vocem: *Deum*, profunde inclinato capite, ad dexteram ascendit Celebrantis, et cum eo Symbolum recitat non praetermittens capitis inclinationem ad: *Iesum Christum*, et: *Simul adoratur*; ad verba: *Et incarnatus est*, lente genu dexterum flectit reliqua proferens verba: *de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et homo factus est*, absque ulla capitis inclinatione. Ad verba: *Et vitam venturi saeculi. Amen*, sinistra infra pectus demissa, se interim signat dextera ita tamen ut ad verbum: *Et*, frontem tangat; ad: *vitam*, pectus; ad: *venturi*, sinistrum humerum; ad: *saeculi*, dexterum; denique *Amen* pronuncians, manus iungit.

1210. — Si, recitato Symbolo, non sit sedendum, Diaconus perstat a dextris Celebrantis; ast paulo ante: *Et incarnatus*, faciem ad Celebrantem convertens, descendit cum eo ad secundum gradum; ad praefata verba utrumque in ora suppedanei flectit genu, ac caput profunde inclinat (D. 2915 ad 6). Cantato: *et homo factus est*, iterum

Altare conscendit, ubi, peracta genuflexione, ad verba: *Crucifixus etiam*, se per brevioram viam confert ad abacum, et inde, sumpta bursa, modo n. 917 notato, defert eam ad Altare; explicato corporali, sistit ad Celebrantis dexteram uti prius. Post Symbolum, quin genuflectat, ad secundum descendit gradum a tergo Celebrantis.

Si vero ad Symbolum sit sedendum, accedit ad scamnum, assidet et ad Altare redit, prout n. 1204 de Hymno Angelico dictum est. Ad: *Et incarnatus*, minime genuflectit, sed caput apertum dumtaxat inclinat.

1211. — Ad verba: *Crucifixus etiam*, caput detegit, surgit, et, facta ante Celebrantem inclinatione, ad abacum pergit, unde bursam sumit, eamque defert ad Altare, ut diximus sub n. 917, postquam se ante Celebrantem profunde inclinaverit, si forte ante ipsum transeat. Cum ad infimum venerit gradum, genuflectit, Altare conscendit, et de bursa, quam sinistra e superiori latere super mensam premit, dextera Corporale extrahit. Deinde bursam ad Evangelii cornu collocat, et, ambabus manibus, in medio Altaris Corporale explicat, prope frontem ipsius admovens illud, ita ut a fronte Altaris extremitas Corporalis spatium absit, idque ad maiorem securitatem, ne Celebrans, quum ad populum convertitur, planeta aut manipulo secum ducat Corporale cum Calice.

Tum, Missali Celebrantis prope Corporale accommodato, genuflectit, non vero manibus super Altare positus, et per brevioram viam ad scamnum redit, ubi, inclinatione versus Celebrantem repetita, cum eodem uti prius assidet.

Sub Symboli exitum ad Altare reversus, sistit de more post tergum Celebrantis; tum, dicto *Oremus*, absque genuflexione, Altare ad cornu Epistolae conscendit, ubi Calicem de manibus Subdiaconi accipit, et ante se ponit. Si Subdiaconus, eo quod Symbolum decantatum non fuit, Calicem cum bursa ad Altare attulerit, Diaconus bursam apprehendit, extrahit inde Corporale, et, bursa ad cornu Evangelii deposita, illud in medio Altaris explicat. Mox Pallam a Patena detractam prope Corporale demittit, et Patenam cum Hostia accipit inter pollicem et indicem utriusque manus et eam Celebranti porrigit, cum osculo prius Patenae, dein manus. Quo peracto, Calicem Altari superpositum cum sinistra, e cuius pollice purificatorium pendeat ad ipsius Calicis pedem, ad nodum tenens, dextera ampullam vini de manu Subdiaconi accipit, vinumque ad Celebrantis beneplacitum in Calicem effundit; postea, nonnullis aquae guttis a Subdiacono in Calicem immissis, eidem ampullam vini reddit; tandem si intra

cuppam hinc inde guttae aliquot aquae aut vini adhaeserint, eas purificatorio abstergit (D. 2572 ad 14). Collocato subinde prope Corporale purificatorio, dextera Calicem capit ad cuppam, sinistra vero ad pedem, ac Celebranti tradit, illius pedem manumque istius deosculans; mox, sinistra pectori admota, dextera pedem Calicis tangit, vel brachium dexterum Celebrantis sustentat, dicens, oculis ad Crucem elevatis, interim cum eo: *Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam: ut in conspectu divinae maiestatis tuae, pro nostra, et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.*

Calicem postmodum a Celebrante Altari superpositum Palla cooperit; quo peracto, sic Patenam in dexteram Subdiaconi ponit, ut pars eius concava pectus Subdiaconi respiciat, eamque extremitate veli, a dextero Subdiaconi humero pendentis, tegit.

1212. — Pronunciato a Celebrante: *Veni, sanctificator etc.*, Diaconus eidem ministrat ad iniectionem incensi et ad thurificationem Altaris ut initio Missae (v. n. 1201); at, dum Oblata incensantur, extremis dexterarum digitis, pedem Calicis tenet, ne evertatur, et sinistra posteriorem planetae fimbriam circa dexterum Celebrantis humerum parum sublevat; cum vero Crux est incensanda, Calicem ad cornu Epistolae intra Corporale statuit; Cruce thurificata, Calicem in medio Altaris reponit uti prius. Post Altaris incensationem, Celebrantem thurificat prout ante Introitum; dein, facta Altari genuflexione, procedit ad Chorum incensandum, incipiens a parte in qua dignior ex praesentibus in stallis superioribus sedet (v. n. 591).

1213. — Peracta Choralium incensatione, ad Altare redit cum genuflexione, ibique in plano ad cornu Epistolae, duplici ductu, incensat Subdiaconum, ad eum caput, ante et post, inclinans. Tum a latere dextero, reddito thuribulo Thuriferario, ad secundum ascendit gradum ante medium Altaris, ubi se convertens ad Thuriferarium, in cornu Epistolae stantem, ab eo thurificabitur, cui parum caput inflectet prius et postea. Demum, facie ad Altare conversa, ibi perstat ad finem usque Praefationis, nisi folia Missalis, ob Caeremoniarum absentiam, evolvere opus sit.

Ad: *Orate, fratres*, Diaconus si, thurificatione completa, iam retro post Celebrantem stat, respondet: *Suscipiat etc.*

1214. — Infra Praefationem a tergo Celebrantis stat; ad verba: *Domino Deo nostro*, et ad nomina Iesu et Mariae, si occurrant, caput inclinat. Pariter cum nominatur S. Ioseph in eius Festis, nec

non nomen Sancti cuius Festum celebratur, si propria habeat Praefatio, et per eorum Octavas caput inclinatur (D. 4057 ad 5).

Circa Praefationis finem ad dexteram Celebrantis ascendit, absque genuflexione, ut *Sanctus* etc., mediocriter inclinatus cum eo recitet, se erigens ac signans ad: *Benedictus* etc., sequenti ratione verba distribuens, ad: *Benedictus*, frontem signat; ad: *qui venit*, pectus; dicens: *in nomine Domini*, humerum sinistrum; ad: *Hosanna in excelsis*, dexterum.

Deinde per secundum gradum, et cum genuflexione, in medio Altaris, se confert ad sinistrum Celebrantis latus eique indicat legenda, ac folia vertit.

1215. — Dum Celebrans *Quam oblationem* etc., pronunciat, Diaconus incedens per secundum gradum ac genuflectens in medio Altaris, redit ad dexteram Celebrantis. Ibi ad vocem: *Benedixit*, in suppedaneo flectit genua, ac cum sacra elevatur Hostia, dextera manu pectori admota, sinistra infimam posteriorem planetae partem in medio capiens aliquantulum attollit, eamque dimittit, antequam Celebrans genuflectat (Rit. celeb. Miss. VIII, 8; Caer. Episc., l. I, cap. IX, n. 5; l. II, cap. VIII, n. 69; D. 3535 ad 2). Peracta a Celebrante genuflexione, surgit cum eo, ac pallam e Calice detrahit; mox iterum genuflexus, ad elevationem Calicis similiter posteriorem extollit planetae fimbriam, ac dum Celebrans Calicem demittit, assurgit, et suo loco depositum palla cooperit; tandem, facta cum Celebrante genuflexione, ad eius sinistram secedit, eique assistit uti supra. Ad: *Supplices te rogamus* etc., minime se inclinatur nec ad: *Omni benedictione*, se signat, nec ad: *Nobis quoque peccatoribus*, pectus percutit (D. 3535 ad 3). Tum ad verba: *Per quem haec omnia* etc., facta ibi genuflexione, accedit ad dexteram Celebrantis, ubi, post Crucis signa, Calicem detegit, genuflectit una cum Celebrante, et cum eo assurgit. Denique ad: *Per ipsum* etc., duobus dexterae digitis, pedem Calicis firmat (Caer. Episc., l. I, cap. IX, n. 5), et, Hostia super Corporale reposita, iterum Calicem contegit, genuflectit cum Celebrante, simul surgit, ibi consistens usque ad Orationem Dominicam.

1216. — Statim atque Celebrans incipit: *Pater noster*, Diaconus, facta genuflexione, ad secundum descendit gradum post Celebrantem. Cum autem ventum fuerit ad: *Et dimitte nobis debita nostra*, iterata genuflexione, ascendit denuo ad Celebrantis dexteram, ubi, Patenam, a Subdiacono delatam, detegit, ac de eius manu accipiens, purificatorio interius exteriusque eam extergit. Mox eam circa orbem superiorem deosculatur, ac utraque manu hic inde super Altare, extra Corporale,

erectam tenet, cum ipsius concavo ad sacram Hostiam converso, deosculans quoque Celebrantis manum, cum eam super Patenam ponet. Ubi Celebrans Hostiae Patenam submiserit, Diaconus Pallam e Calice dimovet, genuflectit, ac se cum Celebrante erigit: immissa subinde particula Hostiae in Calicem, hunc cooperit, ac rursus genuflectens cum Celebrante, simul surgit. Parum deinde inclinatus, iunctis manibus, dicit cum Celebrante: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi*. Ad verba: *miserere nobis* manus disiungit et, sinistra infra pectus posita, dextera aperta et extensa, digitisque simul iunctis, pectus percutit primo et secundo, tertio vero ad verba: *dona nobis pacem* (D. 3535 ad 3).

1217. — Postmodum utrumque ibidem flectit genu, sicque genuflexus permanet, donec Celebrans Orationem: *Domine Iesu Christe, qui dixisti* etc., absolverit; tunc se erigit, ac, manibus ante pectus iunctis, una cum Celebrante Altare, extra Corporale, osculatur; moxque brachiis Celebrantis sua supponens, genamque suam sinistram sinistrae illius, cum debita modestia propinquans, pacem recipit, dum ad verba: *Pax tecum*, verba: *Et cum spiritu tuo*, respondet. Pacis osculo accepto, genuflectit, et, facie Celebranti obversa, ad ultimum descendit Altaris gradum, ibique manus suas prope Subdiaconi humeros admovens, genamque sinistram suam sinistrae eius veluti adiungens, ut supra, reddit eidem pacem, *Pax tecum* dicens, cavendo tamen ne Altari obiciantur terga. Genuflectit iterum, et ascendit ad sinistrum Celebrantis latus, ibique remanet ad abluitionem usque digitorum. At ubi Subdiaconus ad ministrandas ampullas, opportuno tempore, e Choro non redeat, Diaconus, debitis cum genuflexionibus, ad dexteram Celebrantis accedit, eique ampullas ministrat.

Quum vero Celebrans ter dicit: *Domine, non sum dignus* etc., mediocriter se inclinatur, sed nihil dicit, nec pectus percutit (D. 3535 ad 3); dum Celebrans sub utraque Specie se communicat, erga Altare profunde se inclinatur, minime vero tempore intermedio.

1218. — Postquam Celebrans digitos abluerit, Diaconus, accepto Missali cum legili, ad dexteram suam se vertit, et per secundum incedens gradum, ac genuflectens, una cum Subdiacono in medio Altaris, defert illud ad cornu Epistolae. Ibi consistens Celebranti Antiphonam, quae dicitur « *Communio* », ostendit, ac deinde secedit ad secundum gradum post eum. Lecta « *Communio* », per eundem secundum gradum se confert cum Celebrante ad Altaris medium, et post: *Dominus vobiscum*, redit cum ipso ad cornu Epistolae, ubi ad

Orationem, vel Orationes, stans a tergo Celebrantis, flectit cum eo caput, ac, si Caeremoniarius desit, folia vertit; versis tamen foliis, pristinum petit locum.

1219. — Completis Orationibus, si Caeremoniarius desit, claudit librum sic quidem, ut pars qua aperitur semper obversa iaceat ad cornu Evangelii, nisi illud oporteat apertum relinqui ad alterius Evangelii lectionem, quo in casu istud reperit. Tum per secundum gradum sese denuo infert una cum Celebrante ad medium Altaris ubi, pronunciato a Celebrante: *Dominus vobiscum*, si Hymnus Angelicus dictus sit, ita se volvit per latus suum dexterum ad populum, ut terga vertat Celebranti, sicque stans, manibus iunctis, cantat: *Ite Missa est*; sin vero Hymno Angelico locus non fuerit, stans, facie ad Altare conversa, canit: *Benedicamus Domino*.

1220. — Post: *Ite Missa est*, vel: *Benedicamus Domino*, se aliquantulum retrahit ad cornu Epistolae ac dum Celebrans, dicto: *Placeat etc.*, osculatur Altare, genuflectit in ora suppedanei, se signans ad benedictionem; dein, erectus ibi consistit ad finem usque Evangelii, ad quod se signat, inclinatur ac genuflectit, prout Celebrans.

1221. — Lecto Evangelio, ascendit suppedaneum a dextris Celebrantis; ibique, capite Cruci inflexo, vertens se e latere suo sinistro descendit ante infimum Altaris gradum, ubi, facta genuflexione, accipit biretum Celebrantis eique, cum osculis, porrigit, tum caput cooperit, ac cum aliis, eodem quo venit modo, ad Sacrarium revertitur. Quo cum pervenerit, consistit ad dexteram Celebrantis, apertoque capite, profunde se inclinatur Imagini praecipuae, ac, salutato Celebrante, sacras exuit vestes ordine inverso.

1222. — Quum adest Presbyter Assistens, Diaconus se gerit more solito, si quidem sequentia excipias:

I. - Cum ad Altare pervenerit consistit a sinistris Celebrantis.

II. - Postquam Celebrans Altare deosculatus fuerit, statim ad dexteram eiusdem Celebrantis transit.

III. - Ad Offertorium, Presbyterum Assistentem duplici incensat ductu, ante Subdiaconum (D. 4018, VI, ad 1).

IV. - Post: *Sanctus*, non accedit ad sinistram Celebrantis, ut alias, sed ad eius perstat dexteram tantillum retro usque ad: *Pater noster* (Rit. celeb. Miss. VII, 11).

V. - Post: *Agnus Dei*, facta genuflexione, ad secundum descendit gradum a tergo Celebrantis, ibique a Presbytero Assistente pacem excipit, quam continuo Subdiacono de more praebet (D. 4018, VI, ad 2).

VI. - Iterata subinde genuflexione, accedit ad librum, donec e Choro redeat Presbyter Assistens: tunc, facta genuflexione, se ad dexteram confert Celebrantis, cui ampullas pro purificatione et ablutione ministrat, si id Subdiaconus nondum praestiterit (Caer. Episc. l. I, cap. IX, n. 5 in fine).

VII. - Post ablutionem non transfert Missale ad cornu Epistolae, sed descendit ad secundum gradum post Celebrantem.

VIII. - Lecto ultimo Evangelio, ascendit suppedaneum ad laevam Celebrantis, ibique, Cruci capite inclinato, vertit se per latus suum dexterum, ac descendit ante infimum Altaris gradum, ubi, facta genuflexione a sinistris Celebrantis, caput contegit, et ad Sacrarium regreditur, modo quo egressus est.

ARTICULUS VI.

De Subdiacono in Missa solemnibus, absente Episcopo Ordinario.

1223. — Subdiaconus, hora praestituta, Sacrarium ingreditur, ubi praevidet ac signat Epistolam, quam ipse erit cantaturus. Postmodum manus lavat, et ad sinistram Celebrantis, sui Ordinis induit paramenta, eodem modo ac Celebrans, deosculans amictum et manipulum, ac recitans, si lubet, Orationes pro Sacerdote praescriptas, quo casu cum tunicellam sumit profert: *Tunica iucunditatis, et indumento laetitiae induat me Dominus*.

Manipulum vero post tunicellam assumit.

1224. — Subdiaconus etiamsi Canonicus, una cum Diacono Celebrantem adiuvari debet dum sacras vestes induit, nisi contraria vigeat consuetudo (D. 3866, ad 1), et in casu manipulum, Celebrante parato, assumit.

1225. — Omnibus rite dispositis, stans in plano ad sinistram Celebrantis latus, profunde se inclinatur, ad nutum Caeremoniarii, cum aliis praecipuae Sacrae Imagini; salutato Celebrante, caput cooperit, et ante Diaconum ad Altare graditur, demissis oculis, iunctisque manibus.

Ad Ecclesiae ingressum, si aspersio aquae benedictae minime locum obtineat, paulisper subsistens, aperit caput, ac digitis dexteræ aquam accipit lustralem a Caeremoniario, eamque statim Diacono praebet; quo peracto, seipsum signat, caput tegit, suumque iter prosequitur. Si transeundum sit ante SS. Sacramentum etc., confer quae animadvertimus n. 1174.

1226. — Cum ad Altare pervenerit, consistit ante infimum gradum a sinistris Celebrantis, caput detegit, et biretum Caeremoniario tradit. Si ad Presbyterium ex parte Evangelii pervenerit, Subdiaconus, ante infimum Altaris gradum in cornu Evangelii, detecto capite, aliquantulum recedit ut Diaconus et Celebrans transire possint; si vero ex parte Epistolae pervenerit, tunc, absque genuflexione in medio, procedit usque ad cornu Evangelii et se ut supra gerit. Facta deinde in plano genuflexione (D. 2682 ad 47), se signo Crucis signat, quando Celebrans ea verba profert: *In nomine Patris; Adiutorium nostrum; et: Indulgentiam;* ac Celebranti, ut in Missa privata respondet. Ad: *Gloria Patri* etc., caput profunde inclinatur; ad: *Misereatur tui*, se inclinatur profunde versus Celebrantem; ad: *Confiteor*, erga Altare, sese ad Celebrantem vertens in iis verbis: *Tibi Pater*, ac: *Te Pater*, pectusque sibi percutiens dum dicit: *Mea culpa*. Ad: *Indulgentiam*, se erigit; ad: *Deus, tu conversus*, mediocriter se inclinatur.

1227. — Pronunciato: *Oremus* a Celebrante, Subdiaconus, sinistra infra pectus posita, dextera anteriorem vestis Celebrantis fimbriam aliquantulum a suo latere elevat, et cum eo ascendit Altare, ibidem consistens tantillum ad Altare conversus, ac fere ad sinistram Celebrantis latus, dum incensum iniicitur in thuribulum. Sinistra manu deinceps pectori admota, cum dextera posteriore planetæ fimbriam circa sinistram Celebrantis humerum paulum sublevat, et Celebrantem in Altaris incensatione comitatur, genu cum Diacono flectens quoties Celebrans Cruci se tantum inclinatur. Altari thurificato, in planum per latus Epistolae descendit, ubi stat a sinistris Diaconi, dum iste Celebrantem incensat.

Postmodum, stans in eodem loco a dextris Diaconi, signat se ad initium Introitus; ad: *Gloria Patri* etc. caput inclinatur, et ad: *Kyrie* etc. Celebranti respondet.

1228. — Si ad cantum: *Kyrie* sedendum sit, Cruci Altaris caput profunde inclinatur, et, absque genuflexione, capite detecto manibusque iunctis, ad scamnum procedit (DD. 1563 ad 1; 2684 ad 13).

Ibi a sinistris Celebrantis consistens, eidem posteriorem sublevat planetæ limbum, et apte post scamni tergum demittit; tum, Celebranti exhibita reverentia, assidet, caput cooperit, ac manus prope genua super tunicellam extensas imponit. Ad postremum: *Kyrie*, Caeremoniario innuente, caput detegit, surgit, et per planum se confert ante infimum Altaris gradum, ubi, ad Celebrantis sinistram, peracta genuflexione, elevans eidem Celebranti anteriorem vestis fimbriam ad secundum ascendit gradum; quo facto, in planum descendit a tergo Diaconi.

Idipsum perfici opus est, quoties sedendum sit ad Sequentiam, at tunc ad scamnum pergit, quin prius ad Altaris medium accedat, aut ullam reverentiam exhibeat.

1229. — Si vero sedendum non sit, dum a Choro ultimum decantatur: *Kyrie* etc., Subdiaconus per idem incedens planum, dexterumque Altari obvertens latus, una simul cum Celebrante ac Diacono, quod semper in similibus efficiendum est, accedit ad Altaris medium, ibique perstat donec a Celebrante decantatum fuerit: *Dominus vobiscum*, si Hymno Angelico locus non adsit, vel intonatum: *Gloria in excelsis Deo*.

In hoc posteriori casu ad vocem: *Deo*, flectit caput, et ita celeriter Altare conscendit, ut simul cum Diacono illuc perveniat; tum ad sinistram Celebrantis consistens, voce submissa, recitat cum eo Hymnum Angelicum, inclinans se cum ipso, ad: *Adoramus te; Gratias agimus tibi; Iesu Christe; Suscipe deprecationem nostram* et iterum ad: *Iesu Christe*.

Dum vero profert: *Cum Sancto* etc., sinistra infra pectus posita, Cruce se signat ita tamen ut ad verba: *Cum Sancto*, frontem tangat; ad: *Spiritu*, pectus; ad: *in gloria*, humerum sinistram; ad: *Dei*, dexterum; proferens: *Patris. Amen*, manus iungat.

1230. — Si, recitato Hymno, non est sedendum, Subdiaconus perstat, iunctis manibus, ad sinistram Celebrantis latus usquedum a Choro Hymnus persolvatur. Quando a Choro cantantur vel, sub organorum sono, recitantur verba inclinationes exposcentia, caput inclinatur et circa Hymni finem, quin genuflectat, in planum descendit a tergo Celebrantis.

Sin autem est sedendum, peracta in suppedaneo genuflexione, ad suam se vertit dexteram, et ante Diaconum, per latus Epistolae, detecto capite, ad paratum pergit scamnum. Cum a Choro cantantur, vel sub organorum sono recitantur verba quae incli-

nationes exposcunt (D. 3457 ad 3), caput detegit ponens biretum prope genu dexterum et capitis inclinationem facit (D. 1563 ad 1). Ad postrema Hymni verba nempe: *Cum Sancto Spiritu* etc., ad Caeremoniarii nutum, se gerit ut supra sub n. 1228 diximus.

1231. — Ubi: *Dominus vobiscum* a Celebrante cantatum fuerit, Subdiaconus per idem planum se confert, una cum Celebrante et Diacono, ad cornu Epistolae, in inessu obvertens Altari latus sinistrum, quod semper in similibus servandum est. Ad Orationem, vel Orationes, stat a tergo Celebrantis et flectit caput, quando id praestat Celebrans.

1232. — Sub finem ultimae Orationis, ibidem consistens, a Caeremoniario librum accipit Epistolarum, quem utraque manu ad inferiores angulos tenens ante pectus cum parte superiori ipsi pectori adhaerente, graditur ad Altaris medium, ubi, facta genuflexione in infimo gradu (D. 2682 ad 47), continuo redit ad cornu Epistolae; ibique stans in plano post tergum Celebrantis, facie ad Altare conversa, ac ipsemet librum sustinens, cantat Epistolam, caput inclinans ac genuflectens, cum opus fuerit. Sed caput non est inclinandum quando nomen alicuius Sancti, de quo Missa celebratur, vel fit specialis Commemoratio, occurrit in titulo Epistolae (D. 3767 ad 25).

Si in Ecclesia pro cantu Epistolae adhibetur legile, Subdiaconus librum super illud ponet, manus autem extensas in extremitate inferiori eiusdem libri.

1233. — Cantata Epistola, librum clausum deferens, ut supra, pergit iterum ad medium Altaris alteram genuflexionem peracturus; qua completa, accedit per planum ad Celebrantem in cornu Epistolae; ibi in ora suppedanei genuflexus, si Canonicus profunde inclinatus tantum (D. 3491 ad 7), paululum deflectit librum versus Celebrantem, osculatur eius manum libro superpositam, ac benedictionem recipit; tum erectus librum tradit Caeremoniario.

Si Celebrans vero in legendo Tractu vel Sequentia occupatus est, Subdiaconus in plano ad latus Epistolae consistit et, lectione absoluta, ad oram suppedanei ascendit.

Si ad cantum Sequentiae sedendum sit, se gerit ut supra (v. n. 1228).

1234. — Post traditionem libri Epistolarum, vel circa exitum cantus Sequentiae, si eidem locus sit, apprehenso Missali cum legili,

vertit se ad sinistram suam, ac per planum incedens, ac genuflectens in infimo gradu (D. 2682 ad 47) ante Altaris medium, transfert illud ad cornu Evangelii, ac ita statuit, ut illius pars posterior fere angulum lateralem cornu Evangelii respiciat. Deposito Missali, ad secundum descendit gradum a latere eiusdem cornu, ibique, facie ad Altare versa, assistit Celebranti Evangelium legenti, folia vertens, ac de more respondens tum in principio, tum in fine, nec non se signans, caput inclinans ac genuflectens, prout Celebrans (D. 4057 ad 5).

1235. — Lecto Evangelio, respondet: *Laus tibi, Christe*, ascendit suppedaneum, collocat Missale prope locum ubi Corporale extendendum erit, et ad iniunctionem incensi in thuribulum se gerit ut ante Introitum (v. n. 1227). Postmodum descendit ante infimum Altaris gradum tantillum ad cornu Evangelii usque ad adventum Diaconi. Tum vero, facta ibi a sinistris Diaconi genuflexione, per suam se vertit laevam, et a sinistris Diaconi ad locum procedit, ubi Evangelium canendum est, nimirum ad Evangelii cornu, aliquantulum longe ab Altaris gradibus. Quo cum accesserit, ita se collocat, ut sinistrum habeat latus Altare versus, et dexterum erga populum, faciem autem ad Diaconum conversam.

Stans ita compositus, accipit a Diacono, ambabus manibus, ad partem inferiorem librum apertum, et sic ante pectus elevatum tenet, ut facies, oculique eius a libro tegantur, iugiter consistens usque ad finem Evangelii, quin se signet, inclinet, aut genuflectat (Caer. Episc., l. I, cap. X, n. 3).

Cantato Evangelio, librum apertum retinens, recta via, absque ulla reverentia, illum defert Celebranti osculandum, indicans digito paginam ubi adest principium Evangelii sibi a Diacono ostensum.

1236. — Si ad Evangelium canendum, legile adhibetur, Subdiaconus consistit post legile, et ad extremitates superiores libri manus apponit iugiter consistens usque ad finem Evangelii quin se signet, inclinet, aut genuflectat, cum repraesentet legile immobile (Caer. Episc. loc. cit.). Absoluto Evangelii cantu, a Diacono accipit librum, et se gerit ut supra.

1237. — Postquam Celebrans Evangelium osculatus fuerit, librum claudit, ac parum retrocedens, Celebranti profunde se inclinat; in planum descendit e cornu Epistolae, ibique tradit librum Caeremoniario.

1238. — Si post Evangelium habenda sit concio, Subdiaconus, post thurificationem Celebrantis, ascendit ad illius sinistram, et continuo facta genuflexione, descendit ut alias ad scamnum, ubi a sinistris Celebrantis assidet, et Concionatori caput aperit cum ipsos salutatur (D. 1772 ad 5). Post concionem ad Altare revertitur cum genuflexione.

1239. — Expleta concione, vel, si huic locus non fuerit, incensato post Evangelium Celebrante, accedit ad medium Altaris et in plano sistit a tergo Diaconi, donec Celebrans: *Dominus vobiscum* et *Oremus* decantaverit, si Symbolum non sit dicendum, vel: *Credo in unum Deum* intonaverit. Tunc ad vocem: *Deum*, profunde inclinato capite, ad sinistram ascendit Celebrantis, cum eo Symbolum recitat, non praetermittens capitis inclinationem ad: *Iesum Christum*, et: *Simul adoratur*; ad verba: *Et incarnatus*, lente genu dexterum flectit reliqua proferens verba: *de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et homo factus est*, absque ulla capitis inclinatione. Ad verba: *Et vitam venturi saeculi. Amen*, sinistra infra pectus demissa, se interim signat dextera, ita tamen ut ad verbum: *Et*, frontem tangat; ad: *vitam*, pectus; ad: *venturi*, sinistrum humerum; ad: *saeculi*, dexterum; denique *Amen* pronuntians, manus iungit.

1240. — Si recitato Symbolo non sit sedendum, Subdiaconus perstat a sinistris Celebrantis; ast paulo ante: *Et incarnatus*, faciem ad Celebrantem convertens, descendit cum eo ad secundum gradum; ad praefata verba utrumque in ora suppedanei flectit genu, ac caput profunde inclinat (D. 2915 ad 6). Cantato: *et homo factus est*, iterum Altare conscendit uti prius. Post Symbolum, quin genuflectat, in planum descendit a tergo Diaconi.

Si vero ad Symbolum sit sedendum, accedit ad scamnum, assidet et ad Altare redit prout n. 1230 de Hymno Angelico dictum est. Ad: *Et incarnatus*, minime genuflectit, sed caput apertum dumtaxat inclinat.

Ad verba: *Crucifixus etiam*, quum Diaconus bursam ad Altare delaturus surgit, et ipse surgit, biretum ante pectus manibus tenet usque ad illius reditum; tunc assidet cum eo, ac caput cooperit.

1241. — Sub Symboli exitum ad Altare reversus, sistit de more in plano post tergum Diaconi; tum dicto: *Oremus*, genuflectit in infimo gradu et ad abacum pergit. Illic renibus ad populum versis, accipit circa humeros a secundo Ceroferario velum sericum oblongum, ac postea manu sinistra nuda Calicem cum desuper purificatorio,

Patena, hostia ac palla, ad nodum apprehendit, illumque longiori parte veli contegit; demum extendens dexteram super ipsum velum, per latus Epistolae suppedaneum ascendit a dextris Diaconi, eique Calicem sic coopertum tradit.

Quando non dicitur *Credo*, Subdiaconus etiam bursam cum Corporali super pallam imponit, omnia velo humerali contegit.

1242. — Cum Diaconus Celebranti Patenam porrigit, Subdiaconus sinistra accipit Calicem ad nodum, in quo tantillum elevato et inclinato, dextera, extensis iunctisque digitis, premit medium purificatorii usque ad fundum, pollice tamen alterutrum purificatorii pendens limbum retinet ad exteriorem partem cuppae, ac purificatorium semel et iterum circumducens per Calicem, hunc penitus extergit et Diacono tradit. Tum, sinistra ad pectus apposita, dextera accipiens a primo Ceroferario ampullam vini, praebet eam, sine osculis, Diacono, ac dum hic vinum in Calicem infundit, ipse ab eodem Ceroferario capit ampullam aquae, quam aliquantulum elevans ostendit Celebranti, dicens interim parum inclinatus: *Benedicite, Pater Reverende*; facto autem a Celebrante super ampullam Crucis signo, paucas aquae guttas infundit in Calicem; postea de manu Diaconi recipit ampullam vini, et utramque Ceroferario tradit.

1243. — Post: *Offerimus* etc. se gerit ut sub n. 934 diximus, sed paulo ante: *Sanctus*, Patena pectori admota, ascendit, absque genuflexione, ad sinistram Celebrantis, ut cum eo mediocriter inclinatus Trisagium recitet, se erigens, at non se signans, ob Patenam quam manu tenet, ad: *Benedictus*. Deinde iterum in planum descendit uti prius. Verum ubi in more est positum, ut Subdiaconus ad Celebrantem minime accedat ad dicendum: *Sanctus* etc., id servari licet (D. 2682 ad 30).

Quum postmodum a Celebrante cantatur: *Pax Domini* etc., genuflectit in infimo gradu et ad illius sinistram accedit, ubi, nova cum Celebrante peracta genuflexione, dicit cum eo parum inclinatus, iunctis manibus: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi*. Ad verba: *miserere nobis*, manus disiungit et, sinistra infra pectus posita, dextera aperta et extensa digitisque simul iunctis, pectus percutit primo et secundo, tertio vero ad verba: *dona nobis pacem* (D. 3535 ad 3); dehinc iterum genuflectit, ac in planum descendit, ante medium Altaris, quin genuflexionem iteret.

Dum Diaconus ad eum accedit ad pacem dandam, se parum ad Evangelii cornu retrahit, absque genuflexione, ita ut ambo in medio

Altaris ante infimum gradum stent, deinde se convertens ad suum dexterum latus versus Diaconum, brachia sua brachiis illius submittere, suam genam sinistram sinistrae illius apponens, respondet: *Et cum spiritu tuo*, et caput ante et post inclinatur.

1244. — Pace accepta, simul cum Diacono genuflectit, ac Caeremoniario, vel eo deficiente, Acolytha eum comitante, se ad Chorum confert, ubi ex praesentibus digniori in stallis superioribus pacem dat, imponens manus super humeros eiusdem interea dicens: *Pax tecum*. Data pace digniori, Subdiaconus inclinatur se et transit, genuflectens in medio versus Altare, ad alteram Chori partem; iterum digniori illius partis in stallis superioribus pacem dat. Deinde pacem dat primo in stallis inferioribus, ac postea revertitur ad alteram Chori partem, in medio genuflectens, et pariter pacem dat primo in stallis inferioribus.

Si Canonici Episcopi adsint, Subdiaconus eis pacem dans, manus suas extensas non super eorum humeros imponit, sed eorum cubitis supponit.

Pace in Choro distributa, redit ad Altare, ubi ante medium facta genuflexione, pacem porrigit Caeremoniario; iterum genuflectit et ascendit suppedaneum ad dexteram Celebrantis, absque nova genuflexione, nisi forte cum Celebrante genuflectere debeat.

Quum vero Celebrans ter dicit: *Domine, non sum dignus* etc., mediocriter se inclinatur, sed nihil dicit nec pectus percutit (D. 3535 ad 3). Quando vero Celebrans sub utraque Specie se communicat, erga Altare profunde se inclinatur, minime vero tempore intermedio.

1245. — Ubi Celebrans, sumpta sacra Hostia, a meditatione cessavit, Subdiaconus pallam e Calice detrahit, et cum Celebrante genuflectit ac surgit; sinistra super pectus posita, dextera accipit ampullam vini a Cerofulario primo et vinum in Calicem infundit ad beneplacitum Celebrantis, non se inclinans, nec ampullam osculans. Purificatione a Celebrante sumpta, iterum manu dextera vinum infundit super pollices et indices eiusdem Celebrantis; tum ampulla vini Cerofulario reddita, eadem manu dextera accipit ampullam aquae, quam rursus super digitos infundit; tandem Cerofulario ampullam reddit; quo peracto, purificatorium ponit expansum super digitos Celebrantis.

Tum per gradus anteriores Altaris in planum descendit simul cum Diacono; ante Altaris medium genuflectit et accedit ad cornu Evangelii, ibi super Calicem purificatorium extendit, quem sinistra ad

nodum tenens parum elevatum et inclinatum, medium purificatorii dextera premit ad imum usque ac pollice alterutram illius partem retinet extra cuppam; sicque illud bis, terve circumducens totum Calicem moderate, nec brachia cum toto corpore agitans, abstergit. Deinde, remoto sinistra manu Calice de Corporali in cornu Evangelii, purificatorium super illum extendit eique sinistra Patenam, simulque Patenae dextera pallam superimponit. Postea Subdiaconus plicat Corporale, revolvendo anteriorem illius partem, posteriorem, et reliquas hinc et inde, atque in bursam quam, sinistra premente, aperit, dextera Corporale recondit; denique velo Calicem cooperit, ac super illum bursam collocat; postea revoluta super bursam parte anteriori veli, capit sinistra Calicem ad nodum, ac extensam tenens dexteram super bursam, defert illum, sine velo quidem humerali, sed cum genuflexione ante medium Altaris, ad abacum; ubi demisso velo in anteriori parte revoluta, ad suum redit locum post tergum Diaconi, absque genuflexione, si adhuc sit in cornu Epistolae.

1246. — Post: *Ite Missa est*, vel: *Benedicamus Domino*, ad secundum ascendit gradum aliquantulum ad cornu Evangelii, ac dum Celebrans, dicto: *Placeat* etc., osculatur Altare, genuflectit in ora suppedanei, se signans ad benedictionem. Si ultimum Evangelium sit proprium, decantato a Diacono: *Ite Missa est*, sine genuflexione, ascendit ad cornu Epistolae, via breviori, sumit Missale cum legili, et descendens per gradus anteriores in planum, genuflectit ante medium Altaris super infimum gradum, defert Missale ad cornu Evangelii, ac ita statuit ut illius pars posterior fere angulum lateralem cornu Evangelii respiciat: statim ad secundum gradum ante Altare descendit et utrumque flectit genu in ora suppedanei, aliquantulum versus Evangelii cornu. Benedictione accepta, surgit, et per eundem gradum incedens ad cornu Evangelii accedit, ubi, facie ad Altare versa, assistit Celebranti Evangelium legenti, cui in principio et in fine respondet, ac tabellam sustinet, non se signans, nec genuflectens. Si vero Missali assistit, manu sinistra folia vertit atque se signat, caput inclinatur et genuflectit prout Celebrans, si opus fuerit.

1247. — Lecto Evangelio, conscendit suppedaneum a sinistris Celebrantis, ibique, capite Cruci inflexo, vertens se, e latere suo dextero, descendit ante infimum Altaris gradum, ubi, facta genuflexione, caput cooperit, ac cum aliis, eodem quo venit modo, ad Sacrarium revertitur. Quo cum pervenerit, consistit ad sinistram

Celebrantis, apertoque capite profunde se inclinatur Imagini praecipuae; salutato Celebrante, sacras exuit vestes, ordine inverso.

1248. — Quum Presbyter Assistens adest, Subdiaconus se, more solito, gerit, si quidem sequentia excipias:

I. - Cum ad Altare pervenit consistit a sinistris Diaconi.

II. - Cantata Epistola, benedictioneque accepta, non transfert Missale, sed, reddito Caeremoniario Epistolarum libro, sequens Presbyterum Assistentem, ad cornu graditur Evangelii, cum genuflexione ante medium Altaris.

III. - Dum Celebrans Evangelium legit, inter eum consistit et Presbyterum Assistentem, aliquantulum post ipsos.

IV. - Pace a Diacono more locoque solito recepta, minime ad Chorum pergit, sed, facta genuflexione, ad dexteram ascendit Celebrantis, donec a Choro redeat Presbyter Assistens; tunc, genuflexione peracta, in planum descendit.

V. - Lecto ultimo Evangelio, pro quo nunquam transfert Missale, ascendit suppedaneum ad laevam Diaconi, ibique, Cruci capite inclinato, vertit se per latus suum dexterum, ac descendit ante infimum Altaris gradum; ubi a sinistris pariter Diaconi, facta genuflexione, caput contegit et ad Sacrarium regreditur, modo quo egressus est.

ARTICULUS VII.

De Caeremoniario in Missa solemni, absente Episcopo Ordinario.

1249. — Caeremoniarius hora praestituta ad Sacrarium se confert, manus lavat, superpelliceum induit, ac diligenter inspicit, an omnia pro Missa solemni sint suo quaeque loco parata et congrue disposita (v. n. 1163).

Omnibus rite compositis, egrediendi signum dat, et, facta cum aliis profunda inclinatione Imagini praecipuae, post Ceroferarios (Caer. Episc., L. II, cap. III, n. 1 et D. 2578 ad 2) ad Altare procedit, iunctis manibus et capite iugiter detecto. Ad Ecclesiae ingressum, si aspersione aquae lustralis locum non habeat, tantisper subsistens, indicem dexterum aqua benedicta intingit, eamque Subdiacono porrigit; quo peracto, seipsum signat, et iter suum proseguitur.

Si in accessu ad Altare transire oporteat ante Altare super quo SS. Sacramentum expositum est, simul ac in conspectu eius adve-

nerit signum dat caput detegendi et utrumque genu flectendi, addita mediocri corporis inclinatione (D. 4179 ad 1); si vero SS. Sacramentum in Tabernaculo inclusum est, advertit ut caput detegant et, facta genuflexione unico genu, caput rursus cooperiant; ita se gerit in transitu ante S. Crucis Reliquiam, vel alterius Dominicae Passionis Instrumenti publice expositam. Si transire contingat ante Altare maius, cum forte Missa solemnis in Altari laterali sit celebranda, ante Reliquias Sanctorum solemniter expositas, ante Praelatos maiores in loco eorum iurisdictionis, coram ipsis caput detectum inclinare facit.

1250. — Cum ad Altare pervenerit, sistit in cornu Epistolae et, Celebrante coram Altari in medio adveniente, signum dat caput detegendi et Altaris Cruci debitam reverentiam praestandi, simulque a Diacono Celebrantis biretum et illud ipsius Diaconi accipit, dein ad sinistram Subdiaconi accedit eiusque biretum accipit ibique in plano genuflectit; dat signum Celebranti incipiendi Missam, defert bireta ad sedile, et ea in scamno tribus distinctis locis disponet.

Si Presbyter Assistens adsit, Caeremoniarius, acceptis biretis Celebrantis et Presbyteri Assistentis, se confert ad sinistram Subdiaconi eiusque ac Diaconi biretum accipit, ibique genuflectit in plano; dat signum Celebranti incipiendi Missam; bireta ad sedile defert, ubi in quatuor distinctis locis disponit.

1251. — Caeremoniarius infra Confessionem genuflectit in parte Epistolae, et quidem in infimo gradu, si tres adsint gradus, secus in plano, facie ad cornu Evangelii conversa. In genere vero, iuxta probatorum Auctorum sententias, dicendum est: Caeremoniarius stat, vel genuflectit, in loco quo maluerit, cum ei neque stanti, neque genuflexo, certus in Presbyterio locus assignari possit.

Quando Ministri Confessionem faciunt, ipse profunde se inclinatur, pectus cum illis percutit et versus Celebrantem se vertit dum illi dicunt: *Tibi Pater*, et: *Te Pater*.

Pronunciato a Celebrante: *Oremus*, Caeremoniarius surgit, et ad Epistolae latus Altaris gradum conscendit a sinistris Thuriferarii. Ad iniunctionem incensi in thuribulum sistit in suppedaneo Diaconum inter et Thuriferarium.

1252. — Si Presbyter Assistens absit, postquam Celebrans Crucem ac etiam Reliquias vel Statuam, si adsint, incensavit, Caeremoniarius cum aliis genuflectit, Missale apprehendit cum legili, et descendens in planum stat ad Altaris latus conversus donec

Epistolae cornu incensatum fuerit. Dum Celebrans ad medium progreditur, Altare conscendit, Missale pristinum in locum reponit, cum aliis genuflectit et rursus descendit. Si vero Missale super abacum adsit, illud accipit et, postquam cornu Epistolae incensatum fuerit, super Altare collocat, dein cum aliis genuflectit et rursus descendit.

Si Presbyter Assistens adsit, Caeremoniarius in Altaris thurificatione Celebrantem comitatur a dexteris Diaconi. Ad Celebrantis incensationem se a tergo Subdiaconi collocat, ad sinistram Thuriferarii. Celebrante a Diacono subinde incensato, accedit ad posteriorem partem cornu Epistolae, seu iuxta Altaris latus, vel retro stat post Presbyterum Assistentem, si eidem sit locus, se cum aliis signans ad Introitum, caput et, alios praeveniens, inclinans ad: *Gloria Patri* etc. Cum a Choro ultimum decantatur: *Kyrie*, Celebranti sacrisque Ministris signum dat ad medium Altaris accedendi.

1253. — Si ad cantum: *Kyrie* sedendum sit, signum dat caput Cruci Altaris profunde flectendi et, praecedendo per brevioram viam, Celebrantem et sacros Ministros ad scamnum ducit. Deinde, Celebrante sedente cum aliis salutato, et ipse sedere potest in aliquo scamno, tamen humiliore, vel ad dexteram Diaconi, vel, si Presbyter Assistens adsit, ad sinistram Subdiaconi, ita collocato, ut a Celebrante et a Ministris sacris videri possit (DD. 279; 350; 2578 ad 8 et 9). Ad postremum *Kyrie* surgit, et consistens ante Celebrantem, ei se inclinatur in signum assurgendi. Tum per planum illum sacrosque Ministros antecedendo ad Altare reducit, ubi a dexteris Diaconi, genuflexione peracta in plano, se ad latus Epistolae recipit.

1254. — Ad: *Gloria in excelsis Deo* intonationem, Caeremoniarius prope angulum Altaris in cornu Epistolae consistit et ad verbum: *Deo*, capitis inclinatione facta, Ministris sacris signo indicat ut suppedaneum conscendant; si non adsit Presbyter Assistens, accedit ad dexteram Diaconi, secus ad dexteram Presbyteri Assistentis, recitans cum aliis Hymnum Angelicum, caput inclinans ad: *Adoramus te; Gratias agimus tibi; Iesu Christe; Suscipe deprecationem nostram*; et iterum ad: *Iesu Christe*, ac se Crucis signo muniens in fine Hymni.

1255. — Si ad huius Hymni cantum sit sedendum, facta ibidem genuflexione, per brevioram viam ducit, praecedens, Celebrantem ac sacros Ministros ad scamnum ac sedet ut supra.

Si, quum de Altari discedendum erit Celebranti cum Ministris, cantantur aliqua verba, quae inclinationes exposcunt, advertat

Caeremoniarius detinere eos ad Altare donec verba illa cantata fuerint: si cantantur interea dum ex Altari ad scamnum pergunt nequaquam subsistent; quod si cantantur statim ac venerint ad scamnum, non sedent, sed stantes ibi versus Altare se inclinant; quod faciunt Ministri tantum si cantantur postquam Celebrans sederit, et priusquam considant ipsi.

1256. — Dum a Choro illa cantantur verba, vel sub organorum sono recitantur (D. 3457 ad 3), quae inclinationes exposcunt, signum dat caput detegendi, inclinandique (D. 1563 ad 1); quum autem postrema concinuntur, nempe: *Cum Sancto Spiritu* etc., surgit, ac se ante Celebrantem constituens, eidem se inclinatur in signum assurgendi; tum per planum, antecedendo, reducit illum, sacrosque Ministros ad Altare; ubi, facta a dextris Diaconi genuflexione, se recipit ad latus Epistolae ut ad Introitum, et Celebranti ostendit Orationes dicendas, ac folia volvit, si nimirum desit Presbyter Assistens.

1257. — Sub ultimae Orationis finem, accipit ex abaco Epistolarum librum, quem, tenens ad latera cum apertura ad dexteram suam conversa, tradit Subdiacono in cornu Epistolae consistenti; mox ducit hunc, incedens a sinistris eius, ad medium Altaris, ubi, facta cum eo genuflexione, reducit illum ante cornu Epistolae, stans pariter a sinistris eius dum cantat Epistolam, caput inclinans ac genuflectens cum opus fuerit. Caput vero non est inclinandum quando nomen alicuius Sancti, cuius Festum vel Commemoratio agitur, occurrit in titulo (D. 3767 ad 25). Qua expleta, rursus ducit Subdiaconum ad Altaris medium ut supra: ibique, repetita genuflexione, comitatur illum ad Celebrantem ad benedictionem recipiendam, postquam ab eodem Subdiacono librum accipit.

1258. — Si ad cantum Sequentiae sedendum sit, Caeremoniarius, postquam Celebrans eam legerit, se gerit ut sub n. 1253 diximus. Circa finem cantus Sequentiae surgit et consistens ante Celebrantem, ei se inclinatur in signum assurgendi.

1259. — Cum Celebrans Evangelium legere incipit, Caeremoniarius e latere Epistolae Diacono Evangeliorum librum porrigit, quin eum ad Altaris medium comitetur. Lecto subinde Evangelio, assistit ad impositionem thuris prout ante Introitum (v. n. 1251); quo benedicto, descendit cum Thuriferario in planum ad latus Epistolae, quoadusque Celebrans benedictionem

Diacono impertiat; tunc Thuriferarium ducit ac Ceroferarios ante medium Altaris, ubi, postquam Diaconus in planum descenderit, facta ab omnibus genuflexione, ducit eos, praecedens, ad locum, in quo Evangelium cantari solet, nempe ad cornu Evangelii aliquantulum longe ab Altaris gradibus. Cum illuc accesserit, Ministris ante se transeuntibus locum dat; dehinc ad laevam sistit Diaconi, tantillum post eum, indicans ei Evangelii textum, se signans ad verba: *Sequentia* etc., vel: *Initium* etc. Si infra Evangelii cantum occurrat nomen Iesu, Mariae vel Sancti de quo Missa celebratur, vel Commemoratio fit, caput versus Missale inclinatur, genuflectit pariter versus Missale, si genuflectendum sit. Si vero nomen Sancti, de quo Festum vel Commemoratio agitur, occurrit in titulo, caput non flectit (D. 3767 ad 25).

Cantato Evangelio, cum Subdiaconus Celebranti librum defert osculandum, Caeremoniarius reliquos ducit Ministros ante infimum Altaris gradum cum genuflexione, et in cornu Epistolae accipit a Subdiacono Evangeliorum librum, quem ad abacum reportat.

Si post Evangelium habenda est concio, acceditur ad sedile, et suo tempore ad Altare fit reditus, quemadmodum supra dictum est.

1260. — Intonato a Celebrante: *Credo in unum Deum*, Caeremoniarius ad verbum: *Deum*, capitis inclinatione peracta, Ministris sacris signo indicat ut suppedaneum conscendant; si non adsit Presbyter Assistens, accedit ad dexteram Diaconi, secus ad dexteram Presbyteri Assistantis, recitans cum aliis Symbolum, inclinans caput ad: *Iesum Christum*, et: *Simul adoratur*, ac genuflectens ad: *Et incarnatus*, necnon se signans ad: *Et vitam venturi saeculi. Amen.*

Si, recitato Symbolo, non sit sedendum, manet ibi; ast paulo ante: *Et incarnatus*, descendit cum Celebrante sacrisque Ministris, ab ipso invitatis, ad secundum gradum, et genuflectit cum ipsis, utroque genu, in ora suppedanei, ac profunde caput inclinatur, usque ad: *et homo factus est*, inclusive. Deinde ascendit rursus cum aliis ad Altare, ubi, facta cum Diacono genuflexione, pergit, via breviori, ante eum ad abacum; ibi bursam apprehendit, ac Diacono tradit; postmodum redit ad cornu Epistolae. Sub finem Symboli sacros admonet Ministros ut descendant post tergum Celebrantis; ipse vero, debitis cum reverentiis, secedit ad librum, si nimirum non adsit Presbyter Assistens.

Si vero ad Symbolum sit sedendum, facta ibidem genuflexione, per brevioram viam ducit, praecedendo, Celebrantem ac Ministros sacros ad scamnum, et sedet ut supra.

Dum a Choro illa cantantur verba quae inclinationes exposcunt, signum praebet caput detegendi et inclinandi. Ad: *Et incarnatus*, surgens monet Celebrantem aliosque ut caput profunde inclinent, ipse vero genuflectit, nisi contraria vigeat consuetudo.

Decantatis verbis: *et homo factus est*, surgit et Diacono dat signum accedendi ad abacum, ubi eidem bursam praebet. Reverso Diacono ad scamnum, sedent omnes uti prius.

Cum Chorus cantat: *Et vitam* etc., Caeremoniarius Celebranti et Ministris sacris signum dat ad assurgendum; tum per planum, antecedendo, illos ad Altare reducit et ad sinistram Subdiaconi genuflectit, dein accedit ad librum, dummodo non adsit Presbyter Assistens; lecto porro a Celebrante Offertorio, genuflectens ante medium Altaris, sese ad cornu Epistolae infert a dextris Subdiaconi.

Si vero adsit Presbyter Assistens, decantato Symbolo, se confert ante Altare ad dexteram Diaconi, ibique genuflexionem peragit.

1261. — Ad iniunctionem incensi in thuribulum, sistit in suppedaneo Diaconum inter et Thuriferarium, deinde cum genuflexione in medio Altaris, transit ad cornu Evangelii, et amovet Missale, si nempe desit Presbyter Assistens, secus ad Altaris incensationem ad laevam adstat Celebrantis. Postmodum sistit ad librum, ostendens Celebranti legenda et canenda, dummodo pariter Presbyter Assistens locum non habeat; alioquin ad cornu Epistolae consistit per totum quoque Canonem. Thurificato Diacono, Caeremoniarius a Thuriferario incensatur, in loco ubi reperitur.

1262. — Circa Praefationis finem, Ministros sacros monet ut ad latera Celebrantis ascendant et, se aliquantulum retrahens ad cornu Evangelii, Subdiacono locum dat; cum aliis *Sanctus* etc., recitat, submissa voce, mediocriter inclinatus; ad verba: *Benedictus* etc., signum Crucis facit, deinde in planum descendit et, facta simul cum Diacono ante medium Altaris genuflexione, retro post Subdiaconum, quod semper in similibus observandum est, se in planum lateris Epistolae confert.

Ad: *Quam oblationem*, incensum, absque benedictione, in thuribulum imponit (Caer. Episc., L. II, cap. VIII, n. 70), deinde genuflectit in infimo Altaris gradu lateris Epistolae ad sinistram Thuriferarii.

Peracta utraque elevatione, surgit, accedit ante medium Altaris post Subdiaconum, ibi simul cum Thuriferario ac Ceroferariis genuflectit et se in planum lateris Evangelii confert.

Quum Celebrans *Per quem haec omnia* pronunciat, Caeremoniarius, si desit Presbyter Assistens, facta genuflexione simul cum Diacono, se ad librum recipit.

Circa finem Dominicae Orationis, Subdiacono innuit ut ad dexteram Diaconi ascendat.

1263. — Ad: *Pax Domini*, aliquantulum ad cornu Evangelii deflectens, cedit locum Subdiacono; tum, facta genuflexione, profert cum aliis: *Agnus Dei* etc., percutiens sibi pectus ad: *miserere nobis*, et ad: *dona nobis pacem*, deinde genuflexionem cum Subdiacono peragit et ad librum redit. Recitata a Celebrante Oratione: *Domine Iesu Christe*, etc., Caeremoniarius iterum genuflectit, descendit, per gradus laterales cornu Evangelii, in planum, et se confert in medium retro post Subdiaconum.

1264. — Ubi Presbyter Assistens locum obtinet, postquam ipse Diacono pacem dederit, Caeremoniarius, facta genuflexione, illum ad Chorum comitatur ad pacem distribuendam, solitis cum reverentiis. Regressus cum genuflexione ad Altare, pacem ab eodem Presbytero Assistente accipit; repetita cum eo genuflexione, vadit ad Thuriferarium cui osculum pacis dat ac postea in plano cornu Epistolae sistit.

Sin autem Presbytero Assistente minime sit locus, tum vero Caeremoniarius, statim ac Diaconus pacem Subdiacono praebuerit, peracta genuflexione, illum ad Chorum comitatur ad pacem distribuendam, cum solitis reverentiis. Regressus cum genuflexione ad Altare, ab eodem Subdiacono pacem excipit; tum, facta cum eo genuflexione, se gerit ut supra.

1265. — Ad: *Domine, non sum dignus*, mediocriter se inclinatus sed non percutit pectus (D. 3535 ad 3); dum Celebrans sub utraque Specie se communicat, erga Altare profunde se inclinatus, non tamen tempore intermedio.

Lecta « *Communio* » ac decantato: *Dominus vobiscum*, stans prout ad Introitum Celebranti indicat Orationes, modo non adsit Presbyter Assistens; quibus completis, librum claudit, nisi illum oporteat apertum relinqui ad alterius Evangelii lectionem.

Postmodum Caeremoniarius descendit per gradus laterales in planum et infra benedictionem genuflectit in infimo gradu, in cornu Epistolae. Deinde surgit se signans ad verba: *Initium*, vel: *Sequentia*, et genuflectit ad: *Et Verbum caro*, vel ad alia verba quae genuflexionem exposcunt.

1266. — Expleto Evangelio, Caeremoniarius bireta Celebrantis et sacrorum Ministrorum accipit; Subdiaconi biretum Thuriferario tradit, deinde ante Altare in planum se confert ad dexteram Diaconi, ibique genuflexionem facit, Celebrantis biretum Diacono tradit ac postea Diacono ipsi. Si vero adsit Presbyter Assistens, Thuriferario tradit bireta Diaconi et Subdiaconi, deinde ante Altare in planum se confert ad dexteram Presbyteri Assistantis, ibique genuflexionem peragit, Celebrantis biretum Presbytero Assistenti porrigit ac postea Presbytero ipsi. Celebrantem ac sacros Ministros ad Sacristiam, eodem quo venerunt modo, reducit. Quo cum pervenerit, exhibita profunda reverentia Imagini praecipuae, ac salutato Celebrante, superpelliceum exiit.

ARTICULUS VIII.

De Thuriferario in Missa solemni, absente Episcopo Ordinario.

1267. — Thuriferarius, hora praestituta, Sacrarium ingreditur, thuribulum praeparat, manus lavat, ac superpelliceo amictus, ad nutum Caeremoniarii, thuribulum et naviculam accipit; facta cum aliis profunda inclinatione praecipuae Imagini Sacrarii, incessu gravi, oculis ad terram demissis, ante Ceroferarios procedit.

Si transeundum sit ante SS. Sacramentum etc., consule n. 1174.

1268. — Cum ad Presbyterii cancellos pervenerit, procedit versus cornu Epistolae, ante infimum Altaris gradum subsistit et cum aliis in linea recta, a sinistris Ceroferarii prioris genuflexionem peragit; si locus sit angustior, Thuriferarius subsistit in aditu Presbyterii, aliquantulum versus sinistram suam recedit ut Caeremoniarius, Ministri sacri et Celebrans transire possint, dein, retro post Celebrantem, genuflexionem peragit.

Si ad Presbyterium ex parte Evangelii pervenerit, procedit, absque genuflexione in medio, usque ad cornu Epistolae et sistit ante infimum Altaris gradum, in eodem cornu, et cum aliis, ut supra, genuflexionem peragit; si ex parte Epistolae pervenerit, tum subsistit ante infimum Altaris gradum in eodem cornu Epistolae et aliquantulum recedit ut Ceroferarii et alii transire possint, ac se ut supra gerit: si locus sit angustior, et sive ex parte Evangelii sive ex parte Epistolae pervenerit, procedit usque ad medium Presbyterii ubi sistit et cum aliis, retro post Celebrantem, genuflexionem peragit.

In omnibus supra allatis casibus Thuriferarius, genuflexione peracta, se ante abacum confert, in plano genuflectit, facie ad Altaris latus conversa, medius inter Ceroferarios, agitans aliquantulum thuribulum apertum.

1269. — Ubi Celebrans, postquam ad Altare conscendit, illud osculatus sit, Thuriferarius, genuflexione peracta, e latere Epistolae ascendit pene ad medium suppedanei, ibique naviculam ministrat ac thuribulum, ut n. 560 explicavimus. Accepta postmodum a Diacono navicula, eidemque tradito thuribulo, vertens se per suam dexteram, in planum descendit ad idem Epistolae latus, expectans incensationis exitum. At, si Caeremoniarius desit, navicula super abacum collocata, Missale ab Altari amovet, et cornu Epistolae incensato, reponit illud in locum pristinum; vel si Missale super abacum adsit, illud accipit et super Altare ponit.

Dum Celebrans thurificatur, stat aliquantulum post Diaconum, a quo postea ab eius dextero latere recipit thuribulum, quod in Sacristiam, debitum cum genuflexionibus, reportat; statim ad Altare redit, ubi ad abacum perstat ad Introitum, *Kyrie* et *Gloria*, nisi, ut infra, sit sedendum.

1270. — Quo in casu et ipse sedere quoque potest in humili aliquo scamno ad cornu Epistolae prope abacum vel cancellos Presbyterii, prout locus sinit, praeparato; ad quod Thuriferarius se conferet in medio Ceroferariorum, facta prius Celebranti profunda inclinatione, si ante ipsum transeat. Infra *Gloria* manus super genua ponit, se inclinat simul cum Caeremoniario et Ceroferariis, dum a Choro illa cantantur verba, quae inclinationes requirunt.

Cum autem cantatur: *Cum Sancto Spiritu* etc., ad nutum Caeremoniarii surgit; dum Celebrans cum Ministris sacris ad Altare accedit, se cum Ceroferariis ad abacum recipit.

Ad Orationes stat, vel genuflectit prout Chorus.

Si Sequentiae sit locus, et ad eam sit sedendum, se gerit ut supra diximus.

Dum Celebrans recitat: *Munda cor meum* etc., pergit ad accipiendum thuribulum cum navicula; lecto Evangelio, utrumque ministrat quemadmodum n. 560 innuimus. Thure benedicto, e latere Epistolae cum navicula et thuribulo in planum descendit, ibi consistens quoadusque Diaconus benedictionem accipiat. Tunc, Ceroferarios praecedendo, graditur ante Altare, ibique in illorum medio ac retro post Diaconum et Subdiaconum, facta simul cum eis genuflexione, volvitur se per suam sinistram, et ante

Ceroferarios se ad locum confert ubi Evangelium cantari solet, videlicet ad Evangelii cornu, aliquantulum longe ab Altaris gradibus. Quo cum accesserit, deflectens ad suam dexteram, sistit a tergo Diaconi; cui, postquam *Initium* etc., vel *Sequentia* etc., pronuntiaverit, a latere eius dextero thuribulum clausum porrigit; quo subinde ad idem latus recepto, se post Diaconum collocat, facie ad librum versa, ubi thuribulum lente agitatur, se cum Diacono inclinans ac genuflectens Altare versus, cum opus fuerit.

Cantato Evangelio, Ceroferarios item praecedendo, ante infimum Altaris gradum se confert; ibique, facta a dexteris Diaconi genuflexione, thuribulum ei praebet; Celebrante incensato, thuribulum recipit, et, iterata genuflexione, in pristinum defert locum, rediens postea ad abacum.

1271. — Si ad Symbolum sit sedendum, se gerit ut in praecedenti numero. Ad: *Et incarnatus est*, si stet, utrumque flectit genu ac mediocriter se inclinat; si sedeat, caput profunde inclinat (DD. 1421 ad 3; 1476 ad 1; 1594 ad 2; 2960 ad 2) vel, si adsit consuetudo, genuflectit utroque genu et caput mediocriter inclinat.

Decantatis verbis: *Et homo factus est*, surgit, sic perstans donec Diaconus ab Altari reversus assideat.

1272. — Cum autem cantatur: *Et vitam* etc., ad nutum Caeremoniarii, surgit, et dum Celebrans et Ministri sacri ad Altare accedunt, se cum Ceroferariis ad abacum pergit.

1273. — Cantato a Celebrante: *Oremus*, ad Offertorium, Thuriferarius ad Sacristiam pergit, debitum cum genuflexionibus, inde cum thuribulo et navicula ad Altare redit; genuflexione in plano ante Altare peracta, se prope abacum confert. Quum Celebrans dicit: *Veni, sanctificator* etc., per gradus laterales cornu Epistolae ad dexteram Diaconi ascendit, ubi naviculam ministrat ac thuribulum ut ante Introitum (v. n. 560).

Incensato Celebrante, accedit ad sinistram Diaconi; facta Altari genuflexione, ante Diaconum ad Chorum pergit. Ibi, a sinistris eiusdem Diaconi, se cum eo intra incensationem inclinat.

1274. — Incensatione Chori completa, ante Diaconum ad Altare revertitur; peracta Altari genuflexione, consistit a sinistris Diaconi dum Subdiaconus incensatur. Recepto postmodum thuribulo, stans in plano, ante infimum gradum in cornu Epistolae, Diaconum, duplici ductu, thurificat, se illi ante et post inclinans. Mox incensat

Caeremoniarium, unico ductu; tum per latus suum dexterum conversus ad Ceroferarios, unumquemque eorum, pariter unico ductu, thurificat; tandem se ad Altaris medium confert cum genuflexione, et stans prope aditum Presbyterii, populum, triplici ductu, incensat, nimirum in medio, a parte Epistolae, et a parte Evangelii, se ante et post mediocriter inclinans. Attamen si forte Magistratus adfuerint, tunc antequam ad thuris honorem populum admittat, accedit ad illos, et eorum singulis exhibita, ante et post, mediocri inclinatione, eos, unico vel duplici ductu, iuxta locorum consuetudinem, thurificat.

Post populi incensationem, iterum Altari genuflectit, et se ad Sacarium vel Chorum aut abacum confert; tum dicto: *Sanctus* etc., Acolythos cum intorticiis antecedens, redit cum thuribulo et navicula ante Altare, ubi, medius inter illos facta genuflexione, statim pergit ad Epistolae cornu, ibique utrumque in plano flectit genu prope infimum gradum.

Paulo ante consecrationem, Caeremoniario naviculam tradit qui incensum in thuribulum infundet (Caer. Episc., L. II, cap. VIII, n. 70); in defectu vero Caeremoniarii ipse incensum in thuribulum imponit, ac ter ad elevationem thurificat Hostiam et Calicem, nimirum dum Celebrans genuflectit, dum Hostiam et Calicem attollit, ac dum ea super Corporale deponit, profunde se inclinans ante et post utramque incensationem. Deinde surgit, et, peracta genuflexione, Sacarium vel Chorum adit thuribulum depositurus; mox ad abacum reversus, genuflectit erga Altare, ibique stat, vel genuflexus manet, prout Chorus.

Ad: *Agnus Dei* etc., mediocriter corpore inclinatus, nisi sit genuflexus, pectus cum aliis percutit ad: *miserere nobis*, et ad: *dona nobis pacem*.

Ad: *Domine, non sum dignus* etc., si in pace praebenda minime sit occupatus, parum inclinatus non percutit pectus, et dum Celebrans sub utraque Specie se communicat, profunde se inclinatur.

Si Ceroferarii intorticia tenent, postquam a Subdiacono Calix detectus fuerit, ad Altare ampullas defert cum genuflexione in plano, et eas absque osculis Subdiacono, cum opus est, porrigit.

1275. — Ad Orationes stat, vel genuflectit, prout Chorus. Tandem ad benedictionem utrumque flectit genu, ac se signat. Lecto Evangelio, ad quod se signat, inclinatur ac genuflectit sicut Celebrans, se, ante Altare versus Evangelii cornu, confert. A Caeremoniario biretum Subdiaconi (et Diaconi, si Presbyter Assistens adsit) accipit.

Genuflexione cum aliis peracta, Subdiacono biretum porrigit (ac Diacono, si adsit Presbyter Assistens), dein, iunctis manibus, Ceroferarios praecedens ad Sacristiam pergit.

Illic, a tergo Celebrantis Imagini praecipuae cum aliis profunde se inclinatur, et postquam Celebrantem salutarit, eidem sacris se vestibibus exuenti inservit, ac demum superpelliceum deponit.

ARTICULUS IX.

De Ceroferariis in Missa solemnibus, absente Episcopo Ordinario.

1276. — **Duo Ceroferarii** (vide n. 561), hora praestituta, ad Sacarium se conferunt, ubi manus lavant, et, superpelliceo amicti, **primus** Diaconum, **alter** Subdiaconum se induentes adiuvant.

Omnibus rite dispositis, ad nutum Caeremoniarii, sua candelabra iam accensa sumunt; tum facta cum ceteris profunda inclinatione praecipuae Imagini, retro stantes post Diaconum et Subdiaconum, procedunt ad Altare, **Ceroferarius prior** ad dexteram **alterius**, incessu gravi, oculis ad terram demissis, et capite semper detecto, post Thuriferarium. Si transeundum sit ante SS. Sacramentum etc., pervide n. 1174.

1277. — Cum ad cancellos Presbyterii **Ceroferarii** pervenerint, se gerunt ut sub n. 561 diximus, procedunt simul ad abacum et in eius angulis posterioribus candelabra cum candelis accensis deponunt; tum ibidem genuflectunt, **prior** quidem a dexteris, **alter** a sinistris Thuriferarii, iunctis manibus, ac facie ad Altaris latus conversa. Dum Celebrans cum sacris Ministris ad Altare conscendit, se erigunt, et ibi perstant. Hic quippe est eorum locus ordinarius.

1278. — Si Celebrans cum sacris Ministris ad: *Kyrie* vel ad: *Gloria* sedere voluerit, **Ceroferarii**, quum illi ab Altari descendunt, ad scamnum se conferunt, **prior** nimirum ad latus Altari propius, **alter** ad aliud latus. **Prior Ceroferarius** accipit e scamno bireta Celebrantis et Diaconi, et Celebrantis biretum Diacono porrigit; **Ceroferarius alter**, biretum Subdiaconi; cum sacri Ministri sederint, posteriorem **ambo** sublevant fimbriam dalmaticae et tunicae, quam post scamni tergum deponunt ac postea bireta eis tradunt: tum ante illos accedentes, profunde se inclinant, et ad proprium pergunt sedile, si hoc in more positum sit, ubi caput cum aliis inclinant, quum opus fuerit. Choro autem canente: *Cum*

Sancto Spiritu etc., assurgunt, ad latera Ministrorum sacrorum, ut antea, accedunt; **prior Ceroferarius** a Diacono accipit Celebrantis biretum, dein ipsius Diaconi et in scamno reponit; **Ceroferarius alter** Subdiaconi biretum accipit et pariter illud in scamno reponit, ac dum Celebrans ad Altare cum sacris Ministris accedit, **Ceroferarii** se ad abacum recipiunt. Idem servandum est quoties ad Sequentiam sit sedendum.

Si vero pro Ceroferariis scamnum minime apponatur, tunc, **ambo**, exhibita reverentia, postquam bireta sacris Ministris traderint, ad abacum se iterum conferunt, ibique consistunt, caput flectentes ut supra.

Ad Orationes stant, vel genuflectunt, prout Chorus.

1279. — Dum Celebrans incensum, lecto Evangelio, imponit, **Ceroferarii** sua candelabra ex abaco accipiunt, et, cum Diaconus, accepta benedictione canendi Evangelium, ab Altari descendit, Thuriferarium sequentes, ad Altare pergunt et se sistunt retro post Ministros sacros; mox, facta ibidem a lateribus Thuriferarii una cum aliis genuflexione, vertunt se ad suam quisque sinistram, et, Thuriferario praeunte, **ambo** coniuncti procedunt ad locum ubi Evangelium cantari solet. Ibi se ex propria dextera volventes, ad Diaconum faciem convertunt, et ad latera Subdiaconi ad finem usque Evangelii consistunt, quin se signent, inclinent, aut genuflectant.

Cantato Evangelio, Thuriferarium item sequentes, ante infimum Altaris gradum se conferunt; ubi, peracta genuflexione, ad abacum redeunt, et pristino in loco candelabra deponunt.

1280. — Si ad Symbolum sit sedendum, perficiantur quae sub n. 1278 tradita sunt. Ad: *Et incarnatus*, si stent, genuflectunt utroque genu et mediocriter se inclinant; si vero sedent, caput tantum profunde inclinant, vel, si adsit consuetudo, genuflectunt utroque genu et mediocriter se inclinant. Decantatis verbis: *et homo factus est*, assurgunt, et cum Diaconus, postquam bursam ad Altare detulerit, ad sedile revertitur, huic et Subdiacono posteriorem dalmaticae et tunicellae fimbriam elevant ut supra, et ad scamnum, vel abacum redeunt.

1281. — Cum Subdiaconus ad Offertorium abacum adit Calicem recepturus, **secundus Ceroferarius** super eius humeros velum oblongum expandit. **Primus Ceroferarius** Subdiaconum immediate sequitur ad Altare, portans super pelviculam ampullas vini et aquae, quas, suo

tempore, eidem, sine osculis, tradit. Ipsi postmodum ab eodem Subdiacono receptis, ad suam dexteram se vertens, eas, absque genuflexione, ad abacum reportat, ubi cum **alio Ceroferario** perstat dum adoletur Altare. Celebrante thurificato, **ambo Ceroferarii**, **prior** cum ampulla aquae super pelviculam, **alter** cum linteo, ex latere Epistolae ad gradum conscendunt suppedaneo propiorem, ibique stantes Celebranti ministrant ad manuum lotionem, aquam infundendo, linteumque praebendo, cum inclinatione ante et post. Recepto subinde linteo, vertens ad invicem faciem, descendunt, et super abacum deponunt quod prae manibus habent; ibique deinceps a Thuriferario incensantur; ante thurificationem **Ceroferarius prior** capitis inclinatione ad thuris honorem accipiendum invitat **alterum**, qui simili modo invitationi respondet; **ambo** Thuriferario, prius et postea, caput inclinant.

1282. — Sub Praefationis exitum, **Ceroferarius primus**, dum dicitur: *Sanctus* etc., campanulam pulsat; deinde **ambo** ad Sacristiam pergunt, vel post Altare, ubi, acceptis intorticiis accensis, sequentes Thuriferarium ante Altare se conferunt cum genuflexione a lateribus Thuriferarii; tum ibi in aequali, congruentique distantia ab Altaris gradibus, et inter se, utrumque flectunt genu; imo si magis sit commodum, genuflectere etiam queunt hinc inde ad latus Altaris, facie sibi invicem versa. Sic porro genuflexi manent usque ad elevationem Calicis inclusive; **Ceroferarius primus** ad utramque elevationem campanulam pulsat. Elevatione Calicis facta, **ambo** assurgunt, unicum flectunt genu (D. 4135 ad 3), et, quo venerunt modo, recedunt funalia extincturi; moxque cum Thuriferario ad abacum revertuntur, unicum flectunt genu, ibique, iunctis manibus, stant quin genuflectant cum Celebrante.

1283. — In Festis solemnioribus adhiberi possunt **quatuor** vel **sex Acolythi** cum facibus; et tunc si ex postica Altaris parte in Presbyterium veniant, egredientur cum face in manu extrema per utrumque Altaris latus divisi in aequali numero **unus** post **alium**, dignioribus praecedentibus; si autem aliunde illuc veniendum sit, tunc incedunt **bini** et **bini**, minus dignis praeuntibus. Cum ad medium Presbyterii devenerint, facta simul genuflexione in recta linea, ibi, vel, hinc inde, ad latus Altaris, ut supra innuimus, genuflectunt, sic tamen ut digniores sint Subdiacono viciniore. In quovis porro casu qui in cornu sunt Evangelii, faces tenent manu sinistra: qui vero in cornu Epistolae, illas e converso manu sustinent dextra,

altera pectori admota. Facta autem utraque elevatione, surgunt omnes, flectunt genu in medio Presbyterii, et inde digrediuntur coniuncti, vel divisi, prout venerunt, minus dignis praecedentibus.

1284. — **Primus Ceroferarius**, sub finem Orationis Dominicae, accedens cum genuflexione ad latus Epistolae, capit, utraque manu, velum humerale Subdiaconi, cum quo, repetita genuflexione, ad pristinum secedit locum, ubi illud plicat ac super abacum deponit.

Ad: *Agnus Dei* etc., **Ceroferarii**, mediocriter inclinati percutiunt pectus. Se item inclinant ad: *Domine, non sum dignus* etc., sed pectus non percutiunt; suo tempore pacem a Thuriferario excipiunt modo descripto sub n. 939. Cum Celebrans sub utraque Specie se communicat, profunde **ambo** se inclinant.

Postquam Calix a Subdiacono detectus fuerit, **prior Ceroferarius** super pelvulam ad Altare defert, cum genuflexione, ob praesentiam SS. Sacramenti, ampullas vini et aquae, easque, sine osculis, cum opus est, Subdiacono porrigit; quibus postea receptis, ad suam se volvens dexteram, absque genuflexione, ad abacum reportat. **Alter** vero, cum genuflexione, simul cum **Ministris** sacris ante Altaris medium, parvum Calicis velum portat ad cornu Evangelii; repetita, ut supra, genuflexione, ad abacum redit.

Ad Orationes post Communionem **Ceroferarii** stant, vel genuflectunt, prout Chorales.

Ad benedictionem utrumque flectunt genu, ac se signant. Sub Evangelii finem, sua ex abaco sumunt candelabra, et ad Altare pergunt ut initio Missae, ubi postquam sacri Ministri in planum descenderint, facta cum eis genuflexione, ad Sacristiam, quo venerunt ordine, revertuntur. Illic a tergo sacrorum Ministrorum peracta cum ceteris inclinatione profunda Imagini praecipuae, et salutato Celebrante, in loco candelabra, unde ea sumpserunt collocant; Diacono et Subdiacono sacris se vestibibus servitium praestant, ac tandem superpelliceum deponunt.

Circa **Canonicos** et **Chorales**, vide quod diximus sub n. 938-940, omissis iis quae cantum Horae Tertiae et praesentiam Ordinarium respiciunt.

CAPUT XXXI.

DE COMMUNIONE FACIENDA IN MISSA SOLEMNI

1285. — Si in Missa solemnem pro Communionem consecrandae sint particulae, hae ponuntur in Pyxide super abacum collocanda; praeparatur etiam in abaco tobalea linea longa ante Communicandos explicanda et stolae pro Diaconis communicandis.

1286. — Ad Offertorium, **Caeremoniarius** defert Pyxidem ad Altare, ubi prope Corporale ad latus Epistolae deponit. **Diaconus** Pyxidem detegit, operculum extra Corporale, dextera, ponit et Pyxidem ipsam super Corporale, versus latus Epistolae, collocat.

Quum Celebrans dicit: *Suscipe, sancte Pater* etc., **Diaconus** Pyxidem detectam parum elevatam tenet manu dextera, sinistra ad pectus admota.

Oblatione autem facta, reponit illam super Corporale, suoque operculo contegit et retro post Calicem eam collocat.

Paulo ante consecrationem, **Diaconus** Pyxidem ad dexteram Celebrantis admovet, rursus detegit, nec cooperit, nisi postquam Celebrans, reposita sacra Hostia super Corporale, a genuflexione surrexerit, deinde ad pristinum locum reponit.

1287. — Hausto diligentius a Celebrante pretioso Sanguine, **Subdiaconus** Calicem palla obtegat, et **Diaconus** illum retrahit ad cornu Evangelii intra Corporale; tum, facta ab **utroque** genuflexione, **ille** ad sinistram, **iste** vero ad dexteram Celebrantis accedit, ubi Pyxidem in medio Corporalis collocat, eamque aperit, operculum tollens dextera manu, et extra Corporale ponens.

Postmodum **Diaconus** descendit in planum (D. 2682 ad 14) ad latus Epistolae, ubi stans, facie ad Celebrantem versa, qui tunc cum **Subdiacono** e cornu Evangelii se parum convertet ad cornu Epistolae, cantat: *Confiteor* etc., in tono prout habetur in Graduali Romano (v. n. 916), vel iuxta consuetudinem recitat (D. 4104 ad 2), iunctis manibus, nisi tamen librum teneat, ac profunde inclinatus, stantibus Choralibus, si modo illos excipias, qui Communicaturi sunt; isti quippe genua flectunt (Caer. Episc., L. II, cap. XXIX, n. 3).

1288. — Expleta Confessione, genuflectunt etiam **Chorales** qui communicaturi non sunt (D. 2209 ad 3); **duo Ceroferarii**, accepto ex abaco linteo seu albo velo, illico ad Altaris medium se conferunt,

ibique, facta in plano genuflexione unico genu, ad secundum conscendunt gradum, et genuflectentes hinc inde in ora suppedanei, facie sibi invicem versa, sustinent ad quatuor angulos linteum quoadusque Communio Cleri perdurat; mox, **Diacono** et **Subdiacono** (si sacram sint Eucharistiam recepturi) ante praefatum velum genuflexis consistentibus, **Celebrans** genuflectit, ac, manibus ante pectus iunctis (quin pollices ab indicibus disiungat), per suam dexteram vertit se ad populum aliquantisper ad cornu Evangelii, ne terga SS. Sacramento obiciantur. Ibi stans, clara voce, pronunciat: *Miserereatur vestri omnipotens Deus, et, dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam aeternam.* Responso a **Ministris: Amen**, subiungit: *Indulgentiam, ✠ absolutionem, et remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens, et misericors Dominus,* sinistra infra pectus posita, dextera signum Crucis producit versus communicandos. Responso iterum a **Ministris: Amen**, per eandem viam ad Altaris medium conversus cum genuflexione, sinistra Pyxidem ad nodum capit, aut Patenam, ac pollice et indice dextero unam apprehendit Particulam, quam tenens aliquantulum super Pyxidem seu Patenam elevatam, rursus se convertit ad populum, in medio Altaris; sic stans ac tenens Pyxidem ante pectus, oculis in SS. Sacramentum defixis, elata voce, dicit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi,* deinde statim ter repetit: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea;* quae verba, sine ulla prorsus variatione, iugiter proferenda sunt latine (D. 2725 ad 5).

1289. — Quibus tertio repetitis, communicat prius Diaconum et Subdiaconum. Tribus inferioribus dexteræ digitis inflexis unicuique porrigit Sacramentum, faciens cum eo Crucis signum super Pyxidem seu Patenam (quin huius limites excedat), ac simul proferens: *Corpus ✠ Domini nostri Iesu Christi custodiat animam tuam in vitam aeternam. Amen;* ita tamen ut haec formula finiatur cum impositione sacrae Particulæ super linguam suscipientis.

Celebrans caveat ne labia aut aliquam partem vultus sumentium digitis aut ipsa S. Particula tangat; sed leviter linguam extremitate S. Particulæ tangat ut illi inhaereat et statim manum reducat. Communionem accepta a Diacono et Subdiacono, **Ceroferarius primus** velum retrahit et **sacri Ministri** surgunt, genuflectunt et **Diaconus** accedit ad dexteram, **Subdiaconus** vero ad sinistram Celebrantis et ibi assistunt inter Communionis administrationem, **Diaconus** sub mento Communicantium Patenam tenens, **Subdiaconus** stans, iunctis manibus.

Tum **Ceroferarii** velum rursus extendunt et **Thuriferarius** accipit stolas quas Diaconis communicandis distribuit. Deinde **Diaconi**, **Subdiaconi** et **Clerici** ordinatim bini et bini, summa cum modestia, gravi et aequali incessu, ante infimum Altaris gradum se conferunt, ubi, facta genuflexione utroque genu ac profunda inclinatione, ad supremum ascendunt, et in ora suppedanei genuflexi sacram percipiunt Communionem; qua sumpta, incedentes hinc inde oblique, in planum descendunt ad latus aliorum duorum, qui immediate communicaturi sunt: ibi, facta simul genuflexione et inclinatione, ut supra, illi ad Chorum redeunt, isti vero ad superiorem conscendunt gradum sacram Synaxim recepturi.

Ubi **Acolythy** funalia gerentes Communionem sumere debent, ea interim aliis tenenda dimittunt.

1290. — Completa Cleri Communionem, **Ceroferarii** tobaleam complicant et ad abacum deferunt.

Celebrans cum **sacris Ministris** assistentibus descendens e gradibus anterioribus, accedit ad Presbyterii cancellos, ubi laicis Communionem distribuit, initium faciens a latere Epistolae procedens ad latus Evangelii.

1291. — Laicorum Communionem peracta, **Celebrans cum sacris Ministris** ad Altare redit, et, si plures Particulæ in Pyxide supersint in Tabernaculo recondendae, **Ministri sacri** in redeundo ad Altare locum suum mutant. **Celebrans** et **Ministri**, Pyxide super Altare deposita, genuflectunt unico genu; tum, **Celebrans** et **Subdiaconus** aliquantulum se in cornu Evangelii retrahunt, **Diaconus** Pyxidem operculo cooperit et in Tabernaculo reponit, dein Calicem detectum in medio Corporalis statuit; tum secedit ad sinistram **Celebrantis** latus, **qui** interea ante Crucem sese recipit, genuflectens ante medium Altaris, **Subdiaconus** autem transit ad dexterum, si nimirum ibi non reperitur; ac reliqua perficientur de more.

CAPUT XXXII.

DE ASPERSIONE AQUAE BENEDICTAE
ANTE MISSAM SOLEMNEM

1292. — Aspersione aquae benedictae in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis est praeceptiva ante Missam Conventualem dominicis diebus; in aliis Ecclesiis, sive Parochialibus, sive Regularium fieri potest (D. 4051 ad 1). Haec aspersione facienda est per Celebrantem

(DD. 926 ad 1; 1654; 3055; 3718), non per alium, non obstante contraria consuetudine, etiamsi prima vel alia dignitas (DD. 595; 1044; 1679; 2425 ad 11; 2684 ad 11).

Absoluta in Choro Hora Tertia, **Celebrans** indutus amictu, alba, cingulo, stola ac pluviali cum **sacris Ministris**, propriis amictis paramentis absque manipulis, facta de more profunda inclinatione praecipuae Imagini, se ad Altare conferunt sequenti ordine:

1. **Thuriferarius** cum vase aquae benedictae et aspensorio;
2. **Ceroferarii** cum candelabris accensis;
3. **Caeremoniarius** sequetur;
4. **Celebrans** medius inter **Diaconum** et **Subdiaconum**.

Ad ianuam Sacrae nemo accipit aquam benedictam.

1293. — Quum ad Altare pervenerint, **Celebrans**, **Diaconus** et **Subdiaconus** caput aperiunt; reverentia vel genuflexione peracta, in infimo Altaris gradu, etiam tempore paschali, genuflectunt; **Ceroferarii**, peracta genuflexione, candelabra super abacum deponunt, et utrumque ibidem genuflectunt; **Thuriferarius** vero cum **Caeremoniario** a dextris Diaconi itidem genu flectunt. Mox **Diaconus**, acceptum a **Thuriferario** aspensorium, cum solitis osculis, **Celebranti** porrigit, qui statim Antiphonam praecinit: *Asperges me* vel, tempore paschali: *Vidi aquam*, quam **Cantores** prosequuntur cum primo Versu Ps. 50: *Miserere* etc., vel Ps. 117: *Confitemini* etc., cum *Gloria Patri* etc., et repetitione Antiphonae (D. 3402 ad 5), ter interim, manens genuflexus, conspergens Altare, scilicet in medio, ad partem Evangelii et ad partem Epistolae; deinde seipsum aspergit, admovendo nimirum fronti suae aspensorii verticem; mox se erigens sacros conspergit **Ministros**, adhuc genuflexos prius **Diaconum** deinde **Subdiaconum** qui aspensorium non tangunt (D. 2013 ad 2) et in tota aspersione, anteriorem pluvialis fimbriam hinc inde sublevant; postea **Celebrans** aspensorium **Diacono** reddit, et hic **Thuriferario**.

Si SS. Sacramentum expositum est in Altari in quo celebratur, aspersione Altaris tantum omittenda est (D. 3639 ad 2).

1294. — Aspersione sacrorum Ministrorum completa, surgunt omnes; **Celebrans**, Altari reverentia, vel genuflexione, et **Ministri**, genuflexione peracta, ad Chorum hoc ordine accedunt: **Caeremoniarius** praecedit ad sinistram **Thuriferarii**, vas aquae benedictae deferentis, postea sequitur **Celebrans** medius inter **Ministros** hinc inde fimbrias anteriores pluvialis elevantes (D. 1322 ad 12). In medio Chori **Celebrans** cum **Ministris** omnes de Choro salutatur ad

utramque partem; rursum de manu **Diaconi**, et hic a **Thuriferario** ad dexteram eius stante, accipit aspensorium madidum et aspergit, ad latus Chori in quo dignior ex praesentibus in stallis superioribus sedet, singulos Chorales singillatim; tum ad alteram partem accedit, debitis cum reverentiis ante Altare, et, facto initio a digniore illius partis, singulos Chorales singillatim aspergit; deinde reliquos de Clero singulos aspergit, si in parvo numero sint, secus unico actu quasi in gyrum aspergit, nempe in medio, ad sinistram et ad dexteram suam (D. 2013 ad 4); ac postea ad alterum latus iterum accedit et aspersionem repetit. Choralibus aspersione, iterat inclinationem ut ab initio; ad Presbyterium regreditur, Clericos ad abacum stantes aspergit, deinde ad cancellos accedit (D. 3621 ad 4) et consistens in medio aditus Presbyterii, vel, si SS. Sacramentum est expositum, in parte Evangelii, ter populum aspergit, scilicet: in medio, ad propriam sinistram et ad dexteram.

Si adsint Canonici Episcopi, pariter a Celebrante aspergendi sunt, ut Romae fit in Patriarchalibus Basilicis (D. 893 ad 3).

1295. — Si **S. R. E. Cardinalis** vel **Episcopus Ordinarius** in Choro praesens fuerit, **Celebrans**, asperso Altari, surgit et comitatus a **Caeremoniario** et **Thuriferario** cum vasculo aquae benedictae, ad Praelatum accedit cui aspensorium, cum debita reverentia et osculo prius aspensorii dein manus, defert. Ipse vero **Praelatus**, accepto aspensorio, seipsum in fronte aspergit, tangens cum aspensorio, deinde **Celebrantem** et **Assistentes Solii** aspergit, statimque **Celebranti** aspensorium reddit, qui primo manum deinde illud osculatur, et, facta profunda reverentia ad Altare, revertitur, ubi **Ministros** adhuc genuflexos aspergit, dein Chorum ut supra (Caer. Episc. L. II, cap. XXXI, n. 3).

1296. — Aspersione durante, omnes de Choro, detecto capite, stare debent, etiam **S. R. E. Cardinalis** vel **Episcopus Ordinarius**, si adsit, convenit et decet ut stet (D. 2089 ad 2); dum **Celebrans** cum aspensorio ante ipsos accedit, debent ei caput inclinare et aspersionem reverenter suscipere.

1297. — Dum **Celebrans** Clerum et populum aspergit, pronunciata cum **sacris Ministris**, voce submissa Antiphona: *Asperges me* etc., recitat alternatim cum ipsis Psalmum 50: *Miserere* etc., quoadusque perdurat aspersione (D. 1322 ad 12).

In Dominica Passionis atque Palmarum praetermittitur: *Gloria Patri* etc. A Dominica vero Paschatis ad Dominicam Pentecostes,

dicitur Antiphona: *Vidi aquam*, cum Psalmo 117: *Confitemini* etc. Quamvis Rubrica non praescribat ut hic Psalmus inter aspersionem, submissa voce, dicatur, tamen convenit ut Celebrans eundem recitet, si illum memoriter sciat.

Dum in Choro cantatur: *Gloria Patri* etc., Celebrans paulisper aspersionem interrumpit et cum aliis caput profunde inclinatur (D. 3722 ad 3).

1298. — Populo asperso, Celebrans reddit aspersorium Diacono, et hic Thuriferario, dein cum Ministris ad Altare, debita cum reverentia, accedit; repetita Antiphona: *Asperges me* etc., vel: *Vidi aquam* etc., etiam a Choro (D. 3402 ad 6), stans, iunctis manibus, ante infimum Altaris gradum (D. 1122) Versiculos cantat et Orationem ex libro, quem Diaconus et Subdiaconus item stantes, ante eum hinc inde sustinent. Post haec, facta a Celebrante profunda inclinatione, si in Altari non adsit SS. Sacramentum, et a Ministris semper genuflexione, accedunt omnes ad scamnum in cornu Epistolae situm. Ibi Celebrans, pluviali deposito, manipulum induit ac planetam, sacris Ministris adiuvantibus; Diaconus vero et Subdiaconus, Ceroferariis servitium praebentibus, manipulos sumunt; dehinc Celebrans cum sacris Ministris ad Altare accedit, Missam celebraturus.

Potest etiam Celebrans, vel retro Altare, vel ante gradus in medio Altaris, pluviale exuere et planetam ac manipulum sumere, dummodo de Altari planetam non accipiat, nec Episcopus adsit, nec SS. Sacramentum expositum sit (DD. 2027 ad 3; 3110 ad 4 et 5; 3108 ad 16).

CAPUT XXXIII.

DE MISSA CANTATA SINE DIACONO ET SUBDIACONO

1299. — Pro hac Missa in Altari quatuor candelae acceduntur (D. 3377 ad 1); in eius medio, super Corporale explicatum collocatur Calix cum suis ornamentis et ad latus Epistolae legile cum Missali aperto; super abacum ponitur Missale pro Epistola canenda, ampullae vini et aquae et campanula. In latere Epistolae adsit scamnum pro Celebrante, et duo, hinc et inde, scabella, paulo ante illud Celebrantis, pro Acolythis.

In Missa hac Celebranti inservire possunt duo Acolythis superpelliceis induti ac etiam Minister in sacris constitutus, qui potest folia vertere, Calicem abstergere, vinum et aquam in ipsum infun-

dere eundemque Calicem infra Actionem palla tegere et discooperire necnon, post purificationem, extergere atque ornare (loc. cit.).

1300. — Omnia quae in Missa solemniori a Celebrante sacrisque Ministris canuntur, canuntur quoque in Missa, de qua sermo est, a Celebrante, in locis nimirum ubi eadem legit in Missa privata, praeter Epistolam, quam, consueto in loco, aliquis decantat Lector superpelliceo amictus, qui tamen in fine minime deosculatur manum Celebrantis, neque ab eo benedicetur.

Cuncta vero quae in Missa privata alta dicuntur voce, et hic inter canenda non recensuimus, submisso proferuntur, excepta benedictione sub Missae finem, quae elata voce impertitur. Quum Celebrans pronunciat: *Vobis fratres; Vos fratres; Misereatur vestri*, se minime ad Ministros convertit.

Dum decantatur: *Gloria*, *Sequentia* et *Credo*, Celebrans sedere potest, quemadmodum in Missa solemniori (D. 3026). Ad elevationem deferri queunt duo intorticia. Si danda sit pax, minime per amplexum praebetur, sed cum instrumento ut in Missa privata.

1301. — Acolythis in hac Missa cantata omnes caeremonias observare debent quae pro Missa privata praescriptae sunt; omnia ut in Missa privata respondent quae a Choralibus non cantantur, sed ad: *Kyrie* etc., tamen, etsi cantatur, ipsi respondent.

Peracta Confessione, surgunt, et Celebranti anteriorem albae fimbriam sublevant, deinde iterum genuflectunt in imo gradu. Discedentes ad abacum, vel ad scamnum indeque redeunt, in plano, ante medium Altaris, simul genuflectunt.

Ad: *Sanctus* Acolythis funalia accensa usque ad elevationem deferre possunt, vel ea, in candelabris ante Altare positae, secundus Acolythus accendere potest; primus campanulam pulsatur. Reliqua fiant ut in Missa privata.

Cum Celebrans sedet, primus ei a dexteris, biretum tradit, alter a sinistris planetam in scamno aptat, deinde, Celebranti profunda capitis inclinatione peracta, Acolythis quoque super duo scabella sedent.

Cum vero Celebrans surgit et ipsi antea surgunt, primus Acolythus biretum a Celebrante recipit, super scamnum reponit et uterque a lateribus Celebrantis, debitis cum reverentiis, ad Altare revertitur.

Initio ultimae Orationis primus Acolythus de abaco, ambabus manibus, accipit Missale quod ad inferiorem angulum ante pectus ita tenet ut pars superior pectori adhaereat, et apertura eiusdem

Missalis ad suam sinistram conversa sit. Circa finem Orationis, accedit ad medium Altaris, genuflectit in plano, redit ad locum pristinum et, ut Subdiaconus in Missa solemni, completa Oratione, Epistolam cantat; qua absoluta, Missale claudit, iterata ut antea genuflexione, in abaco librum reponit, quin Celebrantis manum deosculetur et benedictionem accipiat.

CAPUT XXXIV.

DE MISSA SOLEMNI CORAM SS. SACRAMENTO EXPOSITO

1302. — Quia in non paucis Ecclesiis Cathedralibus et Collegialibus, iuxta S. Rituum Congregationis Decreta (4079 ad 5; 4104 ad 1), necnon ad normam canonis I. C. 1274, § 1 celebratur Missa solemnis coram SS. Sacramento exposito et Romae, prima die Orationis XL Horarum intra Missam consecrari et exponi debet Hostia, tertia vero die celebratur Missa solemnis pro repositione ad normam Instructionis Clementinae (§§ XII, XIX, XXX; D. 1421 ad 5), tradimus infra normas diligentissime sequendas cum eiusmodi casus contigerint.

1303. — **Celebrans** et **Ministri** indumentis amicti coloris Missae congruentis, ad Altare procedunt una cum **Caeremoniario**, **Thuriferario** ac **Ceroferariis**, more solito. Ubi in conspectum SS. Sacramenti advenerint, caput detegunt, et in plano ante Altare omnes utrumque flectunt genu, cum mediocri corporis inclinatione (D. 4179 ad 1). Aquae benedictae aspersio fieri potest, omissa Altaris aspersione (D. 3639 ad 2).

1304. — Genuflexione peracta, **Celebrans** et **Ministri** Missam inchoant ut alias; in cuius prosecutione **Celebrans**, discedens aut adveniens ad medium Altaris vel transiens ante SS. Sacramentum, semper unum flectit genu, absque inclinatione capitis (D. 2682 ad 49). **Diaconus** et **Subdiaconus** dum ab uno latere in aliud transeunt semper et tantum genuflectere debent in utroque latere; dum ab uno latere pergunt in medium, et dum e medio ascendunt ad latera, aut viceversa, semper et tantum genuflectunt in loco e quo recedunt (D. 4027).

1305. — Absoluta Confessione cum suo Psalmo, **Celebrans** ac **sacri Ministri**, absque genuflexione, Altaris gradus conscendunt, ibique genuflectunt. Dicto subinde a Celebrante: *Oramus te, Do-*

mine, etc., absque genuflexione (D. 4194 ad 5) se paulisper retrahunt ad cornu Evangelii et **Celebrans**, facie veluti conversa ad cornu Epistolae, imponit ac benedicit incensum in thuribulo de more, **Diacono** ministrante naviculam, sine osculis. Postea, non praemissa genuflexione, descendit cum **sacris Ministris** ad secundum gradum, et in ora suppedanei genuflexus accipit a Diacono, sine osculis, ut supra, thuribulum, iisque elevantibus hinc inde posteriorem planetae fimbriam, SS. Sacramentum, triplici ductu, adolet cum profunda inclinatione ante et post incensationem (D. 3086 ad 3). Thure sic oblato, **Celebrans** cum **sacris Ministris** ad Altare rursum accedit, ibique genuflectit, ac Altare ipsum ex more adolet, non tamen Crucem, etiamsi adsit (D. 2340 ad 4).

Thurificato Altari, redditoque thuribulo Diacono, **Celebrans** e latere Epistolae in secundum gradum vel in planum, iuxta consuetudinem, descendit ubi, cavens ne terga vertat SS. Sacramento (D. 2682 ad 48), per suam sinistram conversus ad populum, triplici ductu, a **Diacono**, ex adverso stante, incensatur. Tum pergit, sine genuflexione, ad Altare et, more solito, legit Introitum et cum **Ministris**: *Kyrie eleison* etc., recitat.

Celebrans et **sacri Ministri**, decantato a Choro: *Kyrie*, accedunt, ut in aliis Missis, ad medium Altaris ibique genuflectunt.

Quum **Celebrans** *Gloria in excelsis Deo* intonat, **Ministri** ad verbum: *Deo*, genuflectunt et ad latera Celebrantis accedunt, ibique non genuflectunt.

1306. — Si non sedeant, quod maxime conveniens est, **Ministri** ad latera Celebrantis, iunctis ante pectus manibus, sistunt et circa finem cantus Hymni Angelici genuflectunt et ad loca sua redeunt, ibique genuflexionem non iterant.

Si vero sedere velint, quod etiam licitum est (cfr. GARDELLINI, *Comm. in Instr. Clement.*, § 25, n. 4-7), Angelico Hymno recitato, **Celebrans** et **Ministri** genuflectunt, per brevioram viam ad scamnum pergunt (D. 4077 ad 6) cavendo ne SS. Sacramento terga vertant, ibi sedent sed caput non cooperiunt (v. n. 1063).

1307. — Decantato a Choro Angelico Hymno, ad nutum Caeremoniarum, surgunt, accedunt per planum ad medium ibique genuflectunt, unico genu, in infimo gradu et se gerunt ut in aliis Missis solemnibus, sed **Celebrans**, postquam Altare deosculatus fuerit, genuflectit, vertit se ad populum et se aliquantulum versus Evangelii cornu sistit, ne tergum Sanctissimo Sacramento vertat, et cantat *Dominus vobiscum*. Dein, ad medium Altaris reversus, iterum

genuflectit, etiam **Ministri** genuflectunt, et se gerunt, more solito. Post Epistolam **Celebrans Subdiacono** manum praebet osculandam, eidemque benedictionem de more impertit.

Ante et post: *Munda cor meum* etc., **Celebrans** genuflectit et, lecto Evangelio, incensum ponit in thuribulum ac benedicit ut ante Introitum, dat **Diacono** benedictionem ac manum deosculandam ut alias; item, suo tempore, osculatur librum a **Subdiacono**, more solito, sibi delatum, atque a **Diacono** stante incensatur non in medio Altaris, sed aliquantulum ad cornu Evangelii.

Postquam **Diaconus** Celebrantem incensaverit, **Celebrans** et **Ministri** unus post alium in medium revertuntur et, unico genu, suis locis genuflectunt.

Intonato a Celebrante Symbolo, ad verbum: *Deum*, **Ministri** genuflexionem iterant et ad Celebrantis latera accedunt et se gerunt ut in aliis Missis solemnibus.

Si non sedeant, vel si sedere velint, se gerunt ut supra diximus.

1308. — Dicto: *Veni, sanctificator* etc., **Celebrans** cum **Diacono**, absque genuflexione (D. 4194 ad 5), incensum ponit in thuribulum ac benedicit more solito; dehinc conversus ad medium Altaris, sine genuflexione, accipit e manibus **Diaconi** thuribulum, incensat Oblata; postmodum deflectens tantillum ad cornu Evangelii, ne SS. Sacramento terga obvertat, ad secundum descendit gradum, ubi in ora suppedanei cum **Diacono** a dextris genuflexus, **Subdiacono** ante Altare cum Patena minime genuflectente (D. 2474), SS. Sacramentum thurificat, proferens interim: *Dirigatur, Domine, oratio mea — sicut incensum — in conspectu tuo*. Deinde **Celebrans** et **Diaconus** suppedaneum conscendunt, genuflectunt, et Altare **Celebrans** incensat; quo thurificato, in secundo gradu vel in plano, facie ad populum versa, a **Diacono** incensatur; ibique manus lavat et abstergit, ascendit suppedaneum ad absolvendum Psalmum in loco consueto; deinceps graditur ad medium Altaris, ac genuflectit. Post Orationem: *Suscipe, sancta Trinitas* etc., osculatur Altare, genuflectit, ac tantisper deflectens ad cornu Evangelii, dicit: *Orate, fratres*, etc., et non perficit circulum, sed per viam eandem rediens ad medium Altaris, genuflectit; prosequitur Secreta, ac cetera usque ad Communionem, ut in aliis Missis.

1309. — Incensatio Chori, more solito, peragitur, debitis cum genuflexionibus nec non inclinationibus, et cavendum ne SS. Sacramento terga obiiciantur. Cum **Diaconus** et **Subdiaconus** thurificantur, se aliquantulum retrahunt ad cornu Evangelii cum genuflexione, ante

et post; **Thuriferarius**, pro incensando populo, non in medio ad ingressum Presbyterii consistit, sed parum a latere Evangelii.

Circa Praefationis finem, **Diaconus** et **Subdiaconus**, suis locis, genuflectunt, accedunt ad Celebrantis latera et cum eo *Sanctus* etc., recitant, deinde genuflectunt iterum. **Diaconus** ad Celebrantis sinistram transit, ubi genuflexionem iterat (D. 4027 ad 1); **Subdiaconus** vero in planum descendit, sed non genuflectit.

Ceroferarii intorticia ferentes ad: *Sanctus*, cum ante Altare accedunt, utroque genu flectunt cum profunda capitis inclinatione; ita se gerunt dum surgunt, ut ad Sacristiam redeant. Ad: *Sanctus* etc., et elevationem campanula non pulsatur.

1310. — Postquam purificationem hauserit **Celebrans**, posito Calice super Corporale, genuflectit; dein, Calice more solito apprehenso, adit cornu Epistolae; facta in illo digitorum ablutione, digitisque extensis, rediens ad medium Altaris iterum genuflectit; ablutione sumpta, genuflectit cum **Diacono**, accedit ad cornu Epistolae et Communionem legit, deinde ad Altaris medium redit et genuflectit; dicto, ut supra: *Dominus vobiscum*, iterum cum **Diacono** genuflectit et redit ad latus Epistolae pro Orationibus post Communionem cantandis.

Subdiaconus, more solito, abstergit et accommodat Calicem, priusquam illum accipiat genuflexionem peragit, descendit in planum, genuflectit in medio et Calicem ad abacum defert; deinde ad locum suum, retro post Diaconum in plano, absque genuflexione, redit (D. 4172 ad 4).

Diaconus pro cantando: *Ite Missa est*, genuflectit, se ad populum convertit, ita tamen ut oblique illum respiciat, ne tergum SS. Sacramento vertat.

Decantato: *Ite Missa est*, **Celebrans** et **Diaconus** se iterum ad Altare vertunt et genuflectunt itemque **Subdiaconus** genuflexionem facit, deinde cum **Diacono** in superiorem gradum ascendit, et se ut in aliis Missis solemnibus gerunt.

1311. — Dicto: *Placeat tibi*, etc., **Celebrans** Altare osculatur et dicit: *Benedicat vos omnipotens Deus*, caput non inclinat, sed genuflectit; mox conversus ad populum in cornu Evangelii, illum benedicit more solito, et non perficit circulum, sed ibidem, volvens se ad Altare, continuo subdit: *Dominus vobiscum*, ac legit Evangelium, non signans Altare, si SS. Sacramentum super mensam consistit, sed seipsum tantum et tabellam, si adsit, et ad: *Et Verbum caro* etc., flectit genu aliquantulum versus SS. Sacramentum (D. 3875 ad 4).

Si infra ultimum Evangelium genuflectendum est, **omnes** erga SS. Sacramentum genuflectunt unico genu et sine capitis inclinatione (*ibi*).

1312. — Expleto ultimo Evangelio, **Celebrans** et **sacri Ministri** ad medium accedunt Altaris cum genuflexione, ac in planum descendunt obliquo latere, nempe **Celebrans** cum **Subdiacono** se pauxillum retrahendo ad cornu Evangelii, faciemque vertendo ad cornu Epistolae, **Diaconus** vero cum **Caeremoniario** se aliquantulum abduciendo ad cornu Epistolae, faciem autem ad cornu Evangelii convertendo. Tum, peracta ab **omnibus** in plano genuflexione utroque genu cum mediocri corporis inclinatione (D. 4179 ad 1), ad Sacramentum digrediuntur, ordine quo advenerunt, caput cooperiendo extra conspectum SS. Sacramenti. Cetera hic non expressa perficiuntur ut in aliis Missis.

Circa Orationem SS. Sacramenti in Missa dicendam vide quod diximus sub n. 1073 et 1074.

CAPUT XXXV.

DE MISSA SOLEMNI DE REQUIE, ABSENTE EPISCOPO ORDINARIO

ARTICULUS I.

De iis quae praeparanda sunt.

1313. — I. - IN SACRISTIA CAPITULARI. — Supra digniorem mensam pro Canonico Celebrante praeparantur: amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, planeta; pro sacris Ministris: duo amictus ac totidem albae cum cingulis, dalmatica, tunicella, duo manipuli et stola pro Diacono. Paramenta erunt nigri coloris.

Super aliam mensam: duo candelabra cum candelis ex cera communi.

II. - IN SACRISTIA MAIORI. — Super consuetam mensam: superpellicea pro Clericis; thuribulum cum navicula et intorticia.

III. - AD ALTARE. — Altare nullo festivo ornatu paratur et super illud adhibentur sex candelabra, numquam argentea, vel deaurata,

cum candelis ex cera communi, et in medio eorum praealta Crux, absque floribus, Reliquiis, vel Sanctorum Imaginibus. Super Altaris mensam, ad latus Epistolae, ponitur Missale apertum super legile.

Altaris gradus et Presbyterii pavementum nuda sint, excepto suppedaneo quod aliquo tapete tegi potest. In latere Epistolae parantur scamnum pro Celebrante et sacris Ministris, nudum, vel panno violaceo contactum; scabella nuda pro Caeremoniario, Ceroferrariis et Thuriferario.

IV. - SUPER ABACUM. — Nulla ornamenta ponuntur sed tantum quae necessaria sunt, scilicet: Calix, cum suis ornamentis parvo velo nigro tectus, pelvicula cum ampullis vini et aquae, linteum, Missale pro sacris Ministris, campanula; si vero post Missam Absolutio fit: Ritualis, vas cum aqua benedicta atque aspersorio, pluviale nigri coloris; prope abacum Crux processionalis.

Si candelarum distributio in Choro intra Missam facienda sit, candelae ibidem congruo in loco collocantur; sint albi coloris, ponderis proportionalis, quod relationem habeat cum quibus distribuuntur.

ARTICULUS II.

In Functione.

1314. — **Celebrans** et **Ministri** ad Altare se conferunt, more solito: praecedit **Thuriferarius**, iunctis manibus, tum sequuntur **Ceroferrarii** candelabra ferentes, **Clerus**, **Caeremoniarius**, **Subdiaconus**, **Diaconus** et ultimo **Celebrans**.

1315. — **Ministri** in hac Missa tum dantes, tum aliquam rem accipientes a Celebrante, neque eius manum neque rem osculantur (Caer. Episc. L. I, cap. XVIII, n. 16 et L. II, cap. XI, n. 5).

Facta Confessione, in qua omittitur Psalmus 42: *Iudica* etc., **Celebrans** cum **sacris Ministris** gradus Altaris ascendit, illudque in medio osculatur. Tum, cum Altare nequaquam sit thurificandum, continuo cornu Epistolae adit ad legendum Introitum, stantibus interim **Ministris** ut alias, non tamen se Cruce signantibus, dum **Celebrans** Crucis signum efficit; dehinc ibidem consistens, pronunciat: *Kyrie eleison* etc.

Ad Orationem, vel Orationes, **Thuriferarius**, **Ceroferrarii** genuflectunt.

Subdiaconus, cantata Epistola, non pergit ad osculandam manum **Celebrantis**, neque ab eo benedicitur, sed, iterata in medio Altaris genuflexione, **Caeremoniario** librum reddit, et ad dexteram Diaconi accedit.

1316. — In omnibus Missis cantatis addenda est Sequentia et **Celebrans** solus, non vero alternatim cum **sacris Ministris**, eam legere debet (D. 2956 ad 7); qua absoluta, si sedere velit, caput profunde cum **sacris Ministris** inclinatur, et quin prius ad Altaris medium accedat, sequens **Diaconum** per brevioram viam ad scamnum accedit, ubi sedet et caput cooperit ut in aliis Missis solemnibus.

Dum canitur Versus: *Recordare, Iesu pie*, ad verbum: *Iesu*, **Celebrans** et **sacri Ministri** caput detegunt et inclinatur.

Circa finem Sequentiae a Choro decantatae, ad nutum **Caeremoniarii**, **Celebrans** et **sacri Ministri** caput detegunt, surgunt et per viam longiorem, ut in aliis Missis solemnibus, ad medium redeunt. **Celebrans** suppedaneum ascendit, recitat: *Munda cor meum*, etc., omittens tamen: *Iube, Domine*, etc.; interea **Diaconus** accedit ad latus Epistolae et sistit, conversus ad Evangelii cornu; **Subdiaconus** transfert Missale ad cornu Evangelii.

Si autem **Celebrans** ad Sequentiae cantum sedere nolit, lecta Sequentia, procedit ad medium Altaris, *Munda cor meum* etc., recitat; interea **Subdiaconus** Missale ad cornu Evangelii transfert.

1317. — Dum **Celebrans** legit Evangelium, **Diaconus** ad Altare librum ex more defert; illo autem expleto, quum iniectio incensi in thuribulum minime locum habeat, illico in ora suppedanei genuflexus profert: *Munda cor meum* etc.; tum, libro ex Altari sumpto, non petens benedictionem, neque deosculans **Celebrantis** manum, descendit in planum ad dexteram **Subdiaconi**; quo tempore **Ceroferarii** quoque sine candelabris ante Altare veniunt; ubi, facta ab omnibus genuflexione, pergunt ad cantandum Evangelium, stantibus interea **Ceroferariis**, manibus iunctis hinc inde ad latera **Subdiaconi** librum tenentis. **Diaconus** non incensat librum, neque in fine Celebrantem, sicuti nec **Subdiaconus** defert huic librum osculandum, sed, Evangelii absoluto cantu et peracta ab omnibus ante Altare genuflexione, dat librum **Caeremoniario**.

Thuriferarius ad Sacristiam procedit, thuribulum cum navicula accipit et, debitis cum genuflexionibus, ab abacum revertitur.

1318. — Ad Offertorium **Subdiaconus**, sine velo humerali, defert Calicem, omnibus suis ornamentis coopertum, ad Altare, ubi ad

infusionem aquae in illum, non profert verba: *Benedicite, Pater Reverende*; aqua autem infusa, quum Patenam retro post Celebrantem tenere non debeat, statim se recipit, cum genuflexione in medio Altaris, ad sinistram Celebrantis latus, cui in Oblatorum et Altaris thurificatione assistit, posteriorem planetae fimbriam sublevando. **Diaconus** vero Celebranti Patenam et Calicem, sine oculis, porrigit (D. 4193 ad 3), ac deinceps purificatorio partem Patenae a Corporali minime tectam, ut in Missa privata, cooperit. Tum naviculam, pariter sine oculis, **Celebranti** ministrat qui thus in thuribulum iniicit et benedicit, more solito, dicens: *Per intercessionem* etc., ac Oblata thurificat et Altare, proferens verba: *Dirigatur, Domine*, etc.; in fine ipse solus, exclusis ceteris, incensatur a **Diacono**.

1319. — Celebrante thurificato, **Subdiaconus** accipit a **priori Ceroferario** ampullam aquae cum pelvi et Celebranti ministrat, **Diaconus**, tradito **Thuriferario** thuribulo, a **secundo Ceroferario** manutergium accipit quod pariter Celebranti ministrat. Expleta manuum lotionem, **Diaconus**, tradito manutergio **secundo Ceroferario**, in secundo Altaris gradu; **Subdiaconus** vero similiter, tradita ampulla cum pelvi **priori Ceroferario**, in plano cum Celebrante ad medium Altaris accedunt, ubi ad: *Orate, fratres, uterque: Suscipiat* etc., respondet. Ad: *Sanctus* etc., **Ministri** ad Altare conscendunt ut alias, sicuti et **Ceroferarii** deferunt intorticia, at isti non discedant nisi post sumptionem utriusque Speciei (Rit. cel. Miss. VIII, 8).

1320. — Dum **Celebrans** *Hanc igitur* etc., pronuntiat, **Thuriferarius** porrigit naviculam **Caeremoniario** qui, sine ulla benedictione, incensum in thuribulum ponit; **Caeremoniario** autem absente, ipse **Thuriferarius** incensum in thuribulum imponit, neque umquam a **Subdiacono** id fit (Caer. Episc. L. II, cap. XI, n. 8).

Interea **Subdiaconus**, genuflexione peracta, ad cornu accedit Epistolae, ubi in infimo Altaris gradu genuflexus, thuribulum fumigans a **Thuriferario** accipit; ter ad elevationem adolet Hostiam et Calicem nimirum: dum **Celebrans** genuflectit, dum Hostiam et Calicem attollit, dum ea super Corporale deponit, profunde se inclinans ante et post utramque incensationem. Postea reddit thuribulum **Thuriferario**, ad medium Altaris cum genuflexione in infimo gradu regreditur (D. 4027 ad 2), ibique iugiter adstat usque ad: *Pax Domini* etc. Tunc genuflectit, ascendit ad sinistram **Celebrantis**, peracta una cum **ipso** et **Diacono** genuflexione, dicunt simul absque tunctione pectoris: *Agnus Dei* etc.

Diaconus se gerit ut in aliis Missis solemnibus, sed Celebranti Patenam sine osculis porrigit.

1321. — Recitato: *Agnus Dei* etc., **sacri Ministri** genuflectunt, et, cum non detur pax, **Diaconus** ad sinistram accedit Celebrantis; **Subdiaconus** autem ad dexteram, et genuflectunt. **Thuriferarius**, reposito post elevationem congruo in loco thuribulo, genuflexus perstat prope abacum usque dum tempus adveniat ampullas ministrandi, et iterum genuflectit cum **Ceroferariis** ad Orationes Postcommuniones. **Diaconus** pro: *Ite Missa est*, cantat: *Requiescant in pace*, erga Altare, quod **Celebrans** submissa voce recitat (D. 2572 ad 22).

Reliqua hic non expressa perficiuntur ut in aliis Missis.

Circa **Canonicos, Chorales**, candelarum distributionem, organorum sonum, et sermonem in laudem Defuncti vide quod diximus respective sub n. 1110, 1111, 1112, I.

CAPUT XXXVI.

DE ABSOLUTIONE PRO DEFUNCTIS A SACERDOTE PERAGENDA

1322. — Post Missam de Requie alius Sacerdos, a Celebrante diversus, accedere non potest ad Absolutionem peragendam: hoc iure gaudet tantum Episcopus loci Ordinarius (DD. 3029 ad 10; 3798 ad 2).

Etiam post Missam solemnem Absolutio duplici modo peragi potest scilicet: I. Absolutio, praesente cadavere, quae praeceptiva est; II. Absolutio, absente Defuncti corpore, quae praeceptiva non est ut diximus sub n. 1116; quae Absolutio distinguitur pariter duplici modo, nempe: a) Absolutio ad Tumulum; b) Absolutio ad Pannum.

ARTICULUS I.

De Absolutione, praesente Defuncti corpore.

1323. — **Celebrans**, lecto ultimo Evangelio, in medium Altaris se confert, Cruci profunde se inclinatur, **sacri Ministri** ad illius latera genuflexionem faciunt. Tum unus post alium per latus Epistolae

descendunt et in plano **Celebrans**, depositis planeta et manipulo, accipit pluviale nigri coloris, **Diaconus** et **Subdiaconus** deponunt tantum manipulos (Rubr. spec. Miss. et Rit. R.; Caer. Episc. L. II, cap. XXXVII, n. 2 et D. 3108 ad 5). Tunc **Thuriferarius** cum thuribulo et navicula a dexteris **Ministri aquae benedictae**, deferentis etiam Rituale, ad Altaris medium prope ingressum Presbyterii se confert; hos sequitur **Subdiaconus** Crucem deferens medius inter **Ceroferarios** cum candelabris accensis; tum **Beneficarii, Canonici, Caeremoniarius** ac demum **Celebrans** cum **Diacono** a sinistris, quin pluvialis fimbriam sublevet. Mox, peracta ab omnibus debita Altari reverentia, praeterquam a **Subdiacono** et **Ceroferariis**, ad feretrum procedunt.

1324. — Ubi ad feretrum ventum est, **Celebrans** semper sistit ad pedes Defuncti; adeo ut si Defunctus sit Sacerdos, se collocat feretrum inter et portam Ecclesiae; sin autem Sacerdos non fuerit, stat inter feretrum et Altare, aliquantum ad cornu Epistolae, ita ut Altari nequaquam terga directe obvertat et Crucem Subdiaconi respiciat. E converso **Subdiaconus** Crucem deferens cum **Ceroferariis** semper se collocat ad caput Defuncti; quamobrem si Defunctus presbyterali sit caractere insignitus, se inter feretrum statuit et Altare, facie ad feretrum versa; si vero minime fuerit Sacerdos, consistit feretrum inter et Ecclesiae ianuam. **Thuriferarius** et **Minister** aquae benedictae sistunt ad sinistram prope Celebrantem; omnes de **Choro** hinc inde a lateribus feretri sic sistunt, ut digniores sint propiores Celebranti.

1325. — Omnibus ut supra dispositis, **Celebrans** et **Diaconus** caput detegunt; **Diaconus** biretum suum **Caeremoniario** tradit, **Celebrans** suum **Diacono** porrigit, qui **Caeremoniario** dat. Tunc, **Diacono** tenente librum, **Celebrans**, iunctis manibus, absolute dicit: *Non intres in iudicium* etc., nulla numeri aut generis facta mutatione, etiam si pro pluribus aut pro femina dicatur (Rit. R. Tit. VI, cap. III, n. 7; DD. 1981; 2355).

Deinde, **Cantore** incipiente, **Clerus** circumstans cantat Responsorium: *Libera me, Domine*, etc. Convenit ut **Celebrans** et **Diaconus** aut cum Choro Responsorium cantent, aut illud alternatim, submissa voce, recitent (D. 4198 ad 5).

Dum a Choro Responsorium repetitur, **Diaconus** et **Thuriferarius** ad dexteram accedunt **Celebrantis** qui, ministrante naviculam, sine osculis, **Diacono** ac proferente: *Benedicite, Pater Reverende*, ponit in thuribulum incensum dicens: *Ab illo benedi-*

caris etc., ac postea super illud signum Crucis producit; quo expleto, **Diaconus** et **Thuriferarius** ad pristinum locum recedunt.

1326. — Absoluto Responsorio cum: *Kyrie* etc., **Celebrans** dicit, elata voce: *Pater noster* et secreto continuabitur ab **omnibus**. Interim **Diaconus** cum **Ministro de aqua benedicta** ac **Thuriferario** ad dexteram Celebrantis se conferunt. **Celebrans** de manu **Diaconi** aspersorium aquae benedictae accipit, praecedente **Caeremoniario** et eodem **Diacono** comitante a dexteris anteriorem pluvialis fimbriam sublevante, reverentiam, vel genuflexionem, Altari facit, **Diaconus** vero genuflexionem, circumiens feretrum, aspergit corpus Defuncti ter a parte sinistra Cadaveris et ter a dextera. Cum transit ante Crucem Subdiaconi, profunde se inclinat, **Diaconus** vero genuflectit. Reversus ad locum suum reddit aspersorium **Diacono** qui **Ministro** iterum dat. Tunc **Diaconus** a **Thuriferario** thuribulum accipit et illud Celebranti porrigit. **Celebrans**, accepto thuribulo, reverentiam, vel genuflexionem, Altari facit, et, eodem modo quo asperserat, circuit feretrum et corpus incensat; postea **Celebrans** ad pristinum locum reversus, thuribulum tradit **Diacono** qui **Thuriferario** illud porrigit, et stans in loco suo, **Diacono** librum apertum ante ipsum tenente, iunctis manibus, dicit: *Et ne nos inducas* etc., ac reliquos Versiculos ut in Rituali Romano, cum Oratione: *Deus, cui proprium est* etc.

Si Defunctus fuerit Sacerdos, in Oratione, dicatur: *pro anima famuli tui N. Sacerdotis, quam* etc.

1327. — Absoluta Oratione, **Cantores** cantant Antiphonam: *In paradisum* etc.; qua completa, **Celebrans** intonat Antiphonam: *Ego sum*; **Chorus** autem alternatim cantat: *Benedictus* etc., in cuius fine addit γ . *Requiem aeternam dona ei, Domine*, etc., ac repetit Antiphonam. Mox **Celebrans**, clara voce, pronuntiat: *Kyrie eleison* etc., cum *Pater noster*, ac dum secreto reliquum dicitur, corpus de more conspergit, quin se pedibus moveat. Quo asperso, subdit: *Et ne nos* etc., cum aliis Versiculis, ut in Rituali Romano, ac Oratione: *Fac quaesumus, Domine*, etc.

Oratione absoluta, **Celebrans** faciens Crucem, manu dextera, super feretrum dicit: *Requiem aeternam dona ei, Domine*, etc., ut in Rituali, moxque **Cantores** cantant: *Requiescat in pace*, et **Chorus** respondet: *Amen*. Deinde **Celebrans**, recto tono, dicit: *Anima eius* etc. Tunc **Diaconus** librum claudit et Clerico tradit; a **Caeremoniario** biretym Celebrantis accipit eique porrigit.

Celebrans, capite cooperto, in Sacristiam revertitur, inchoat sine cantu Antiphonam: *Si iniquitates*, et cum **Clero** alternatim recitat Psalmum 129: *De profundis* etc. In fine Psalmi additur in numero plurali: *Requiem aeternam* etc. et ab **omnibus** repetitur tota Antiphona: *Si iniquitates observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit?*

Cum in Sacristiam pervenerit, **Subdiaconus** cum Cruce se confert in superiorem ipsius Sacristiae partem, ibique sistit donec **Celebrans**, ante eandem Crucem, praescriptas Preces expleverit; **omnes** de Clero hinc inde a lateribus Crucis sistunt.

Omnibus suis locis dispositis, **Celebrans** in Sacristia (Rit. Rom. Tit. VI, cap. III, n. 15; D. 4081 ad 3) dicit: *Kyrie eleison* etc. cum *Pater noster* et aliis Versiculis, ut in Rituali Romano, ac Oratione: *Fidelium Deus* etc.

ARTICULUS II.

De Absolutione, absente Defuncti corpore.

1. — Absolutio ad Tumulum.

1328. — Tumulus ornatur ut sub n. 1141 notavimus.

Omnes se gerunt ut iam diximus sub n. 1323, sed cum ad Tumulum pervenerint, **Subdiaconus** sistit semper ad pedes Tumuli, contra Altare, medius inter **Ceroferarios** luminaria deferentes; **Celebrans** vero cum **Diacono** ex alia parte in capite loci inter Altare et Tumulum, aliquantulum versus cornu Epistolae, ita ut Subdiaconi Crucem respiciat; prope Diaconum **Thuriferarius** et **Minister aquae benedictae** sistunt. **Omnes de Clero**, hinc inde a lateribus Tumuli, sic sistunt ut digniores sint propiores Celebranti.

Omnibus ut supra dispositis, **Chorus**, **Cantore** incipiente, cantat Responsorium: *Libera me, Domine*, etc., et **omnes** se gerunt ut supra sub n. 1325 et seqq. notatur.

Asperso et thurificato Tumulo eodem modo ut sub n. 1326 dictum est, **Celebrans** dicit: *Et ne nos inducas* etc. ut in Rituali Romano, cum Oratione: *Absolve, quaesumus, Domine*, etc., vel Orationem quae dicta est in Missa, vel aliam convenientem, adhibita tamen conclusione brevi. Si Defunctus fuerit Sacerdos vel Episcopus, in Oratione exprimitur nomen dignitatis. Ubi Absolutio pro pluribus fiat Defunctis Versiculi et Oratio dicuntur in numero plurali.

Completa Oratione, ac per **Chorum** responso: *Amen*, **Celebrans**, sinistra pectori admota, dextera signum Crucis super Tumulum efformans dicit: *Requiem aeternam* etc.; moxque **Cantores**, altiori tono, cantant: *Requiescat in pace*, vel: *Requiescant in pace*, et **Chorus** respondet: *Amen*. Deinde **Celebrans** rursus dicit, recto tono: *Anima eius*, vel: *Animae eorum* etc.

Tum **Diaconus** librum claudit et **Acolytho** tradit; a **Caeremoniario** biretum Celebrantis accipit et ei porrigit.

Celebrans capite cooperto, inchoat Antiphonam: *Si iniquitates*, interea **omnes** eo modo et ordine quo venerant, in Sacristiam se conferunt, recitantes cum **Celebrante** Psalmum 129: *De profundis* etc., ut sub n. 1327 diximus.

Psalmus cum Precibus omittitur, si Absolutio facta fuerit pro omnibus fidelibus Defunctis.

2. — Absolutio ad Pannum.

1329. — Si quapiam de causa Tumulus pro Absolutione minime erigatur, **Celebrans** post ultimum Evangelium in medio Altaris consistens, Cruci caput inclinatur, vel genuflectit; **sacri Ministri** ad illius latera stantes, semper genuflectunt. Tum unus post alium per latus Epistolae ad scamnum descendunt. **Celebrans**, depositis planeta et manipulo, pluviale nigrum induit, **Thuriferario** vel **Caeremoniario** adiuvante; Ministri vero manipulum deponunt; interea **Ceroferarii** ante Altaris gradus nigrum insternunt Pannum.

1330. — **Celebrans**, assumpto pluviali, e latere Epistolae suppedaneum conscendit, et sistit ubi legitur Introitus, ad Altare conversus, cum **Diacono** a dextris et **Subdiacono** a sinistris, usque ad finem Responsorii: *Libera me, Domine*, etc.

Dum Responsorium a **Choro** repetitur, **Celebrans** ibidem ter incensum in thuribulum, more solito, ingerit; decantato ultimo: *Kyrie*, praecinit: *Pater noster*, quod secreto complet. Interim **Thuriferarius** et **Minister aquae benedictae** transeunt, cum genuflexione Altari, ad cornu Evangelii, ac secundum Altaris gradum conscendunt, aspersorium et thuribulum **Diacono** ministraturi. **Celebrans** autem cum **sacris Ministris** ad medium Altaris accedit, et ad Pannum cum ipsis se convertit; mox de manu **Diaconi** a dextris eius stantis, accepto aspersorio, ter pannum aspergit, nempe in medio, a parte Epistolae, et a parte Evangelii; deinceps simili modo illum thurificat, **Ministris** hinc inde pluvialis fimbrias elevantibus. Post haec ad cornu Epistolae redit,

ubi, stans inter **Diaconum** et **Subdiaconum**, ut supra, ex libro super illud posito subiungit: *Et ne nos* etc., cum ceteris Versiculis et Oratione, quemadmodum n. 1328 tradidimus. Demum, pronunciato per **Cantores**: *Requiescat*, vel: *Requiescant in pace*, **Celebrans** dicit recto tono: *Anima eius*, vel: *Animae eorum* etc., et cum suis **Ministris** accedens denuo ad medium Altaris, caput Cruci inclinatur, ac in planum descendit: ibi, facta cum aliis debita reverentia, caput cooperit, Antiphonam: *Si iniquitates*, inchoat et cum **Clero** recitat Psalmum 129: *De profundis* etc., ut supra sub n. 1327 diximus.

CAPUT XXXVII.

DE MISSA PRIVATA

ARTICULUS I.

Quaedam generales animadversiones.

1331. — DE VOCIS DIVERSITATE. — I. - Duplex vox pro Missa privata a Rubricis distinguitur, nempe: submissa et elata (Rubr. Gen. Miss. Tit. XVI; Aertnys, *Comp. Lit. Sacr.*, n. 22; Ephem. Lit. An. 1928, pag. 239 et seqq.).

II. - Vox submissa illa est, quae a Sacerdote ita emittitur ut ipse quidem se audiat, at contra a circumstantibus non audiatur. Eiusmodi voce proferuntur:

1. *Aufer a nobis* etc., usque ad Introitum.
2. *Munda cor meum* etc., *Iube, Domine*, etc., et *Per Evangelica dicta* etc.
3. *Suscipe, sancte Pater* etc., usque ad Praefationem, exceptis tantum verbis: *Orate, fratres*.
4. Canon Missae usque ad: *Per omnia saecula ante Pater noster*, praeter haec tria verba: *Nobis quoque peccatoribus*.
5. *Amen*, post *Pater noster*, cum Oratione sequenti usque ad: *Per omnia saecula saeculorum*, exclusive.
6. *Haec commixtio* etc.
7. Orationes post *Agnus Dei* usque ad Antiphonam dictam «*Communio*», exceptis verbis *Domine, non sum dignus*.
8. *Placeat tibi, sancta Trinitas* etc.

III. - Vox elata est illa, quae ad circumstantium aures perveniat, sic tamen ut devotionem conciliet, neque alios perturbet, qui fortasse id temporis in eadem Ecclesia Sacrum faciunt. Voce elata dicuntur:

1. *In nomine Patris*, etc., usque ad verbum *Oremus* inclusive.
2. Introitus.
3. *Kyrie, eleison* etc.
4. *Gloria in excelsis* etc.
5. *Dominus vobiscum*; Orationes.
6. *Oremus*; *Flectamus genua, Levate*.
7. Epistola, Prophetiae, Graduale, Versus, Tractus, Sequentia,

Passio Domini.

8. Evangelium.
9. *Credo in unum Deum* etc.
10. Offertorium.
11. Haec duo verba: *Orate, fratres*.
12. Praefatio, usque ad alterum *Hosanna in excelsis*, inclusive.
13. Haec tria verba: *Nobis quoque peccatoribus*.
14. *Per omnia saecula* etc.; *Pater noster* etc.
15. *Per omnia saecula* etc.; *Pax Domini* etc.
16. *Agnus Dei* etc.
17. Haec quatuor verba: *Domine, non sum dignus*, ter repetita.
18. Communio et Postcommunio.
19. *Humiliate capita vestra Deo*.
20. *Ite Missa est; Benedicamus Domino; Requiescant in pace*.
21. *Benedicat vos* etc.
22. Evangelium ultimum.

1332. — DE INCLINATIONIBUS. — I. - Inclinatio triplex est: profunda, mediocris, simplex.

α) Profunda, quando corpus inclinatur ita ut manus facile genua pertingant;

β) Mediocris, quando flexo aliquantulum corpore, caput inclinatur cum humeris;

γ) Simplex, quando caput tantummodo inclinatur.

II. - Celebrans profunde se inclinatur:

1. Cruci vel Imagini praecipuae cum e Sacratio egreditur, et post Missam illuc redit, capite tamen cooperto, si Calicem deferat.

2. Transiens ante Altare maius, si ibi SS. Sacramentum non asservetur, vel ante Sanctorum Reliquias solemniter expositas, capite cooperto ut supra.

3. In accessu ad Altare, ac postquam descenderit, ut Missam incipiat, nisi ibi adsit SS. Sacramentum.

4. Ad: *Confiteor* donec Minister responderit: *Misereatur tui* etc.

5. Ad: *Munda cor meum* etc.; *Iube, Domine*, etc.; *Dominus sit in corde meo* etc.

6. Ad: *Te igitur* initio Canonis, usque ad: *petimus*, inclusive.

7. Ad: *Supplices te rogamus* usque ad *quotquot*, inclusive.

8. Ante Altaris gradum priusquam recedat, nisi ibi SS. Sacramentum adsit. Magnis vero Praelatis, Principibus et Sacerdoti, sacris vestibus induto, plus minusve se inclinabit prout eorum dignitas postulabit; capite tamen tecto, si Calicem deferat.

III. - Mediocriter se inclinatur Celebrans:

1. Ad: *Deus, tu conversus* etc., usque ad: *Oremus*, inclusive.

2. Ad: *Oramus te, Domine*, etc., usque ad: *Quorum reliquiae*.

3. Ad: *In spiritu humilitatis* etc.

4. Ad: *Suscipe sancta Trinitas* etc.

5. Ad: *Sanctus*, usque ad: *Benedictus qui venit*, exclusive.

6. Ad: tria *Agnus Dei* et tres Orationes ante Communionem.

7. Ad: *Domine, non sum dignus* etc.

8. Ad Communionem sacrae Hostiae.

9. Ad: *Placeat tibi, sancta Trinitas* etc.

IV. - Simplex inclinatio fit a Celebrante:

1. In accessu ad medium Altaris postquam Missale aperuerit.

2. Ad: *Gloria Patri* etc. post Psalmum 42: *Iudica* etc., in Introitu et post Psalmum 25: *Lavabo* etc.

3. Ad: *Gloria in excelsis* dum dicit: *Deo; Adoramus te; Gratias agimus tibi; Suscipe deprecationem nostram*.

4. Quoties profert SS. nomen Iesu vel Iesu Christi, item SS. Trinitatis, nisi Celebrans iam inclinatus extet.

5. Quotiescumque dicit: *Oremus*.

6. Ad: *Credo*, dum pronunciat: *Deum*, et: *Simul adoratur*.

7. In Praefatione ad: *Gratias agamus*, dum profert: *Deo nostro*.

8. Ad utrumque «*Memento*».

9. Ad utramque consecrationem cum dicit: *Tibi gratias agens*, et dum profert verba consecrationis.

10. Ad: *Per eundem Christum*, ante: *Nobis quoque peccatoribus*.

11. Ad: *Benedicat vos omnipotens*, dum pronunciat: *Deus*.

12. Antequam ab Altari descendat, finita Missa.

13. Quoties occurrit SS. nomen Mariae.

14. Quoties profert nomen Sancti cuius Vigilia vel Festum vel Commemoratio agitur; omittitur vero inclinatio, si nomen Sancti, cuius agitur Festum, legatur in titulo Epistolae vel Evangelii (D. 3767 ad 25).

15. Ad nomen Summi Pontificis regnantis.

V. - Inclinatio ad *Gloria Patri* etc., ad nomen SS. Trinitatis vel Iesu profundior esse debet.

VI. - Ad *Gloria Patri* etc., *Oremus* et ad nomen Iesu, hae inclinationes fiunt ad Crucem; in lectione Evangelii vero ad nomen Iesu inclinatio fit ad librum.

VII. - Inclinationes ad nomina B. Mariae Virg., Sanctorum quorum Vigilia vel Festum vel Commemoratio agitur et Summi Pontificis fiunt ad librum, nisi in loco principali Altaris habeatur Statua vel Imago vel Reliquia B. M. V. aut Sancti, ad quam, in casu, quia expressius repraesentat, caput inclinatur (Ritus celebr. Miss. tit. V, n. 2; et D. 3767 ad 25 et 4172 ad 3).

1333. — DE GENUFLEXIONIBUS. — I. - Genuflexio duplicis generis est: simplex, duplex.

α) Simplex fit demittendo genu dexterum usque ad terram iuxta talum pedis sinistri absque ulla capitis inclinatione;

β) Duplex, demittendo prius genu dexterum iuxta talum pedis sinistri dein sinistrum iuxta dexterum. Haec genuflexio semper cum mediocri reverentia fit.

II. - Celebrans qui ad Altare genuflectat, manus hinc inde super Altare extendit ut se sustentet, praeterquam ante elevationem sacrae Hostiae; et si aliquando utrumque flectat genu cum pausa, tunc manus ita genuflexus iungit ante pectus usque dum sese erigat, sed ante quam surgat, illas iterum extendit super Altare.

III. - Celebrans in Missa privata unicum genu flectit:

1. Transiens ante Altare ubi SS. Sacramentum in Tabernaculo asservatur, vel ante Reliquiam Sanctae Crucis vel alterius Dominicae Passionis Instrumenti expositam; item ante Altare ubi Sacrum fiat, si tempus inter consecrationem et communionem.

2. In plano ante infimum gradum in accessu ad Altare et in discessu ab eo post Missam, si ibi SS. Sacramentum adsit vel Reliquia S. Crucis vel alterius Dominicae Passionis Instrumenti exposita (DD. 2390 ad 7; 2722 ad 1 et 2; 3201 ad 7); rursus, in primo

casu, super infimum gradum (D. 2682 ad 47), postquam descenderit, ut Missam incipiat.

3. Dum dicit, suo tempore: *Flectamus genua*.

4. Quoties in Missali ad Epistolam, Tractum et Evangelium reperitur: «*Hic genuflectitur*».

5. Ad: *Credo*, cum pronuntiat: *Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine: et homo factus est*.

6. Ante et post elevationem Hostiae et Calicis.

7. Postquam e Calice pallam detraxerit ante verba: *Per ipsum et cum ipso*; itemque postquam Calicem cooperuerit.

8. Ante et post fractionem sacrae Hostiae.

9. Ante verba: *Domine, non sum dignus*.

10. Postquam pallam e Calice amoverit ante sumptionem pretiosi Sanguinis.

11. In Evangelio S. Ioannis ad: *Et Verbum caro factum est*.

IV. - Utrumque genu Celebrans flectit:

1. Transiens ante Altare ubi SS. Sacramentum fidelium adorationi publice expositum sit.

2. Praeteriens ante Altare, ubi Missae cuiuspiam iam immineat consecratio et elevatio, vel cum Ven. Sacramento impertiatur benedictio, nec antea surgit quam Celebrans Calicem vel Ostensorium deposuerit super corporale.

3. Si obviam Sacerdoti veniat SS. Sacramentum deferenti, donec ille e conspectu excesserit.

4. Transiens ante Altare ubi distribuitur sacra Communio; peracta tamen genuflexione, continuo surgit (D. 2002 ad 14).

In eiusmodi genuflexionibus, ob Calicem quem prae manibus gestat, prius utrumque flectit genu, tum caput detegit, factaque mediocri corporis inclinatione, quae in casu habetur uti profunda (D. 4179 ad 1), caput cooperit, surgit, et procedit.

Praeterea utrumque flectendum est genu cum in Passione legit: *Expiravit* vel *emisit spiritum*; tunc manus ante pectus iunctas tenet, Altari vero eas imponit cum est surrecturus.

V. - Quoad genuflexiones in Missa, quae celebratur ante SS. Sacramentum expositum, consule quae infra adnotabimus (v. n. 1458-1470).

1334. — DE OSCULIS. — I. - Celebrans osculari debet sacras vestes, Altare, Missale, Patenam.

II. - In vestibus osculantur amictus, manipulus et stola in medio Crucis, et hoc fit in illis sumendis, tam in Missis vivorum quam in Missis defunctorum; in illis deponendis, non praescribitur.

III. - Osculatio Altaris (quae ut facilius ac rectius fiat praestat aliquantulum ab Altari recedere) semper in medio conficienda est, manibus hinc inde super eo, extra corporale, aequaliter extensis; sed post consecrationem usque ad ablutionem digitorum ponuntur intra corporale et pollex uterque ab indice non disiungitur.

IV. - Celebrans osculatur Altare:

1. Ad: *Oramus te, Domine*, dum dicit: *quorum reliquiae hic sunt*.
2. Quotiescumque sese ad populum est conversurus ut pronuntiet: *Dominus vobiscum*.
3. Ante verba: *Orate, fratres*.
4. Ad: *Te igitur*, dum profert: *Uti accepta habeas*.
5. Ad: *Supplices te rogamus*, in verbis: *Ex hac Altaris participatione*.
6. Si detur pax, antequam dicat: *Pax tecum*.
7. Absoluta Oratione: *Placeat tibi, sancta Trinitas* etc., etiamsi benedictio non impertiatur.

V. - Missale deosculandum tantum est in fine primi Evangelii, exceptis Missis de Requie, et nisi celebretur coram Summo Pontifice vel Cardinali, ubique; coram Legato Sedis Apostolicae vel Patriarcha, Archiepiscopo et Episcopo in loco eorum iurisdictionis.

Celebrans ambabus manibus Missale sumens, ipsum aliquatenus elevat et, se paululum inclinans, deosculatur illud in principio Evangelii.

VI. - Patenam deosculari debet semel tantum, scilicet ad verba: *da propitius*, postquam se ea signaverit; congruentius autem in eius extremitate seu ora (D. 1711 ad 5).

1335. — DE OCULIS. — I. - Celebrans cum in Missa oculos iuxta Rubricas elevat, semper debet Crucem Altaris aspicere (D. 2960 ad 3) vel SS. Sacramentum si expositum sit.

II. - Novies tantum erigit oculos, statimque demittit (praeterquam ad *Offerimus*):

1. Ante: *Munda cor meum*.
2. Ante: *Suscipe, sancte Pater*.
3. Ad: *Offerimus tibi, Domine*, etc., usque ad finem.
4. Dum dicit: *Veni, sanctificator omnipotens aeternae Deus*.
5. Ante: *Suscipe, sancta Trinitas*.

6. In Praefatione ad: *Gratias agamus* cum pronuntiat: *Deo*.
7. Ante: *Te igitur*.
8. Ad: *Elevatis oculis in caelum*, ante Hostiae consecrationem.
9. Ad: *Benedicat vos omnipotens Deus*, in fine Missae.

III. - Intentos vero tenet oculos ad SS. Sacramentum:

1. In elevatione Hostiae et Calicis, et quoties sacras Species prae manibus habet.
2. Ad «*Memento*» Defunctorum, dum privatim orat.
3. Ad totam Orationem Dominicam.
4. Ad tres Orationes ante Communionem.

IV. - Oculos demissos tenet:

1. Cum ante Missam procedit ad Altare et post Missam regreditur.
2. Quando se vertit ad populum dicens: *Dominus vobiscum; Orate, fratres*, et ad benedictionem.

1336. — DE VARIIS MANUUM POSITIONIBUS. — I. - Quando manus iunctae ponuntur super Altare, minimi dumtaxat digiti frontem tangant, seu medium anterioris partis mensae, non tamen a reliquis digitis seiuncti sint, qui super oram mensae collocantur, pollice dextero super sinistrum in modum Crucis inflexo; verum post consecrationem usque ad ablutionem pollices et indices manent semper coniuncti. Sic ponuntur manus iunctae super Altare, non vero super corporale, sive ante sive post consecrationem (D. 2572 ad 21) ad:

1. *Oramus te, Domine* etc.
2. *In spiritu humilitatis* etc.
3. *Suscipe, sancta Trinitas* etc.
4. *Te igitur* etc.
5. *Supplices te rogamus* etc.
6. Tres Orationes ante Communionem.
7. *Placeat tibi, sancta Trinitas* etc.

II. - Cum manus extensae super Altaris mensam ponuntur, illic sese porrigant usque ad pulsum, et quidem ante consecrationem, hinc inde, extra corporale; a consecratione autem usque ad ablutionem intra corporale; palmae vero planitiem mensae attingant.

III. - Cum manus ante pectus extensae sunt simulque disiunctae, palma unius manus ex adverso alterius tenetur, ambae vero cunctis digitis unitis et post consecrationem usque ad Communionem utroque pollice et indice invicem adstrictis, humerorum latitudinem non debent excedere neque altitudinem, quod facile praestabitur

si uterque cubitus lateri adhaereat; extremitas autem digitorum coelum magis seu faciem Celebrantis, quam Altare respiciet. Cum vero fuerint iungendae, non illas quidem prius elevari aut deprimi decet, sed recta linea statim ante pectus sunt adducendae.

IV. - Extenduntur manus ante pectus, statimque adiunguntur:

1. Quoties Celebrans in Missa dicit: *Oremus*, praeterquam ad *Pater noster*, quia tunc elevantur et iunguntur manus.

2. Quotiescumque Celebrans conversus ad populum profert: *Dominus vobiscum*.

3. Cum pronuntiat: *Orate, fratres*.

In hisce casibus Celebrans manus extendere incipit cum verba pronuntiare inchoat, easque statim iungit cum ea desinunt.

V. - Manus vero tenentur ante pectus extensae:

1. Ad Orationes, Secretas et Postcommuniones usque ad conclusionem: *Per Dominum nostrum* etc., et si conclusio sit: *Qui tecum* etc., vel: *Qui vivis* etc., usque ad verba: *in unitate*.

2. In Praefatione ad: *Sursum corda* usque ad: *Gratias agamus*, exclusive dehinc a verbis: *Vere dignum* etc., usque ad: *Sanctus*.

3. In Canone Missae ab: *in primis, quae tibi* etc. ad finem eiusdem, excepto quod, ut alibi dicitur, aliquid manibus sit faciendum.

4. Cum incipit *Pater noster* usque ad finem.

Si manus, antequam extendantur, iunctae non sint, non est necesse ut prius iungantur ante pectus, sed sufficit ut ad pectus eleventur, uti ad: *Sursum corda*, et in prima Oratione Canonis.

VI. - Cum manus extendendae, simulque erigendae et iungendae sunt, efformandus est veluti circulus, idest manus ante pectus iunctae, non quidem deiiciuntur, sed elevatae uti sunt ante pectus expanduntur ad humerorum latitudinem, atque extolluntur ad superiorem humerorum partem, ibique coniunctae ad pectus demittuntur; attamen ad utrumque «*Memento*» erigi possunt usque ad faciem ibique iungi, et ad «*Memento vivorum*» prius non coniunguntur, sed dumtaxat elevantur.

Praefata extensio, elevatio et iunctio manuum fit:

1. Ad verba: *Gloria in excelsis Deo*.

2. Ad verba: *Credo in unum Deum*.

3. Rursum ad verba: *Veni, sanctificator omnipotens aeternae Deus*.

4. Ante: *Te igitur*, initio Canonis.

5. Ad utrumque «*Memento*», ut supra animadvertimus.

6. In Oratione: *Quam oblationem* etc., post verba: *Corpus et Sanguis fiat*.

7. In fine Missae ad benedictionem, cum pronuntiat: *Benedicat vos omnipotens Deus*.

VII. - Dum una manus aliquid agit, altera numquam manet veluti in aëre pendula, sed, iuxta actionis qualitatem, ponitur super Altare vel Missale aut ad Calicem, vel infra pectus.

1337. — DE PECTORIS PERCUSSIONE. — Celebrans (sinistra, in *Confiteor* infra pectus; ad: *Nobis quoque peccatoribus*, atque ad: *Agnus Dei* super Altare posita; et ad: *Domine, non sum dignus* Patenam sustinente) extremitate dexteræ, extensis nempe iunctisque cunctis digitis iisque parumper inflexis, modeste, non vehementer, pectus sibi percutit dum dicit: *Mea culpa; Nobis quoque peccatoribus; Miserere nobis; Dona nobis pacem*, et *Domine, non sum dignus*. Post consecrationem tamen percussio haec fit tantum tribus inferioribus seu postremis digitis; tunc vero cavendum ne pollex et index iuncti planetam tangant. Ad: *Agnus Dei* et ad: *Domine, non sum dignus*, decet ut unam inter et alteram percussione dextera non super Altare teneatur, sed vel pectori admota vel lente moveatur.

1338. — DE CRUCIS SIGNIS. — I. - Cruces fiunt extensis iunctisque omnibus dexteræ manus digitis (D. 1711 ad 6), etiam in efformanda transversa Crucis linea, si modo tempus excipias quod inter consecrationem et Communionem intercedit, tum quippe pollices et indices manus utriusque sese invicem in apice contingunt, reliqui autem digiti iuncti manent et extensi.

Celebrans seipsum signans, sinistram non impeditam semper collocat infra pectus; signans vero alia: si stet ad Altare, sinistram non impeditam super Altare ponit, praeterquam dum signat Evangelium, tunc enim sinistra super librum ponitur (D. 2572 ad 11); sin autem minus stet versus Altare quam erga populum, sinistram infra pectus tenebit.

II. - Ad singulas Crucis lineas, quae signo fiunt aut contactu, verba diligenter sunt distribuenda. Hinc syllabae aut verba, quae Crucem in Missali depictam praecedunt, sunt pronuntianda dum prior linea recta efformatur; quae autem sequuntur, dum linea transversa efficitur.

III. - In quavis benedictione per Crucem, parvus digitus reliquis digitis coniunctus vertendus est ad rem cui benedicitur. Item priusquam Cruce res quaequam signetur, manus ante pectus iungendae sunt, nisi forte altera impediatur, ut evenit ad benedictionem aquae

in Calicem infundendae, nec non ad benedictionem Hostiae et Calicis ante consecrationem.

IV. — Lineae Crucis neque adeo exiguae debent esse, ut Crux vix distinguatur, neque adeo longae, ut rei signandae latitudinem valde excedant. Quapropter in benedictione sub Missae exitum prima linea frontem et pectus, altera transversa humerorum latitudinem minime praetergredietur. Similiter cum Hostia et Calix signantur horum terminos vix ac ne vix quidem lineae exsuperent.

V. — In quocumque Crucis signo peragendo, post primam lineam rectam (quae semper incipit a parte superiori respectu signantis), manus seu parvus digitus reduci debet ad medium illius rectae lineae, tum vero transfertur ad sinistram partem signantis, dehinc ad dexteram, ac ita linea transversa ducitur.

VI. — Cruces omnes exacte, distincte et modeste sunt perficiendae, ac nefas plane est manus in iis temere agitari.

1339. — DE IIS QUAE CELEBRANS MEMORITER SCIRE DEBET. — Celebrans memoriter scire debet:

1. Orationes dicendas dum lavat manus, et sacras induit vestes (v. n. 1341 et 1343).
2. Omnia quae proferuntur ab initio Missae usque ad Introitum (v. n. 1352 et 1354).
3. *Gloria in excelsis*, saltem quia perutile hoc erit (v. n. 1358).
4. *Munda cor meum; Iube, Domine; Dominus sit in corde meo et Per Evangelica dicta* (v. n. 1377 et 1379).
5. *Credo*, maxime vero: *Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et homo factus est* (v. n. 1380).
6. *Suscipe, sancte Pater* etc. (v. n. 1382).
7. *Deus, qui humanae substantiae dignitatem* etc. (v. n. 1384).
8. *Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris* etc. (v. n. 1385).
9. *In spiritu humilitatis* etc. (v. n. 1386).
10. *Veni, sanctificator* etc. (v. n. 1386).
11. Psalmum *Lavabo*, saltem primos versiculos (v. n. 1387).
12. *Suscipe, sancta Trinitas* etc. (v. n. 1388).
13. *Orate, fratres* etc. (v. n. 1388).
14. *Te igitur*, initio Canonis usque ad: *haec sancta sacrificia illibata* (v. n. 1390).
15. Post: *Hanc igitur... Bene dictam, adscripam* etc. usque ad: *Haec quotiescumque feceritis* etc. inclusive, post Consecrationem Calicis (v. n. 1393-1396).

16. Post: *Unde et memores... Hostiam puram* etc. (v. n. 1398).
17. *Supplices te rogamus* usque ad: *Memento Defunctorum* (v. n. 1398 et 1399).
18. Post: *Nobis quoque peccatoribus... Sancti ficas, vivi ficas* etc. usque ad: *Omnis honor et gloria* (v. n. 1400).
19. *Da propitius pacem*, dum signat se Patena, et *Per eundem Dominum* etc., dum frangit Hostiam (v. n. 1401 et 1402).
20. *Haec commixtio et consecratio* etc. (v. n. 1402).
21. *Tres Agnus Dei* (v. n. 1403).
22. *Tres Orationes ante Communionem* (v. n. 1403).
23. *Panem caelestem* et reliqua usque ad digitorum ablutionem, inclusive (v. n. 1404 et 1414).
24. *Placeat tibi, sancta Trinitas* etc., et *Benedicat vos omnipotens Deus* etc. (v. n. 1417).

ARTICULUS II.

De praeparatione Sacerdotis celebraturi.

1340. — Sacerdos, Missam celebraturus, Orationes pro temporis opportunitate recitabit, quae, quamvis de praecepto non sint, attamen utpote Ecclesiae orationes, ceteris praeferendas esse nemo est qui non videat (Rit. serv. in celebr. Miss. Tit. I, n. 1 et C. I. C. 810).

In duplicibus tantum Antiphonam: *Ne reminiscaris* etc., integram recitabit; tempore vero paschali, addet in fine *Alleluia*.

Quando vero ritus Missae differt a ritu Officii, ex. gr. in Missa Conventuali Ferae Quadragesimae, occurrente Officio ritus Duplicis, Celebrans duplicare potest vel non Antiphonam ad libitum, iuxta ritum Officii vel Missae (D. 4011 ad 2).

1341. — Praeparatione completa, Celebrans accedet ad locum in Sacristia, vel alibi praeparatum, ubi sacra indumenta, aliaque ad celebrationem necessaria in promptu fuerint; accipiet Missale, perquiret Missam ac perleget, et singula quae fuerint dicenda signaculis distinguet. Tum lavabit manus pronuntians Orationem: *Da, Domine, virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam; ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire.* Dein linteo mundo manus extergit.

1342. — Quo facto, Calicem praeparat, super os illius ponit purificatorium plicatum, cuius utraque extremitas hinc inde dependeat, et super illud Patenam cum Hostia, quam contegit palla linea. Super pallam expandit velum coloris indumentorum, quo calix circum-

undique vel saltem in parte anteriori cooperitur, deinde velo superimponit bursam, cum apertura ad Celebrantem versa, intus habentem corporale plicatum (D. 2146 ad 2). Super bursam revolvit partem veli anteriorem, ut commodius Calicem deferre possit. Praeter haec dicta, nihil aliud super Calicem poni fas est (D. 2118).

1343. — Quibus ita dispositis, accedit ad paramenta, ac primum, si velit Sacerdos, signo Crucis signabit, deinde accipiens ambabus manibus amictum prope utramque extremitatem et funiculos, osculatur illum in medio ubi Crux adest: tum dexteram circumducens super sinistram, capiti illum imponit, mox declinat ad collum, et eo vestium collaria circumtegit ac funiculos inde pendentes sub brachiis post tergum inserit, et ante pectus reductos, stricta colligat. Imponens autem amictum super caput dicit: *Impone, Domine, capiti meo galeam salutis, ad expugnandos diabolicos incursus.*

Tum albam assumit, caput submittens, dexteramque manicam brachio dextero, et sinistram sinistro inducit; atque albam ipsam, adjuvante Ministro, corpori adaptat, elevat ante et a lateribus hinc inde, dicens: *Dealba me, Domine, et munda cor meum ut, in sanguine Agni dealbatus, gaudiis perfruar sempiternis.*

Dehinc cingulo, a tergo sibi porrecto (cum floccis a dextero latere), super lumbos se adstringit, dicens: *Praecinge me, Domine, cingulo puritatis, et exstingue in lumbis meis humorem libidinis; ut maneat in me virtus continentiae et castitatis.*

Postea Sacerdos manipulum accipit, Crucem in medio deosculatur, et brachio imponit sinistro pulsum inter et cubitum, dicens: *Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris; ut cum exultatione recipiam mercedem laboris.*

Deinceps ambabus manibus accipiens stolam, simili modo illam deosculatur, eiusque medium collo adiicit ita tamen ut a planeta, quae superinducenda erit, contegatur; illam porro instar Crucis transfert ante pectus, prius nimirum flectendo partem a sinistro humero pendentem ad latus dexterum, partem autem pendentem a dextero humero ad latus sinistrum; ita ut pars dextera in pectore statuatur super sinistram. Ita, partem utramque stolae per duplicem cinguli extremitatem hinc inde eidem cingulo adnectit, dicens: *Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdi in praevagatione primi parentis: et, quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.*

Postremo planetam induit (sine osculo) internisque funiculis ante pectus ipsam devincit dicens: *Domine, qui dixisti: Iugum meum*

suave est et onus meum leve: fac, ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam. Amen.

1344. — Si necessitas Sacerdotem cogat indumenta sumere de Altari, in cornu Evangelii se induit, non in medio. Si vero in Altari asservatur SS. Sacramentum, omnino in loco ab Altari separato paramenta sumenda sunt (DD. 514; 553; 567; 902; 1333 ad 10; 1425; 1480; 1782 ad 7).

1345. — « Abstineat autem (Celebrans) a pileolo et annulo, nisi sit S. R. E. Cardinalis, Episcopus vel Abbas benedictus, aut nisi apostolicum indultum eorundem usum in Missa celebranda eidem permittat » (C. I. C. 811, § 2).

ARTICULUS III.

De ingressu Celebrantis ad Altare.

1346. — Celebrans omnibus pro Missa indumentis assumptis, caput cooperit bireto; qui vero illo non utitur, retinet in capite amictum usquedum ad Altare accesserit; dein sinistra Calicem apprehendit ad nodum, quem portat elevatum ante pectus, extensam tenens dexteram super bursam; peracta profunda inclinatione Cruci vel praecipuae Sacrae Imagini, praecedente Ministro cum Missali, demissis oculis, incessu gravi, corpore erecto, ad Altare accedet.

1347. — Ecclesiam ingrediens, si commode fieri potest, aquam benedictam accipit eaque se signat, tecto capite (D. 2514 ad 4).

Si Sacrarium stet post Altare et duas habeat portas ad Altaris latera, Celebrans egredietur a cornu Evangelii, et per cornu Epistolae regredietur (D. 3029 ad 12).

Si contigerit ut pertranseat ante Altare maius, in quo SS. Sacramentum non asservetur, vel ante Reliquias Sanctorum expositas, cooperto capite, debitam exhibet inclinationem. Transiens ante Altare in quo asservatur SS. Sacramentum vel ante Reliquiam S. Crucis vel alterius Instrumenti Dominicae Passionis publice expositam, tecto capite, unicum genu flectit. Si ante Altare ubi SS. Sacramentum expositum sit, vel ubi tunc elevatur vel ministratur, genuflectere debet, et in casu hanc regulam servabit: prius utrumque flectit genu, mox caput detegit, modicam inclinationem peragit, idest capitis, et modicam humerorum inclinationem, quae in casu

habetur uti profunda (D. 4179 ad 1) ac iterum tegit caput, deinde surgit. Quandoque contingere potest ut Sacerdoti obviet SS. Sacramentum deferenti: hoc eveniente casu, utroque genu flectere debet, donec hic e conspectu vel quasi e conspectu transierit.

Celebrans ad Altare accedens vel ab eo rediens neminem salutet nisi loci Ordinarium vel alium Sacerdotem sacris indutum vestibus, qui procedit ad Altare vel inde recedit. Qui egreditur inclinationem, tecto capite, regredienti faciet eique locum dexterum cedit. Si procedit e Sacristia vel redit ab Altari dum in Choro canitur: *Et incarnatus est* usque ad: *homo factus est*, inclusive, non tenetur genuflectere (D. 1421 ad 3).

Si nequeat ob senectutem vel infirmitatem Calicem deferre, tunc ad Altare accedet iunctis manibus, ac cum oportuerit, capite detecto, reverentias faciet.

1348. — Cum Celebrans ad Altare pervenerit, stans ante infimum gradum, caput manu dextera detegit, biretum Ministro porrigit, dexteram manum, ut antea, super bursam deponit; tum Cruci Altaris profunde se inclinat, vel si in Tabernaculo adfuerit SS. Sacramentum aut supra Altare exposita fuerit S. Crucis aut Instrumenti Dominicae Passionis Reliquia, absque ulla capitis inclinatione, in plano, non vero super infimum gradum, genuflectit (D. 2682 ad 47).

Tum ad medium Altaris, pede dextero praeunte, ascendit. Ibi ad cornu Evangelii sistit Calicem, cui demittit utraque manu velum in anteriori parte revolutum; tum bursam apprehendit, et inde, sinistra illam desuper premente, dextera corporale extrahit. Quo facto, bursam collocat ad cornu Evangelii cum apertura ad Altaris medium versa, nisi aliter eam collocari fas sit ob imagines in ea fortasse depictas. Corporale postmodum ambabus manibus in medio Altaris explicat; prope frontem ipsius admovens illud, ita ut a fronte Altaris extremitas corporalis spatium absit idque ad maiorem securitatem ne Celebrans quum ad populum convertetur, planeta aut manipulo secum ducat corporale cum Calice.

Corporali super Altare extenso, Calicem ad nodum sinistra manu sub velo accipit, dextera vero superposita, et collocat in medio corporali velumque illius ita accommodat, ut anterior saltem pars omnino cooperiatur (D. 1379).

1349. — Si est consecraturus plures hostias pro Communione facienda, quae ob quantitatem super Patenam manere non possint, locat eas super corporale ante Calicem ad ipsius sinistram, vel ponit

eas retro post Calicem in Pyxide cum operculo (sine albo serico velo, quo tegitur) aut in alio Calice palla cooperto. Similiter hostia Ostensorii consecranda poni potest ante Missam super Patenam et post panis oblationem inter Calicem et hostiam sacrificii, aut, defectu spatii, iuxta istam hostiam a latere Evangelii.

Omnia haec similiter perficit priusquam ab Altari descendat, si sacras vestes de Altari sumpserit (v. n. 1344).

1350. — Collocato Calice super corporale, iunctis manibus ante pectus, quin se Cruci inclinet (D. 2682 ad 27) pergat ad cornu Epistolae, in incessu prorsus Altari obvertens latus sinistram (quod semper in similibus faciet). Stans in cornu Epistolae, Missale clausum aperit (D. 2572 ad 5); Missam perquirat ac signacula, si opus sit, suis locis componit. Tum, manibus denuo iunctis, dexterumque latus Altari obvertens (quod semper in similibus subintelligitur, ut supra), redit ad medium Altaris; ubi, facta Cruci inclinatione simplici, sine mora, ad cornu Epistolae seipsum volvens et aliquantulum se retrahens ad cornu Evangelii, ne directe terga obiciantur Cruci, descendit post infimum Altaris gradum; si autem plures habeantur gradus varios in ordines distributi, sufficit, ut descendat post gradum ultimum primi ordinis vel ante predellam (D. 1265 ad 4).

ARTICULUS IV.

De principio Missae et Confessione facienda.

1351. — Celebrans cum ita descenderit, per latus sinistram convertit se ad ipsum Altare, ibique in medio stans, iunctis ante pectus manibus, extensis et iunctis pariter digitis et pollice dextero super sinistram posito in modum Crucis, profunde Cruci vel S. Crucis aut Instrumenti Dominicae Passionis Reliquiae se inclinat (D. 2722 ad 2); si vero SS. Sacramentum in Altari asservetur, genuflectit super infimum gradum (D. 2682 ad 47) absque capitis inclinatione.

Si nulla adsit predella Sacerdos aliquatenus ab Altari recedat ut congruens distantia servetur.

1352. — Deinceps erectus, quin in casu altero amplius se inclinet, Missam inchoat, se signans dum, elata voce, dicit: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.* Ac ita porro ad finem usque prosequitur, quin umquam animum advertat ad Missam, quae alio in Altari tunc forte celebretur, etiamsi SS. Sacramenti ibi fiat elevatio.

Post verba: *In nomine Patris* etc., ut supra, iungens iterum manus ante pectus, eadem voce pronuntiat Antiphonam: *Introibo ad Altare Dei*; ac, responso a Ministro: *Ad Deum qui laetificat iuventutem meam*, stans uti prius, cum illo alternatim recitat Psalmum 42:

Celebr. *Iudica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo, et doloso erue me.*

Minist. *Quia tu es, Deus, fortitudo mea: quare me repulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?*

Cel. *Emitte lucem tuam, et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.*

Min. *Et introibo ad altare Dei: ad Deum qui laetificat iuventutem meam.*

Cel. *Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus: quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?*

Min. *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus.*

Cel. *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.*

Min. *Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in saecula saeculorum. Amen.*

In fine Psalmi, cum Celebrans dicit: *Gloria Patri* etc. caput inclinatur usque ad: *Sicut erat*, exclusive.

Psalmo cum *Gloria Patri* absoluto, repetit Antiphonam: *Introibo ad altare Dei*; ac responso a Ministro: *Ad Deum qui laetificat iuventutem meam*, sinistra infra pectus posita, se signat dicens dum tangit frontem: *Adiutorium*; pectus: *nostrum*; humerum sinistrum: *in nomine*; et dexterum: *Domini* (quod semper in similibus servabit). Tum iterum iungit manus ante pectus, cumque Minister responderit: *Qui fecit caelum et terram*, se profunde inclinans recitat: *Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semper Virgini, beato Michaëli Archangelo, beato Ioanni Baptistae, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis, et vobis, fratres: quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere: mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaëlem Archangelum, beatum Ioannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et vos, fratres, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.*

Ad verba: *Vobis, fratres*, et: *Vos, fratres*, Celebrans minime se vertit ad Ministrum; ad verba autem: *Mea culpa* etc., sinistra infra pectus posita, ter dextera pectus percutit. Post Confessionem permanet inclinatus donec Minister dixerit: *Misereatur tui* etc., ipse vero responderit: *Amen*; tum se erigit, ac perget manus ante pectus

iunctas tenens. Peracta porro a Ministro Confessione, Sacerdos adhuc erectus subdit, quin se ad Ministrum convertat: *Misereatur vestri omnipotens Deus, et, dimissis peccatis vestris, perducatur ad vitam aeternam.*

Responso *Amen* a Ministro, signans se, uti alias, subiicit: *Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus.*

Iterum responso *Amen* a Ministro, Celebrans stans, mediocriter inclinatus, dicit: *Deus, tu conversus vivificabis nos.*

Minist. *Et plebs tua laetabitur in te.*

Cel. *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.*

Min. *Et salutare tuum da nobis.*

Cel. *Domine, exaudi orationem meam.*

Min. *Et clamor meus ad te veniat.*

Cel. *Dominus vobiscum.*

Min. *Et cum spiritu tuo.*

Celebrans cum dicit: *Oremus*, aperit et iungit manus.

1353. — Psalmus 42: *Iudica* etc. cum *Gloria* etc. omittitur in Missis de Tempore a Dominica Passionis inclusive usque ad Sabbatum sanctum exclusive, in quibus, semel tantum dicta Antiphona: *Introibo ad Altare Dei* cum Ministro ut supra, Celebrans statim subiungit Versiculum: *Adiutorium nostrum* etc.

ARTICULUS V.

De Introitu, Kyrie eleison, et Gloria in excelsis.

1354. — Dicto *Oremus*, Celebrans se erigit, iunctisque manibus, ad medium Altaris ascendit, dicens interim secreto: *Aufer a nobis, quaesumus, Domine, iniquitates nostras: ut ad Sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. Amen.* Ibi post hanc Orationem, mediocriter inclinatus, iunctas ponit manus super Altare ita ut digiti parvi dumtaxat frontem seu medium anterioris partis mensae Altaris tangant, residuo manuum inter Altare et se retento, pollice dextero super sinistrum in modum Crucis posito, et secreto pronuntiat: *Oramus te, Domine, per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiae hic sunt, et omnium Sanctorum: ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.*

Cum vero dicit: *Quorum reliquiae hic sunt*, extensis manibus aequaliter hinc inde super Altare, sed extra corporale, illud in medio osculatur.

1355. — Altari deosculato, dum prosequitur Orationem: *et omnium Sanctorum* etc. se erigit, iunctisque manibus, adit cornu Epistolae, ubi ad Altare seu Missale conversus, ac se signans ut alias, elata voce, legit *Introitum* quem prosequitur manibus iunctis, et ad: *Gloria Patri* etc., Cruci caput flectit, ac repetit *Introitum* usque ad Psalmum.

1356. — Si Iesu nomen in *Introitu* occurrat, Celebrans Cruci se inclinatur, si Mariae vel Sanctorum, de quibus eo die agitur, nomina occurrant, ad Missale se inclinatur; has inclinationes omittit, si illa nomina inveniuntur in primis verbis *Introitus* sub quibus Crux facienda est, quae semper, erecto capite, fieri debet.

1357. — Repetito *Introitu*, iunctis manibus ante pectus graditur ad medium Altaris, ad quod ita conversus, et non antea, profert clara voce ter *Kyrie, eleison*, ter *Christe, eleison* et iterum ter *Kyrie, eleison* alternatim cum Ministro.

Celebr. *Kyrie, eleison.*

Min. *Kyrie, eleison.*

Celebr. *Kyrie, eleison.*

Min. *Christe, eleison.*

Celebr. *Christe, eleison.*

Min. *Christe, eleison.*

Celebr. *Kyrie, eleison.*

Min. *Kyrie, eleison.*

Celebr. *Kyrie, eleison.*

Si neque Minister neque ullus ex adstantibus Celebranti respondeat, ipse solus novies iterat.

1358. — Quibus absolutis, ibidem consistens, voce praedicta, recitat (si dicendum sit): *Gloria in excelsis Deo. Et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus, Rex caelestis, Deus Pater omnipotens. Domine Fili unigenite, Iesu Christe. Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus Sanctus. Tu solus Dominus. Tu solus Altissimus, Iesu Christe. Cum Sancto Spiritu, in gloria Dei Patris. Amen.*

Cum Celebrans dicit: *Gloria in excelsis*, manus extendit et elevat usque ad humeros, absque ulla capitis et oculorum elevatione. Cum

dicit: *Deo* palmas iungit, et Cruci caput inclinatur; dein capite erecto, sic Hymnum prosequitur et absolvit, praestans Cruci inclinationem simplicem ad: *Adoramus te; Gratias agimus tibi; Iesu Christe; Suscipe deprecationem nostram;* et iterum ad: *Iesu Christe;* dum vero profert: *Cum Sancto Spiritu*, sinistra infra pectus posita, dextera se signat, ita tamen ut ad verba: *Cum Sancto* frontem tangat; ad: *Spiritu* pectus; ad: *in gloria* humerum sinistrum; ad: *Dei* dexterum; proferens: *Patris. Amen*, manus non iungat (D. 2682 ad 29); sed eas super Altare, extra corporale, extensas ponat hinc inde et illud osculatur.

1359. — Tum erectus, manibus ante pectus iunctis, oculisque ad terram demissis, per suam dexteram vertit se ad populum, ita ut facies populum et dorsum Altaris medium directe respiciat (quod semper in similibus servandum est); ibique stans clare pronunciat: *Dominus vobiscum*, manus interim ante pectus extendens et iungens.

Si Hymnus *Gloria in excelsis* dicendus non sit, post ultimum *Kyrie*, statim deosculatur Altare in medio, et dicit: *Dominus vobiscum.*

Si Altare constructum ita sit ut Celebrans semper populum respiceret, tunc, cum *Dominus vobiscum* dicit, non se ad populum vertit.

ARTICULUS VI.

De Orationibus.

1360. — Dicto *Dominus vobiscum*, manibus ita compositis revertitur per eandem viam ad Missale; ubi illas extendens et iungens ante pectus, simulque caput Cruci inclinans, dicit: *Oremus;* tum extendens manus ante pectus ita ut palma unius respiciat alteram, et digitis simul iunctis, quorum summitas humerorum altitudinem non excedat, Orationem legit.

Cum Celebrans profert: *Per Dominum nostrum* etc., iungit manus, easque sic retinet usque ad finem, caput flectens Cruci ad verba: *Qui tecum, Iesum Christum.* Si vero Oratio concludatur per verba: *Qui tecum, Qui vivis*, manus iunguntur ad: *In unitate*, sine ulla capitis inclinatione. Si plures Orationes sint dicendae, priori tantum ac secundae praemittitur: *Oremus*, et prima dumtaxat et ultima concluditur, eodem ritu servato in voce, in extensione manuum, in inclinatione capitis, qui supra de Oratione prima praescribitur.

1361. — Cum in Oratione nominatur nomen Iesu, caput versus Crucem Celebrans inclinet. Quod etiam faciat versus Missale quando legitur nomen Beatae Mariae vel Sanctorum de quibus dicitur Missa vel fit Commemoratio et in Oratione pro Papa quando nominatur.

Si vero in loco principali Altaris habetur Statua vel Imago ipsius B. Mariae V. aut Sancti de quo dicitur Missa vel fit Commemoratio, tunc non ad Missale sed versus Imaginem vel Statuam caput inclinatur (D. 3767 ad 25).

1362. — Ad litteram *N* in Orationibus de communi profertur nomen Sancti de quo agitur Festum vel fit Commemoratio.

1363. — Ad litteram *N* in Oratione: *A cunctis* etc., exprimitur nomen Titularis Ecclesiae vel Oratorii saltem solemniter benedicti (DD. 2822 ad 3; 4025 ad 5), dummodo Titulus non sit Persona divina vel Mysterium Domini, aut de ipso Titulo non dicatur Missa, aut facta non sit Commemoratio, aut illius nomen non sit in eadem Oratione: *A cunctis* etc. expressum; ac nomina Sanctorum Angelorum et Sancti Ioannis Baptistae, si Titulares fuerint, praeponuntur nomini Sancti Ioseph. In hisce autem omnibus casibus omittuntur verba: *atque beato N*. Si vero Missa vel Commemoratio fuerit de Sancto Ioseph aut de Sanctis Apostolis Petro et Paulo, in Oratione omittuntur verba quae eos respiciunt.

Si duos vel plures habuerit Ecclesia, vel Oratorium saltem solemniter benedictum, Titulares aequae principales, eorum omnium nomina exprimi debent, et in his nominandis Litaniarum ordo servetur.

1364. — Regulares, non omisso tamen (si nominari queat) nomine Sancti Titularis, et servato dignitatis ordine in Rubricis praescripto, proprium Sanctum Fundatorem nominare possunt.

Equidem huiusmodi privilegium, concessum seu confirmatum per Decretum generale S. R. C. 2 Decembris 1891, n. 3758, non est locale, nempe pro Regularium Ecclesiis, sed est personale videlicet pro ipsis Regularibus Missam celebrantibus; ideoque personas Regularium sequitur ubique celebrantes.

1365. — Diebus ritus *Simplicis*, exceptis Feriis privilegiatis (nempe Feria IV Cinerum, Feriis II, III et IV Maioris Hebdomadae) in Missis privatis, vel de occurrenti Officio vel ex Votivis pro re non gravi electis, plures Orationes ad Celebrantis libitum dici possunt, et in iis, extra Tempus Paschale, etiam Oratio pro Defunctis apponi, dummodo Orationes huiusmodi post Orationes a Rubricis

praescriptas et Collectas ab Ordinario imperatas locum habeant, et cum eis septenarium numerum non excedant, atque *imparem* numerum retineant vel inducant, et Oratio pro Defunctis *penultimum* semper locum inter alias occupet.

1366. — Quando praescribitur in Missa *tertia Oratio ad libitum*, non quidem intelligitur illam pro libito poni aut omitti posse, sed oportere ut una eligatur prout magis placuerit, et adiungatur ex approbatis, etiam de Sanctis vel Mysteriis (quorum Missa votiva permittitur) dummodo expressa eorum mentio in praecedenti Oratione facta non fuerit. *Orationi* tamen *ad libitum* substitui potest *Collecta* ab Ordinario *imperata*.

1367. — In anniversario propriae Ordinationis sacerdotalis, a die fixa mensis computando, si Vigilia Nativitatis vel Pentecostes, Dominica Palmarum aut Duplex I classis non occurrerit, secus autem in proximiori sequenti die similiter non impedita, cuivis Sacerdoti licet, extra Missas defunctorum et post Orationes a Rubricis praescriptas, addere Orationem *pro seipso Sacerdote*, ut inter Orationes diversas.

1368. — *Collecta imperata*, vocatur Oratio quae, ex praecepto Ordinarii, pro causa speciali in Missa addenda est, etiam in Ecclesiis Regularium, aliisque Ecclesiis exemptis (D. 2613 ad 1).

Collectae ab Ordinario imperatae numquam plures sint quam duae neque ponantur sub unica conclusione cum Oratione Missae, sed dicendae sunt *ultimo loco* post Orationes a Rubricis praescriptas, vel *loco Orationis ad libitum* pro diversitate temporum assignatae (v. n. 1366). Et, si iussa fuerit Oratio contra persecutores Ecclesiae vel pro Papa, in diebus in quibus alterutra a Rubricis praescribitur, unica Oratione utrumque adimpletur praeceptum.

Si tres Orationes a Rubrica praescriptae sunt et duae *Collectae* imperatae occurrunt, ambae dicendae sunt (D. 4288 ad 5). Orationes seu *Collectae* in Missa dici debent ut iacent, nec umquam licitum est Celebranti ex propria aut fidelium devotione addere, omittere aut variare Orationes (DD. 197; 1422; 1740).

1369. — Ordinarius praescribere potest *Collectas*: I. *pro re non gravi*; II. *pro re gravi simpliciter*, absque ulla mentione duplicium primae classis; III. *pro re gravi* etiam in duplicibus primae classis.

I. - *Collectae* ab Ordinario imperatae *pro re non gravi*, prohibentur:

1. in duplicibus I et II classis;

2. in Dominicis I et II classis;
3. in Vigiliis Nativitatis, Epiphaniae et Pentecostes;
4. in Feria IV Cinerum, Feriis II, III et IV Maioris Hebdomadae;
5. Infra Octavas Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi et Sacratiss. Cordis Iesu, aliasque Octavas alicubi privilegiatas;
6. in Missis votivis cantatis pro re gravi vel celebratis ad instar earundem Missarum pro re gravi;
7. quoties in Missa, iuxta Rubricas, iam quatuor Orationes dictae sint;
8. quando in Missis privatis, post tres Orationes eo die a Rubrica praescriptas, additur Oratio SS. Sacramenti publice expositi vel Oratio pro Papa aut Episcopo in respectivis anniversariis, electionis seu consecrationis aut coronationis (D. 4294 ad 3);
9. si Collectae imperatae sint *pro defunctis*, prohibentur in omnibus Missis quae de Officio duplici vel semiduplici aut cum alterutrius Commemoratione celebrentur; in Missis Festorum simplicium et ferialibus tempore paschali; atque in Missis de Requie unam tantum Orationem admittentibus.

II. - Collectae ab Ordinario simpliciter imperatae *pro re gravi*, omittuntur tantum:

1. in duplicibus I classis;
2. in Dominica Palmarum;
3. in Vigiliis Nativitatis et Pentecostes.

III. - Collectae ab Ordinario imperatae *pro re gravi* etiam in duplicibus I classis, omittuntur tantum:

1. in Festis Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes (non autem Feriis II et III Paschatis et Pentecostes), Ssmae Trinitatis, Ssmi Corporis Christi, Sacratiss. Cordis Iesu, et D. N. I. C. Regis;
2. in ultimo triduo Maioris Hebdomadae.

1370. — Quando legendae sunt plures Orationes cum Prophetiis, ut in Missa de Feria Quarta ac Sabbato Quatuor Temporum, itemque de Feria Quarta ante Dominicam Passionis et Hebdomadae maioris, Celebrans dicto Introitu, procedit ad medium Altaris, ibique profert: *Kyrie, eleison* etc., ut alias. Post ultimum *Kyrie* revertitur ad cornu Epistolae; ubi stans ante Missale dicit: *Oremus*, manus interim ante pectus expandens, iungensque, et caput Cruci

inclinans; mox palmis super Altare ita extensis, ut Missale in medio sit, unicum flectens genu pronunciat: *Flectamus genua*; ac Ministro respondente *Levate*, confestim surgit; tum manibus de Altari erectis, extensisque ante pectus ut alias, Orationem recitat, eamque concludit sicut supra innuimus. In Quatuor Temporibus Pentecostes, post *Kyrie, eleison* etc. dicitur *Oremus* tantum, sine *Flectamus genua*, et illico subiungitur Oratio. Absoluta Oratione, legit Celebrans Prophetiam seu Lectionem et Versus sequentes, manibus super Missale vel Altare positus, ut infra de Epistola dicitur. Eodem modo sequentes Orationes et Lectiones dicendae sunt. Completis omnibus Orationibus ac Lectionibus extraordinariis, se denuo infert, manibus iunctis, ad medium Altaris; ibique recitat, si dicendum sit, *Gloria in excelsis* etc., secus statim osculatur Altare, profert: *Dominus vobiscum*, ac, modo consueto, prosequitur Orationes.

ARTICULUS VII.

De Epistola, Graduali et aliis usque ad Offertorium.

1371. — Orationibus absolutis, Celebrans demittit super Missale aut Altare manus, ita ut palmae Missale tangant, vel etiam, si placuerit, teneant, ac voce elata, legit Epistolam cum debitis inclinationibus ad Crucem vel ad Missale si in ea occurrant nomina Iesu, Mariae vel Sanctorum de quibus agitur Festum vel Commemoratio fit; ad nomina vero Sanctorum quae in titulo Epistolae reperiuntur caput non est inclinandum (D. 3767 ad 25).

1372. — Completa lectione Epistolae, Celebrans manus eadem, ut supra, ratione adhuc tenens, legit *Graduale* cum respectivo Versu, duplex *Alleluia*, aliumque Versum cum alio *Alleluia* in fine. Id regulariter per annum praeter Septuagesimam et tempus paschale.

1373. — Post Septuagesimam legitur *Graduale* usque ad: *Alleluia* exclusive; duplex enim *Alleluia* cum suo Versu alioque *Alleluia* in fine omittitur, horumque loco dicitur *Tractus*.

Tempore paschali *Graduale* per integrum omittitur, ac pro eo duo dicuntur *Alleluia*, exinde duo Versus quorum uterque terminatur etiam cum *Alleluia*.

1374. — Si Missa dicatur votiva alicuius Sancti quae non habeat *Graduale* aut *Tractum* aut Versus de Tempore, haec de Comuni sumenda sunt.

1375. — Si Celebrans dum legit *Epistolam* vel quid aliud quaedam ipsi verba occurrant in quibus genuflectendum est, tunc manibus hinc inde super Altare positus dexterum genu tantummodo flectit et caput tenet erectum.

1376. — Epistola et reliquis absolutis iuxta anni tempora, Missale ad cornu Evangelii transfertur.

Si ipse Celebrans Missale deferat, hoc facit antequam ad medium Altaris sese inferat, atque dum transit ante medium non genuflectit, sed caput Cruci inclinatur (D. 3975, II ad 1; et Rit. serv., tit. VI, n. 1).

Missale vero non quidem ita statuit uti erat in cornu Epistolae, sed illud a tergo obvertit ad ipsum cornu Altaris, adeo ut ipse Evangelium legens, et ante librum consistens, mediam veluti vultus partem ad populum conversam habeat.

1377. — Celebrans post *Graduale* ac reliqua, sive Minister Missale deferat ad cornu Evangelii, sive, deficiente Ministro, ipse debuerit transferre, accedit aut redit, iunctis ante pectus manibus, ad medium Altaris; ibique stans elevat ad Crucem oculos (D. 2960 ad 3), statimque demittit, tum profunde inclinatus, quin iunctis manibus Altare tangat, submissa voce, dicit: *Munda cor meum, ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiae Prophetae calculo mundasti ignito: ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum. Amen. Iube, Domine, benedicere. Dominus sit in corde meo, et in labiis meis; ut digne et competenter annuntiem Evangelium suum. Amen.*

1378. — His absolutis precibus, Celebrans se erigit, atque confert ad cornu Evangelii; ubi conversus ad Missale profert, elata voce: *Dominus vobiscum*; deinde manus disiungens, ponit sinistram super Missale (D. 2572 ad 11), et pollice dextero, quem dimovet a reliquis digitis extensis iunctisque invicem, palma ad se conversa primo signat librum non super Crucem, nec super verba: *Initium; Sequentia; In illo tempore* et similia, sed ubi est textus Evangelii (Caer. Episc., l. II, cap. VIII, n. 46) proferens vocabulum: *Initium* aut *Sequentia*; tum, sinistra infra pectus posita, seipsum eodem pollice signat in fronte, dum profertur: *Sancti Evangelii*; in ore, nihil dicens; in pectore dum pronuntiatur: *secundum* etc. Responso per Ministrum *Gloria tibi, Domine*, Celebrans, iunctis iterum manibus, legit Evangelium cum debitis inclinationibus ad Missale si in eo occurrant nomina Iesu, Mariae vel Sanctorum de quibus agitur

Festum vel Commemoratio fit; Celebrans vero caput non inclinatur si Festum vel Commemoratio fit Evangelistae cuius nomen in titulo legitur (D. 3767 ad 25).

1379. — Evangelii lectione absoluta, et responso per Ministrum *Laus tibi, Christe*, Celebrans, utraque manu, Missale parumper levat, seque aliquantulum inclinans illud osculatur eodem in loco ubi antea Crucem signavit, submissa voce, interim dicens: *Per evangelica dicta deleantur nostra delicta.*

Diligentiores dicunt prius: *Per evangelica dicta* deinde osculantur librum, postea recitant: *deleantur nostra delicta.*

1380. — Deposito Missali super legile, quod mox admovet versus medium Altaris mensae ut facilius legere possit, iterum iunctis ante pectus manibus, adit medium Altaris; ubi stans, elata voce, recitat (si dicendum sit Symbolum) *Credo in unum Deum. Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de caelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine: Et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis: sub Pontio Pilato passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in caelum: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos, et mortuos: cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum, et vivificantem: qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre, et Filio simul adoratur, et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.*

Cum Celebrans dicit: *Credo* manus extendit ac tollit usque ad humeros (v. n. 1336, VI); dum pronunciat: *in unum Deum*, iungit manus et caput Cruci inclinatur; tum, capite erecto, et manibus ut antea iunctis, illud prosequitur usque ad finem, faciens inclinationem simplicem ad: *Iesum Christum*, et: *Simul adoratur.*

Dicens: *Et incarnatus est* disiungit manus et hinc inde super Altaris mensam eas ponit; et lente dexterum genu flectit (D. 2587 ad 9) proferens reliqua verba: *de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et homo factus est*, absque ulla capitis inclinatione. Cum vero Celebrans

dicit: *Et vitam venturi saeculi. Amen*, sinistra infra pectus demissa, se interim signat dextera ita tamen ut ad verbum *Et*, frontem tangat; ad: *vitam*, pectus; ad: *venturi*, sinistrum humerum; ad: *saeculi*, dexterum; denique, *Amen* pronuntians manus non iungit (D. 2682 ad 29) sed hinc inde super Altare ponit.

ARTICULUS VIII.

De Offertorio et aliis usque ad Canonem.

1381. — Recitato Symbolo, vel post Evangelium, si non est dicendum Symbolum, Celebrans Altare osculatur in medio, extensis utrinque manibus extra corporale; tum, hisce iunctis, vertit se ad populum, easque expandens, elata voce, pronunciat: *Dominus vobiscum*; iunctisque denuo palmis, volvens per latus suum sinistrum, sistit iterum ad medium Altaris; ubi rursus extendens, iungensque manus, simulque caput Cruci inclinans dicit *Oremus*; dehinc, manibus iunctis et elata voce, legit *Offertorium*, facie aliquantulum ad librum conversa; quod semper observandum est in similibus.

1382. — Dicto *Offertorio*, utraque manu velum per anteriores extremitates accipit, elevat, a posteriori parte detrahit et extra corporale plicat, aut plicandum Ministro porrigit. Plicatum velum super mensam in cornu Epistolae locabitur prope corporale, ut palla quae super illud ponitur, facilius postea accipiatur ne tamen cera defluente inficiatur. Post haec, sinistra super Altare posita, dextera Calicem apprehendit ad nodum, illumque extra corporale ad cornu Epistolae statuit, inde dextera pallam detrahit pollicem inter et indicem et eam ponit super Calicis velum.

Deinde Patenam cum Hostia accipit inter pollicem et digitos dexterae, eamque allatam ad medium Altaris ante pectus accipit etiam sinistra, ita quidem ut Patenam hinc inde sustineat utroque pollice et indice extensis circa orbem, nec non reliquis digitis subter Patenam iunctis. Sic porro Patenam sustinens ante pectus, oculos ad Crucem elevat, statimque demittit, ac dicit submissa voce: *Suscipe, sancte Pater, omnipotens aeternae Deus, hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo vivo, et vero, pro innumerabilibus peccatis, et offensionibus, et negligentis meis, et pro omnibus circumstantibus, sed et pro omnibus fidelibus christianis vivis atque defunctis: ut mihi, et illis proficiat ad salutem in vitam aeternam. Amen.*

Oratione completa, non prius, Patenam quam adhuc intra manus tenet, ad unius palmi mensuram a corporali demittit et efformat cum ipsa signum Crucis unius quoque circiter palmi per binas aequales lineas, ab Altari ad se, a sinistra ad dexteram productum: tum paulum remotiorem Patenae extremitatem inclinans, Hostiam collocat in media parte corporalis ante se, ubi praefatum Crucis signum efformatum fuit. Postmodum, sinistra extra corporale posita, dextera Patenam recondit aliquantulum subtus corporale ad cornu Epistolae; ita tamen Patena distet a Celebrante ut non impediatur quominus extensas ponat manus super mensam, cum opus fuerit, quin illam, si fieri possit, tangat.

1383. — Cum consecrandae sunt Particulae pro Communione fidelium, si paucae fuerint, eas super Patenam locare potest; oblatione autem facta, eas super corporale deponet a parte Evangelii, ut parum ab Hostia maiori distent. Si vero notabilis earum sit numerus clauduntur in Pyxide, et antequam Patenam Celebrans detrahat a Calice, eandem Pyxidem dextera sumit, deponit super corporale in anteriori parte, aliquantulum e cornu Epistolae et detegit. Post communem autem oblationem, eam cooperit, et retro Calicem, sed intra corporale, collocat: idem fit si agatur de Capsula, quae maiorem Hostiam pro expositione includit. Capsula, duplici crystallo munita, continens Hostiam consecrandam, est aperienda ante oblationem.

1384. — Collocata Patena subtus corporale, Celebrans, iunctis manibus, ad cornu Epistolae accedit, ac sinistra accipit Calicem ad nodum, in quo tantillum elevato et inclinato, dextera, extensis iunctisque digitis, premit medium purificatorii usque ad fundum, pollice tamen alterutrum purificatorii pendentis limbum retinet ad exteriorem partem cuppae, ac purificatorium semel et iterum circumducens per Calicem, hunc penitus extergit. Quo facto, Calicem Altari superpositum accipit ad nodum sinistra (e cuius pollice purificatorium pendebit ad ipsius Calicis pedem), dextera vero accipit ampullam vini, naturalis de genimine vitis et non corrupti (C. I. C. 815, § 2), de manu Ministri; vinumque infundit in Calicem ea quantitate quae, unico haustu, facile sumi queat. Ampulla hac Ministro reddita, retinet ut ante Calicem sinistra; dextera signum Crucis efformat super ampullam aquae, submissa voce, proferens: *Deus, qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter condidisti, et mirabilius reformasti: da nobis per huius aquae et vini mysterium, eius divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est*

particeps, Iesus Christus Filius tuus Dominus noster: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus: per omnia saecula saeculorum. Amen; et inde in Calicem aliquas aquae guttas infundit dum pronuntiat: *Per huius aquae et vini mysterium.* Cum dicit: *Iesus Christus,* caput ad Crucem flectit. Si intra cuppam hinc et illinc guttae aliquot aquae aut vini adhaeserint eas abstergit (D. 2572 ad 14), dexterum indicem purificatorio obvolutum ibi circum agendo.

Dein, sinistra manu, Calicem ad corporale appropinquat, et Orationem explens, e digito purificatorium solvens, ipse in medium Altaris pergit ubi purificatorium, dextera manu, collocat super reliquum Patenae quod extra corporale remansit.

1385. — Celebrans, post praefatam Orationem expletam, sinistra super Altare extra corporale posita, dextera capit Calicem ad nodum, dein hunc allatum ad medium Altaris etiam sinistra sic accipit ut pollex stet supra pedem, reliqui digiti infra: tum vero ita Calicem utraque manu tenens, recta linea elevat usque ad faciem, sic tamen ut cuppa Calicis frontem non excedat, intentisque per totam Orationem ad Crucem oculis, memoriter, et submissa voce, pronuntiat: *Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam: ut in conspectu divinae maiestatis tuae, pro nostra, et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.* Qua Oratione absoluta, Calicem demittit ad unius palmi distantiam ab Altari, ubi cum ipso signum Crucis perficit super corporale post Hostiam; ibique illum collocat sic ut aliquot digitorum spatio ab Hostia distet; dextera inter pollicem et indicem accipit pallam et illum cooperit.

1386. — Positis exinde manibus iunctis super Altare, more solito, aliquantulum inclinatus profert, submissa voce: *In spiritu humilitatis, et in animo contrito suscipiamur a te, Domine: et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus.* Tum erectus oculos tollit ad Crucem, ac simul expandens manus et elevans ac statim iungens ante pectus, oculis demissis, dicit itidem submissa voce: *Veni, sanctificator omnipotens aeternae Deus; et benedic hoc sacrificium, tuo sancto nomini praeparatum.* Ad verba: *Et benedic,* sinistra posita extra corporale, dextera recta etiam in linea transversa (D. 1275 ad 4) signum Crucis producit super Hostiam simul et Calicem.

1387. — Signo Crucis peracto, manus de more iungit; ad latus pergit Epistolae, ubi stans, sinistro latere obverso Altari, abluit,

Ministro aquam infundente, extremitatem utriusque pollicis et indicis, ac interim secreto recitat Psalmum XXV, 6-12:

Lavabo inter innocentes manus meas: et circumdabo altare tuum, Domine:

Ut audiam vocem laudis, et enarrem universa mirabilia tua.

Domine, dilexi decorem domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae.

Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam:

In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me, et miserere mei.

Pes meus stetit in directo: in ecclesiis benedicam te, Domine.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in saecula saeculorum. Amen.

Lotus manus linteo abstergit sese ad cornu Altaris convertens, ibique Psalmum prosequitur, in cuius fine ad: *Gloria Patri* etc. Cruci caput inclinat.

In Missis de Tempore, a Dominica Passionis inclusive usque ad Sabbatum Sanctum exclusive, in fine praefati Psalmi omittitur *Gloria Patri* etc.

1388. — Postmodum, iunctis manibus ante pectus, se recipit ad medium Altaris, ibique stans, oculos ad Crucem erigit statimque demittit, ac, positis manibus ita iunctis super Altare, paululum inclinatus dicit secreto: *Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam passionis, resurrectionis, et ascensionis Iesu Christi Domini nostri: et in honorem beatae Mariae semper Virginis, et beati Ioannis Baptistae, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et istorum, et omnium Sanctorum: ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem: et illi pro nobis intercedere dignentur in caelis, quorum memoriam agimus in terris. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.*

Dehinc, manibus hinc inde super Altare extensis, illud in medio osculatur. Erectus iungit manus, et, oculis ad terram demissis, per suam dexteram vertit se ad populum, erga quem extendens, iungensque manus, profert haec duo verba: *Orate, fratres;* quibus prolatis, volvit se iterum, manibus iunctis, ad medium Altaris per cornu Evangelii, prosequens, submissa voce: *ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem, ac responso*

a Ministro vel a circumstantibus: *Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis* etc. (alioquin ipse Celebrans respondeat: *Suscipiat Dominus sacrificium de manibus meis ad laudem, et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram totiusque Ecclesiae suae sanctae*) submissa voce subiungit: *Amen*.

Tum in medio consistens extensisque manibus legit, quin praemittat: *Oremus*, Orationem vel Orationes Secretas, primam tantum ac postremam, si plures sint dicendae, concludens; quo in casu ad primam conclusionem sibi ipse respondet: *Amen*. Dum dicit: *Per Dominum*, iungit manus, et ad: *Iesum Christum*, Cruci caput inflectit.

1389. — Ad conclusionem ultimae Secretae, nimirum ad verba: *Per omnia saecula saeculorum* exclusive, demissa dextera super Altare, sinistra capit atque volvitur Praefationis signaculum; si tamen opus fuerit, dextera quoque utatur; tum porro utraque manu de more extra corporale posita, in medio stans, elata voce, Praefationem recitat. Ad verba: *Sursum corda*, extensas hinc inde manus extollit usque ad pectus; ad verba: *Gratias agamus Domino*, illas ante pectus iungit; ad verba: *Deo nostro*, oculos elevat, statimque caput Cruci inclinatur. Responso a Ministro: *Dignum et iustum est*, manibus rursus ante pectus extensis, Praefationem prosequitur usque ad *Sanctus* exclusive. Quoties autem Celebrans in Praefatione nominat *Iesum*, se ad Crucem inclinatur; quando vero *Mariam*, ad Missale; pariter Celebrans se ad Missale inclinatur cum nominat S. Ioseph in eius Festis, nec non nomen Sancti cuius Festum celebratur, si propria habeat Praefatio, et per eorum Octavas.

Ad *Sanctus* iungit manus (quin iis Altare tangat), et paululum inclinatus profert: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt caeli, et terra gloria tua. Hosanna in excelsis. Cum dicit Benedictus qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis*, se erigit, et sinistra infra pectus demissa, dextera se signat, sequenti ratione verba distribuens: ad: *Benedictus*, frontem signat; ad: *qui venit*, pectus; dicens: *in nomine Domini*, humerum sinistrum; ad: *Hosanna in excelsis*, dexterum, quin in fine manus coniungat (D. 2682 ad 29).

ARTICULUS IX.

De Canone Missae usque ad Consecrationem.

1390. — Post Praefationem, Celebrans, posita de more dextera super Altare, sinistra primum aperit folium Canonis; tum, stans similiter ante medium Altaris, coniungit manus ante pectus, ac

statim extensas aliquantulum elevat; pariter elevat oculos ad Crucem statimque devote inclinatur; manus postea iterum coniunctas ante pectus, deponit, more solito, super oram Altaris, dein profunde inclinatur (D. 2572 ad 19), incipit, submissa voce: *Te igitur, clementissime Pater, per Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, supplices rogamus, ac petimus, uti accepta habeas, et benedicas, haec ☩ dona, haec ☩ munera, haec ☩ sancta sacrificia illibata.*

Ad verba: *Uti accepta habeas et benedicas*, extensis utrinque palmis extra corporale, in medio osculatur Altare, se erigit, iungitque manus, id advertens ut tria haec fiant in eorum verborum prolatione. Tum, posita sinistra extra corporale, dextera ter signat super Hostiam simul et Calicem, in prima Cruce dicens: *Haec ☩ dona*; in altera: *Haec ☩ munera*; in tertia: *Haec ☩ sancta sacrificia illibata*. Deinde, manibus denuo ante pectus extensis, prosequitur, submissa voce: *In primis, quae tibi offerimus* etc. Pronuncians Pontificis nomen, ad Missale flectit caput. Sede Apostolica vacante, illa verba omittuntur.

Post: *Antistite nostro* nomen exprimitur Episcopi Dioecesis in qua Sacrum facit etiam ab exemptis (DD. 924 ad 6; 1827 ad 1) dummodo possessionem Ecclesiae suae per seipsum vel per Procuratorem ceperit (D. 3500 ad 2).

Si nesciat vel obliviscatur Episcopi nomen, Celebrans dicit tantum: *et Antistite nostro*.

Si vero Episcopus Ordinarius illius loci in quo Missa celebratur sit vita functus, praedicta verba omittuntur; quae etiam ab iis qui Romae vel in Ecclesia *nullius* celebrant, omittuntur.

Nomen Vicarii Apostolici, etsi dignitate episcopali insigniti, non debet memorari in Canone sine Apostolico Indulto (D. 4288 ad 2).

« Ad mentem canonis 315 C. I. C. probabiliter in Canone Missae exprimendum est nomen Administratoris Apostolici permanentiter constituti vel Episcopi qui ad aliam sedem translatus, prioris retinet administrationem temporariam » (*Ephem. Liturgicae*, ann. 1924, pag. 370).

1391. — Cum Celebrans dicit: *Memento, Domine, famulorum famularumque*, manus lente elevat ita ut eas iungat dicens: *tuarum*; mox sic elevatas tenet ad summitatem pectoris: et, aliquantulum, demisso capite, mente vel submissa voce, commemorationem facit vivorum Christifidelium ad suam voluntatem.

Potest etiam Celebrans, si pro pluribus orare intendat, ante Missam sibi illos animo singillatim proponere tam vivos quam defunctos;

in ipsa autem Missa, suis respective locis, generatim et, unico veluti contextu, eorum omnium reminisci.

1392. — Post vivorum commemorationem, demissis et expansis ante pectus manibus, proseguitur: *Et omnium circumstantium* etc., nec non stans ita compositus recitat: *Communicantes* etc.

Ad *Communicantes*, proferens nomen Iesu Christi, caput Cruci inflectit; ad nomen vero Mariae et Sanctorum, quorum vel Missa celebratur, vel peculiaris fit Commemoratio, ratione Vigiliae, Festi vel Octavae inclinatur ad Missale (DD. 2572 ad 20; 4281 ad 2) nisi in loco principali Altaris habeatur Statua vel Imago B. Mariae V. vel Sancti cuius nomen occurrit, quo in casu ad Statuam aut Imaginem caput inclinatur (D. 3767 ad 25); infra Octavam alicuius Sancti, etiam eiusdem Commemoratio sit per accidens omittenda, inclinatio ad illius nomen adhuc facienda est (D. 4116 ad 1). Ad *Per eundem Christum* etc. manus coniungit.

1393. — Cum incipit dicere: *Hanc igitur* etc. ambas ita expandit manus super Oblata, ut palmae sistant apertae supra Calicem simul et Hostiam, ac digitorum extremitas sese porrigat ad medium circiter pallae, quin eam tangat, iuncto utroque indice, ac dextero pollice super sinistram instar Crucis inflexo supra manus (D. 1275 ad 5). Cavendum ne cubiti in altum elevati teneantur sed corporis adiacentes. Ad verba: *Per Christum Dominum nostrum. Amen*, iungit seu claudit manus, illasque retrahit ad se ante pectus, atque sic iunctis proseguitur: *Quam oblationem tu, Deus, in omnibus, quaesumus*; tum vero, demissa sinistra super Altare, ter dextera signat super Hostiam simul et Calicem, ad primam Crucem dicens: *Bene ☩ dictam*; ad secundam: *Adscri ☩ ptam*; ad tertiam: *Ra ☩ tam*; dehinc prompte subiiciens: *Rationabilem, acceptabilemque facere digneris*, lente dexteram retrahit ad pectus, dicens: *Ut nobis Cor ☩ pus*, semel signat super Hostiam tantum; dicens: *Et San ☩ guis*, semel super Calicem tantum; postmodum, elevatis manibus atque iterum ante pectus coniunctis, proseguitur: *Fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Iesu Christi*, Cruci inclinans caput dum profert: *Iesu Christi*.

1394. — Mox ad verba: *Qui pridie quam pateretur*, extremitatem utriusque pollicis et indicis, si opus sit, ad corporalis oram hinc inde leviter extergit; dehinc dum pronunciat: *Accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas*, e sinistro latere pauxillum premit indice sinistrae manus Hostiam, ut altera ex parte elevatam pollicem inter et indicem dexterum commodius apprehendat (quod iugiter est

observandum quoties Hostia prae manibus sumenda est); sic vero apprehensa adiungit etiam pollicem et indicem sinistram, reliquis digitis utriusque manus infra Hostiam extensis et iunctis, illamque ad inferiorem extremitatem tenet ambabus manibus a corporali aliquantulum erectam; tum vero ad verba: *Et elevatis oculis in caelum ad te Deum Patrem suum omnipotentem*, Crucem suspicit, et illico demittit oculos; dicens autem: *Tibi gratias agens* caput inclinatur. Tum Hostiam pollice dumtaxat et indice sinistro tenens, super ipsam signum Crucis dextera efformat, dicens: *Bene ☩ dixit*; ac subinde Hostiam capit, uti prius, etiam pollice et indice dextero, interea proseguens: *Fregit, deditque discipulis suis dicens: Accipite, et manducate ex hoc omnes*. Post verba haec, innixus cubitis super Altare, et inflexo capite, distincte, reverenter, et submissa voce, profert verba consecrationis super Hostiam: *HOC EST ENIM CORPUS MEUM*.

Hoc in solemniori actu curet omnimode Celebrans ne cum albae manicis corporale tangat, neque capitis vel oris contorsiones agat, aut pedes inaequales teneat. Multo magis caveat, ne vocem elevet consecrationis verba pronuntians, neque violento quodam conatu proferat, et ab alia super Hostiam seu super Calicem indecora agendo absteat.

1395. — Prolatis consecrationis verbis, confestim ponit manus sacram Hostiam tenentes super anteriorem corporalis limbum, et unicum flectens genu illam adorat. Se postmodum erigens, oculis in sacram Hostiam defixis, illam recta linea ambabus manibus sic extollit super corporale, ut ea a populo conspici et adorari possit; ac mox ipsam ad corporale per eandem lineam demittit. Deinceps a sacra Hostia sinistram dimovet, eamque indice et pollice iunctis ac tribus ultimis digitis extensis, super corporale ita deponit, ut sola manus pars lateralis iuxta parvum digitum Altare tangat; ac tantum dextera sacram Hostiam reponit ubi antea posita erat, cavens, ne usque ad digitorum ablutionem pollices et indices se iungat, nisi sacra Hostia tangenda seu attrectanda sit; tum dexteram itidem super corporale collocat ac flectit genu.

1396. — Postquam se erexit, sinistram collocat super pedem Calicis, et ex illo dextera removet pallam, quam extremitati superponit veli plicati, ut illam exinde commodius recipiat. Tum utrumque pollicem et indicem tantisper mutuo fricat super Calicem, ut ex iis fragmenta Hostiae, si qua sint, illuc demittat, interim dicens: *Simili modo postquam coenatum est*; deinde proseguens: *Accipiens*

et hunc praeclarum Calicem in sanctas, ac venerabiles manus suas, utraque manu, inter indicem nempe pollicis adiunctum, reliquosque digitos Calicem apprehendit iuxta nodum infra cuppam, dextera scilicet supra et sinistra infra nodum, eumque spatio quatuor circiter digitorum ab Altari elevat, statimque deponit quin tamen relinquat manibus. Ad verba: *Tibi gratias agens*, caput Hostiae consecratae inclinat; ad vocem: *Bene* ☩ *dixit*, dextera dumtaxat iam a Calice amota super illum signat; dum vero prosequitur: *Deditque discipulis suis dicens: Accipite, et bibite ex eo omnes*, denuo apprehendit Calicem, dextera scilicet ad nodum, sinistra vero ita ad pedem, ut index et pollex iuncti stent supra, reliqui digiti infra pedem Calicis, eumque tenet a corporali parum elevatum; post verba: *Bibite ex eo omnes*, cubitis super Altare innixis, et capite profunde inclinato, illico profert attente, sine intermissione ac submissa voce verba consecrationis Sanguinis: *HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI, NOVI ET AETERNI TESTAMENTI: MYSTERIUM FIDEI: QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM*. Quibus prolatis verbis, rursus Calicem statuit super corporale, ibique utraque manu extensa, unicum flectit genu, dicens interim secreto: *Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*. Tum, erectus, accipit Calicem, uti paulo ante, et oculis in ipsum intentis, ita recta linea sublevat, ut a populo videatur atque adoretur; dehinc ipsum per eandem lineam rectam demittit, et pristinum in locum restituit; manu autem sinistra super pedem posita, dextera pallam recipit, eaque Calicem cooperit. Tum, manibus super corporale extensis, iterum genuflectit.

1397. — Si adsit Pyxis cum Particulis vel Capsula cum Hostia expositionis consecranda, Celebrans ante verba: *Qui pridie* etc. alterutram vel utramque accipit et prope Calicem ponit e sui dextera parte, inde eam detegit et dicit: *Qui pridie* etc. accipiens infra digitos solam Missae hostiam. Hostiae elevatione peracta, post genuflexionem Pyxidem cooperit vel Capsulam claudit et retro Calicem, ubi ante erat, reponit.

ARTICULUS X.

De Canone post Consecrationem usque ad Orationem Dominicam.

1398. — Adorato SS. Sacramento, Celebrans surgit et stans ante medium Altaris, manibus utrinque ante pectus expansis, submissa voce, dicit: *Unde et memores* etc. Cum profert: *De tuis donis*

ac datis, iungit manus; et mox, sinistra super corporale deposita, dextera ter signat super Hostiam simul et Calicem ad verba: *Hostiam* ☩ *puram, Hostiam* ☩ *sanctam, Hostiam* ☩ *immaculatam*; postmodum semel signat super Hostiam, et semel super Calicem pronuncians: *Panem* ☩ *sanctum vitae aeternae, et Calicem* ☩ *salutis perpetuae*. Tum, stans uti prius, extensis manibus, prosequitur: *Supra quae propitio* etc. Qua Oratione expleta, profunde inclinat, iunctis manibus ad oram Altaris innixis, non vero intra corporale (D. 2572 ad 21), memoriter dicit: *Supplices te rogamus, omnipotens Deus: iube haec perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinae maiestatis tuae: ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui Corpus et Sanguinem sumpserimus, omni benedictione caelesti et gratia repleamur*. Cum profert: *Ex hac altaris participatione*, extensis hinc inde manibus super corporale, Altare in medio osculatur ante sacram Hostiam, statimque se erigens manus iungit ante pectus, dicens: *Sacrosanctum Filii tui*; mox vero, sinistra super corporale deposita, semel signat dextera super Hostiam tantum ad vocem: *Cor* ☩ *pus*, et semel tantum super Calicem ad vocem: *San* ☩ *guinem sumpserimus*; tum, sinistra infra pectus demittit, ita ut nec indice nec pollice casulam tangat, dextera seipsum signat, dicens: *omni benedictione* etc., verba sequenti modo distribuens; ad: *omni*, tribus digitis liberis manus tangit frontem; ad: *benedictione caelesti*, pectus; ad: *et gratia*, humerum sinistrum; ad: *repleamur*, dexterum humerum. Ad verba denique: *Per eundem* etc. iungit manus ante pectus.

1399. — Cum dicit: *Memento etiam, Domine, famulorum, famularumque tuarum*, incipit hinc inde manus expandere, illasque adducit lente, iterumque coniungit ad haec verba: *In somno pacis*. Manus sic iunctas usque ad faciem elevat, caput aliquantulum inclinat et oculos ad S. Hostiam defixos tenens, commemorationem Fidelium defunctorum, de quibus sibi videtur, facit eodem modo ut dictum est de commemoratione vivorum (v. n. 1391). Post eiusmodi commemorationem, caput erigit, manusque sicut antea extendit et prosequitur: *Ipsis, Domine, etc.*, et ad verba: *Per eundem* etc. iungit manus, et caput inclinat. Haec est sola conclusio, ad quam caput inflectitur, tametsi SS. nomen Iesu non exprimitur.

1400. — Tum, sinistra super corporale deposita, postremis dexterae digitis pectus leviter percutit proferens: *Nobis quoque peccatoribus*; et manibus denuo extensis, prosequitur, submissa voce: *Famulis tuis* etc. ad verba autem: *Per Christum Dominum nostrum*,

iungit manus ante pectus, easque sic tenet usque ad: *Per quem haec omnia, Domine, semper bona creas* inclusive; postea demittit sinistram super corporale, et dextera ter signat super Hostiam simul et Calicem dicens: *Sancti ✠ ficas, vivi ✠ ficas, bene ✠ dicis et praestas nobis*. Exinde sinistram super pedem Calicis statuit, a quo dextera pallam amovet; dehinc, utraque manu super corporale de more extensa, flectit genu; statimque erectus, sinistro indice tantillum premit extremitatem sacrae Hostiae, quo commodius sic elevatam capiat ad medium circiter inter pollicem et indicem dexterae, et cum ea super Calicem, quem sinistra ad nodum tenet, tres Cruces efformat a labio ad labium, dum pronunciat: *Per ✠ ipsum, et cum ✠ ipso, et in ✠ ipso*. Pari modo, binas subinde Cruces efficit inter labium anterius Calicis suumque pectus, dicens: *Est tibi Deo Patri ✠ omnipotenti, in unitate Spiritus ✠ Sancti*. Deinceps Hostiam defert recta linea super Calicem, eumque simul cum Hostia, sinistra manu ad unius palmi medietatem de Altari sublevat, proferens interim secreto: *Omnis honor et gloria*; mox tum Calicem, tum Hostiam, in locum suum reponit. Deinde utrumque, si opus sit, pollicem et indicem super Calicem abstergit, et hunc dextera cooperit, extensis denique hinc inde manibus super corporale, flectit genu et continuo surgit.

In hac exercenda caeremonia Celebrans advertat, ut, qua par est, gravitate et reverentia, cuncta peragat, cum in his Crucis signis efformandis nimia properantia dedeceat.

ARTICULUS XI.

De Oratione Dominica et aliis usque ad factam Communionem.

1401. — Celebrans erectus, manusque adhuc super corporale retinens extensas, pronunciat, elata voce: *Per omnia saecula saeculorum*, et responso *Amen* a Ministro, subdit: *Oremus*, iungens interim manus ante pectus et caput Sacramento inclinans; dehinc prosequitur: *Praeceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati, audemus dicere: Pater noster* etc. Dum inchoat *Pater noster*, manus de more ante pectus extendit, et oculis in Sacramentum defixis, pergat et absolvit Orationem Dominicam. Responso: *Sed libera nos a malo*, expansis adhuc manibus, secreto subiungit: *Amen*.

Deinde sinistra adiuvante, si opus sit, secus supra corporale posita, dextera manu, pollice et indice non disiunctis, Patenam,

quam sub corporali posuerat, extrahit et eam, sinistra manu tenens, purificatorio extergit.

Ac postea purificatorium aliquantulum a corporali dimovet, ita ut ibidem possit in medio Calix post ablutionem digitorum collocari. Tum, posita sinistra super corporale, Patenam dextera accipit inter indicem pollicis iunctum, reliquosque digitos, eamque super Altare, extra corporale, sic tenet erectam, ut ipsius concavum ad sacram Hostiam conversum sit, dextera vero super Patenam permaneat elevata, ac dicit: *Libera nos, quaesumus*, etc.; porro antequam proferat: *Da propitius pacem*, ponit sinistram infra pectus, dextera autem seipsum signat cum Patena, dicens, tangendo frontem: *Da propitius*; pectus: *pacem*; humerum sinistrum: *in diebus*, et dexterum: *nostris*. Mox Patenam in superiori extremitate seu ora osculatur (D. 1711 ad 5), ac prosequens: *Ut ope misericordiae tuae* etc., indice sinistro hinc premit sacram Hostiam, et illinc ei pauxillum elevatae dextera submittit Patenam, in qua sinistro indice sacram Hostiam accommodat, quamque utraque manu super pedem Calicis in extrema ora statuit. Tandem detegit Calicem, et de more manibus hinc inde super corporale depositis, flectit genu, et continuo assurgit.

1402. — Celebrans erectus, sinistro indice, deducit ad oram superiorem Patenae sacram Hostiam, quam in extremitate superiori accipit pollice et indice dextero, statimque extollit super Calicem; tum ibidem, applicito pollice etiam et indice sinistro, sacram Hostiam reverenter in binas dividit partes aequales (illam nempe leniter flectendo superius, in medio et infra, dehinc iterato flexu totam frangendo); interea dum partem mediam dextera infringit ac super Patenam reponit, pronunciat: *Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum*, et caput inclinatur ad: *Iesum Christum*; subinde prosequens: *Qui tecum vivit et regnat*, de altera media parte, quam sinistra tenet Calici superpositam, dextero pollice et indice Particulam inferius (D. 1275 ad 6) detrahit ac retinet; tum dicens: *In unitate Spiritus Sancti Deus*, partem maiorem quam sinistra tenet, adiungit parti super Patenam positae ita ut Hostia adpareat rotunda. Mox sinistra Calicem ad nodum apprehendit, dehinc, elata voce, profert: *Per omnia saecula saeculorum*; ac, responso *Amen* a Ministro, ter dextera signat cum Particula a labio ad labium Calicis, dicens interim ad primam Crucem: *Pax ✠ Domini*; ad secundam: *sit ✠ semper*; ad tertiam: *vobis ✠ cum*. Responso per Ministrum: *Et cum spiritu tuo*, Particulam continuo

immittit in Calicem, recitans, submissa voce: *Haec commixtio, et consecratio Corporis et Sanguinis Domini nostri Iesu Christi, fiat accipientibus nobis in vitam aeternam. Amen*, et flectens caput ad: *Iesu Christi*. Post hanc Orationem utrumque pollicem et indicem abstergit super Calicem, quem subinde palla cooperit, ac, manibus super corporale positus, flectit genu.

1403. — Post genuflexionem, stans mediocriter inclinatus versus Sacramentum, iunctisque inter pectus et Altare manibus, quin tamen hoc tangant, elata voce dicit: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, tum, sinistra deposita super corporale usque ad tertium Agnus Dei inclusive, postremis dexteræ digitis pectus percutit, dum bis profert: Miserere nobis, itemque dum dicit: Dona nobis pacem*. Postmodum, manibus super Altare iunctis, non vero intra corporale, oculisque ad Sacramentum intentis, mediocriter inclinatus dicit, submissa voce, tres Orationes ante comunione.

I. *Domine Iesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiae tuae: eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris: Qui vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.*

II. *Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificasti: libera me per hoc sacrosanctum Corpus et Sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis, et universis malis: et fac me tuis semper inhaerere mandatis, et a te numquam separari permittas: Qui cum eodem Deo Patre, et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.*

III. *Perceptio Corporis tui, Domine Iesu Christe, quod ego indignus sumere praesumo, non mihi proveniat in iudicium et condemnationem: sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis, et ad medelam percipiendam: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.*

1404. — His Orationibus absolutis, se erigit, et utraque manu super corporale hinc inde posita, flectit genu, atque illico surgens dicit secreto: *Panem caelestem accipiam, et nomen Domini invocabo*; tum indice sinistro binas Hostiae partes adducit ad extremam Patenae oram versus pedem Calicis, easque superius pollice et indice dextero reverenter apprehendit, et ad imum collocat pollicem inter et indi-

cem sinistram ita adnexas, ut prope adpareat integrae Hostiae rotunditas; dein Patenam dextera inserit inter sinistram indicem et medium. Dum ita sinistra sacram Hostiam sustinet cum Patena pectus inter et Calicem aliquantulum a corporali elevatam, mediocriter inclinatus (quin sinistro cubito Altari innitatur) ultimis dexteræ digitis ter percutit pectus, unaquaque vice proferens: *Domine, non sum dignus, et secreto prosequens: ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea*. Postquam tertio repetit: *Ut intres* usque ad: *anima mea*, se erigit, ac pollice et indice dextero partem unam sacrae Hostiae alteri superimponit, itemque e sinistra utramque Hostiae partem dextera ad imum accipit; et super Patenam, quam adhuc retinet sinistra immotam et a corporali elevatam, cum sacra Hostia seipsum signat, id cavens ne transversalis huius Crucis linea extra Patenae limites fiat, neque linea quae in altum ducitur talis sit ut videatur a populo; interim, submissa voce, pronunciat: *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen*. Ad verba: *Iesu Christi* Celebrans caput profunde inclinatur (D. 2850 ad 1); exinde mediocriter inclinatus, cubitis super Altare positus, ambas sacrae Hostiae partes reverenter sumit. S. Hostia sumpta, curet Celebrans ut species sacrae humescant inter palatum et linguam, atque ita in stomachum eas transmittat, si fieri possit, quin dentibus conterat ob reverentiam erga SS. Christi Corpus (Meratus in Gavant. P. II, tit. 10, n. 4, § 13).

Sacris speciebus sumptis, Patenam, ut antea, reponit ad pedem Calicis, ac super illam, si opus sit, pollices et indices tantillum abstergit; demum se erigens, iunctis ante faciem manibus, parumper in meditatione SS. Sacramenti quiescit.

Postmodum, submissa voce, dicit: *Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi*, detegens interea Calicem; positisque de more manibus super corporale, flectit genu, et assurgit. Deinde dextera Patenam de more accipiens inter indicem pollicis iunctum reliquosque digitos, colligit e corporali fragmenta, ducendo nimirum bis, terve Patenam, praesertim ubi sacra Hostia iacuit, ac etiam sinistra, si oportuerit, corporale paululum elevando.

Fragmentis collectis, sinistra inter indicem pollicis iunctum et reliquos digitos Patenam accipit ex parte, quae minime fragmenta collegit, illamque transfert extensam ac veluti supinam super Calicem ita ut remotior eius extremitas a sinistra retineatur, propior vero pertingat ad medium os Calicis; tum illam circumcirca ac diligenter extergit super Calicem indice vel pollice dexteræ; quos

postea ibidem abstergit, ne quid fragmenti eis forte adhaeserit. Iungit subinde hunc pollicem dexteræ atque indicem, et sinistram quæ adhuc Patenam retinet, deponit super corporale ad latus Evangelii usque ad sumptionem; dextera vero Calicem accipit infra nodum, submissa voce, pronuncians: *Calicem salutaris accipiam*, atque ita consistens prosequitur: *Et nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.* Mox sibi efformat signum Crucis cum Calice (quin eo seipsum tangat) proferens secreto: *Sanguis Domini nostris Iesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam. Amen.* Ad verba: *Iesu Christi*, ut supra, caput profunde inclinatur (D. 2850 ad 1), et continuo Calicem ori applicat, cui sinistra supponit Patenam pene usque ad mentum elevatam, et stans erectus reverenter totum haurit Sanguinem cum particula, quin tunc Calicem a labiis dimoveat. Si forte in sumptione Particula Calici inhaeserit, ad huius labium indice dextero adducat ac sumat, vel, una cum vino quod purificationi inservit sumat (Rubr. Miss. De Defect. X, 8).

ARTICULUS XII.

*De distributione Sacrae Communionis
et de Pyxidibus purificatione.*

1405. — Si Communio distribuenda sit, Celebrans priusquam purificationem accipiat, Calicem in medio corporali deponit, et illum palla operit. Tum, si Particulæ sint super corporale, præmissa genuflexione, eas in Pyxidem, vel si paucae sunt super Patenam ponit; quod si ab initio in Pyxide vel alio Calice positæ fuerint, tunc, postquam Calicem Missae palla cooperuerit, ante eum Pyxidem seu Calicem illum statuit ac detegit. Si vero Particulæ e Tabernaculo extrahendæ sint, deposita Patena et Calice, ut supra, ad latus Evangelii, ostiolum Tabernaculi aperit, genuflectit, extrahit Pyxidem et illam super corporale depositam discooperit (Rit. Rom. Tit. IV, cap. 2, n. 12 et 1). Si in Tabernaculo alia Pyxis cum sacris Particulis vel in Capsula sacra Hostia pro expositione remaneat, Celebrans, educta Pyxide, ostiolum claudit, secus apertum relinquit. Facta deinceps a Ministro Confessione, iterum genuflectit, ac manibus ante pectus iunctis (quin pollices ab indicibus disiungat), et oculis demissis, per suam dexteram vertit se ad populum aliquantisper ad cornu Evangelii, ne terga obiciantur SS. Sacramento.

Ibi stans, elata voce, semper plurali numero, profert: *Misereatur vestri omnipotens Deus, et, dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam.* Responso a Ministro *Amen*, subiungit: *Indulgentiam, absolutionem, ☩ et remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus*, sinistra infra pectus posita, dextera signum Crucis producit versus Communicandos. Responso iterum a Ministro *Amen*, per eandem viam ad Altaris medium conversus cum genuflexione, sinistra Pyxidem ad nodum capit, aut Patenam, ac pollice et indice dextero unam apprehendit Particulam, quam tenens aliquantulum super Pyxidem seu Patenam elevatam, rursus se convertit ad populum, in medio Altaris; sic stans ac tenens Pyxidem ante pectus, oculis in SS. Sacramentum defixis, elata voce, dicit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, deinde statim ter repetit: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea*; quæ verba, sine ulla prorsus variatione, iugiter proferenda sunt latine (D. 2725 ad 5).

1406. — Quibus tertio repetitis, descendens e gradibus anterioribus (et numquam per laterales) accedit ad Communicandos a parte Epistolæ, ac tribus inferioribus dexteræ digitis inflexis, unicuique porrigit Sacramentum, faciens cum eo Crucis signum super Pyxidem seu Patenam (quin huius limites excedat), ac simul proferens: *Corpus ☩ Domini nostri Iesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam. Amen*; ita tamen ut hæc formula finiatur cum impositione sacrae Particulæ super linguam suscipientis.

Celebrans caveat ne labia aut aliquam partem vultus summentium digitis aut ipsa S. Particula tangat; sed leviter linguam extremitate S. Particulæ tangat ut illi inhaereat et statim manum reducat.

« Ne autem fragmenta in humum decidant quoties Sacerdos Christi Corpus fidelibus præbet, sive ipsa directe, sive ex distenta mappa prolabantur, prudentissime dimidio fere præterito saeculo mos fuit inductus, parva utendi patina, ex metallo confecta, subter eorum mentum apponenda. Facilius siquidem ac tutius, quam super protensa mappa, eadem fragmenta in illa sistunt, faciliusque pariter a Sacerdote cerni colligique possunt. Et ipsa sacra Congregatio, tuendis præposita Ritibus Ecclesiæ, cum super hoc, die 16 Martii an. 1876 percontata fuisset, nullum contrarium emittens iudicium, respondit “ non esse interloquendum ”, unde idem mos pluribus in regionibus vigere coepit, et late se diffudit » (ex Instr. S. C. Sac. diei 26 Mart. 1929).

Pro patina non consecrata porrigi nequit fidelibus laicis Patena consecrata quae in Sacrificio Missae adhibita fuerit (C. I. C. 1306, § 1).

1407. — Celebrans porrigit Communicandis Eucharistiam incipiens a Ministris Altaris si velint communicare (Rit. Rom. Tit. IV, cap. II, n. 12), postea, accepta patina infra medium et indicem dexteræ, accedit ad balastrium incipiens, tradita primo Communicando patina, ab iis qui sunt ad partem Epistolæ. Completo circulo usque ad Evangelii latus, accipit ab ultimo Communicato patinam et ad latus regreditur Epistolæ, ac ita porro. In casu quo sacrae Particulæ non sufficiant, si adsit necessitas, Celebrans eas dividere potest (D. 2704 ad 1).

Non potest ipse Celebrans Communionem distribuens tenere patinam inter digitos manus sinistrae, quae sacram Pyxidem gestat ut eam sic mento Communicantium supponat (S. R. C. 12 Aug. 1854 in *Lucionen.* ad XXI. — Cf. *Eph. Liturg.* ann. 1915, pag. 263 et 390 atque ann. 1930, pag. 73).

1408. — « Nomine Ministri Altaris vel Sacrificii Missae venit quilibet Clericus vel laicus Missae ad altare inserviens, qui praeferendus est caeteris in distributione sacrae Synaxeos; cauto tamen, ut laico inservienti praeferantur Clerici; et Clericis minoris ordinis alii in maiori ordine constituti, aut personae quae superiori polleant dignitate liturgice attendenda per se (uti regum) vel per accidens (uti sponsorum in Missa pro benedicendis nuptiis) » (D. 4328).

1409. — « Sacerdoti Celebranti non licet Eucharistiam infra Missam distribuere fidelibus adeo distantibus ut ipse Altare e conspectu amittat » (C. I. C. 868).

1410. — Omnibus communicatis, ipse Celebrans non vero Minister accipit patinam et ad Altare per anteriores pariter gradus revertitur, nihil dicens. Collocata super corporale Pyxide seu Patena cum patina, genuflectit, si aliqua Particula superfuerit; si in patina fragmenta exstabunt, diligentissime in Calicem iniicientur, Pyxidem vero, si ea usus fuerit, cooperit, in Tabernaculo recondit, ac, nova peracta genuflexione, Tabernaculum claudit (DD. 3116; 3975, III ad 2).

Si paucis autem fidelibus sacra Communio administretur per Particulas super Patenam positas, sufficere videtur linteum seu velum album in balaustrio extensum (v. *Eph. Lit.* ann. 1930, pag. 74).

1411. — Verum si Particulæ quae supersunt non sint reservandae, eas dextera manu accipit et inclinatus, sicut in sacrae Hostiae sumptione, nihil dicens et, absque signo Crucis, reverenter sumit. Deinde Calicem detegit, Patenam extergit, et etiam corporale, si Particulæ super corporale collocatae fuerint.

1412. — Si intra sacrae Eucharistiae distributionem Particula aliqua (vel fragmentum) super terram decadat, reverenter eam Celebrans accipiat, et locus, in quem ceciderit, obsignetur, atque huic linteum quodpiam superimponatur, donec, opportuno tempore, abradatur: abrasio vero in Sacrarium proiicienda erit. Si ceciderit super mappam aut velum, eiusmodi mappa aut velum signetur, et postmodum diligenter abluatur, et lotio ipsa in Sacrarii piscinam effundatur. Si tandem super vestes communicantium ceciderit, locus signetur ac postea lavetur; at si quam forte foeminam tetigerit, vel in eius pectus dilapsa fuerit, ipsa, non vero Sacerdos, Particulam aut fragmentum apprehendat, et in Pyxidem immittat; vestem porro, aut locum, vel digitos abluat, et lotio, ut supra, in Sacrarium proiciatur.

1413. — Si Pyxis sit purificanda, Celebrans, sumpto pretioso Sanguine, Patenam deponit et Calicem super corporale ad latus Evangelii, istumque palla cooperit; tum si Pyxis e Tabernaculo extrahenda sit, aperto eius ostiolo, unico flectit genu, Pyxidem educit, super corporale deponit, et, ablato operculo, iterum genuflectit; mox erectus Particulas absumit. Postmodum Pyxidem ad nodum super Calicem mediocriter inflexam tenens, indice dextero colligit fragmenta in Pyxide dispersa et in Calicem mittit. Accipit subinde in Pyxide parum vini, quod intus tantisper circum agitat, et indice tergente, totam illius partem interiorem abluit; quo peracto, vinum in Calicem percolando ingerit, ac cum purificatione Calicis sumit. Denique Pyxidem purificatorio abstergit, et extra corporale collocat, atque Missam de more prosequitur.

ARTICULUS XIII.

De iis quae Sacram Communionem sequuntur usque ad Antiphonam « Communio » dictam.

1414. — Si Communio non sit distribuenda, nec Pyxis purificanda, Celebrans, sumpto Sanguine, statim sinistram cum Patena demittit super corporale, ut paulo antea, ac Ministro in cornu Epi-

stolae Calicem porrigit (D. 4077 ad 4) super Altare non tamen illud tangendo (dummodo Minister parvus non sit) dicens secreto: *Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus: et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.* Celebrans Calicem, cum vini quantum sat est receperit, pauxillum elevat, ut infundere Minister intermittat. Tum, in Calice ad se adducto, vinum tantisper circum agit, ut sacrae species cuppae adhaerentes commisceantur; et illico supponens Patenam, uti supra, purificationem absorbet ex eadem Calicis parte, per quam pretiosum Sanguinem sumpsit. Collocat exinde Patenam super corporale ad latus Evangelii, et Calicem prehensens postremis digitis utriusque manus ad cuppam, indices autem et pollices super os Calicis adiungens, se infert ad cornu Epistolae, ibi super Altare, si fieri possit, vino et aqua a Ministro infusis, abluit digitos interim dicens: *Corpus tuum, Domine, quod sumpsi, et Sanguis, quem potavi, adhaereat visceribus meis: et praesta; ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura et sancta refecerunt sacramenta: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.* Infusis aqua et vino, Celebrans, semper, ut antea, cuppae superpositis digitis, Calicem inter corporale collocat ac purificatorium; dehinc advertens ne qua gutta in corporale aut mappam decidat, excutit super Calicem indices et pollices, eosque purificatorio quod dextera capit, abstergit procedens ad medium Altaris. Digitis abstersis et disiunctis, medium purificatorii sic accommodat sinistrum inter pollicem et indicem, ut e manu utriusque pendeat; Calicem dextera intra nodum capit, et sinistra purificatorium mento supponens, abluitionem haurit.

1415. — Postea Calicem collocat super corporale, sibi dextera extremo purificatorii limbo detergit os; tum hoc super Calicem extendit, quem sinistra ad nodum tenens parum elevatum et inclinatum, medium purificatorii dextera premit ad imum usque, ac pollice alterutram illius partem retinet extra cuppam; sicque illud bis terve circumducens totum Calicem moderate, nec brachia cum toto corpore agitans, abstergit. Deinde, remoto, sinistra manu, Calice de corporali in cornu Evangelii, purificatorium super illum extendit eique sinistra Patenam, simulque Patenae dextera pallam superimponit.

Deinde, ambabus manibus, plicat corporale, revolvendo anteriorem illius partem, posteriorem, dexteram et sinistram, atque in bursam, quam sinistra premente aperit, dextera corporale recondit; denique bursam tantisper ante se depositam, dum Calicem

velo cooperit, super illum collocat, capiensque Calicem ad nodum sinistra, dexteram vero super bursam extendens, in medio Altaris illum statuit, ut in principio Missae, animadvertens Calicem anteriori in parte totum velo tegendum (D. 1379).

ARTICULUS XIV.

*De Antiphona dicta « Communio »
et Orationibus « Postcommunio » dicendis.*

1416. — Celebrans, Calice ita composito, accedit, iunctis manibus, ad Missale in cornu Epistolae, quin Cruci se inclinet (D. 2682 ad 27), eiusque folia ipsemet vertit (D. 3448 ad 14) ibique, manibus pariter iunctis, elata voce, legit Antiphonam, quae dicitur « *Communio* »; post quam redit ad medium Altaris, quod, extensis hinc inde de more manibus, osculatur; erectusque se vertit ad populum per dexteram suam, dicit: *Dominus vobiscum*, manus interim expandens et iungens ante pectus, ac sese denuo infert ad Missale lecturus Orationes post Communionem eodem modo, numero et ordine, quo supra de Orationibus dictum est ante Epistolam (v. n. 1360 et seqq.).

Hisce cum conclusionibus suis expletis, ita claudit Missale ut pars quae aperitur, semper obversa iaceat ad cornu Evangelii, nisi illud oporteat apertum relinqui ad alterius Evangelii lectionem. Tum, manibus ante pectus iunctis, rursus adit medium Altaris, illudque, more solito, osculatur, vertit se, uti supra, ad populum et dicit: *Dominus vobiscum*; ac responso per Ministrum: *Et cum spiritu tuo*, ibidem stans, iunctis manibus, eadem subdit voce: *Ite Missa est*, et continuo per suum latus sinistrum se convertit ad Altare; vel, si *Ite Missa est* non sit dicendum, ipse se vertit post: *Dominus vobiscum*, ibique stans dicit: *Benedicamus Domino*.

ARTICULUS XV.

De Benedictione et Evangelio in fine Missae.

1417. — Dicto *Ite Missa est* vel *Benedicamus Domino*, manibus iunctis ad Altaris oram, mediocriter inclinatus, profert secretot *Placeat tibi, sancta Trinitas, obsequium servitutis meae: et praesta: ut sacrificium, quod oculis tuae maiestatis indignus obtuli, tibi si;*

acceptabile, mihi, et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Dein, manibus hinc inde extensis, Altare in medio osculatur; seque erigens, elata voce, pronunciat: *Benedicat vos omnipotens Deus*, ac interim tollit oculos ad Crucem, manus expandit, sublevat, statimque iungit, nec non caput flectit ad vocem: *Deus*; exinde, manibus ita compositis, demissisque oculis, se per dexterum latus ad populum convertit, mox sinistram infra pectus ponit, et dextera extensa et erecta semel benedicit populo, elata voce, dicens: *Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus*; cum dicit: *Pater*, manum ad lineam elevat usque ad oculos; cum dicit: *et Filius*, dimittit usque ad pectus; cum dicit: *et Spiritus*, eandem manum ad sinistrum humerum; cum dicit: *Sanctus*, ad dexterum admovet.

1418. — Responso *Amen* a Ministro, Celebrans manus coniungit ut antea, ac perficiens circulum adit cornu Evangelii, ubi, sinistro latere tantisper ad populum obverso, seu oblique stans (D. 3792 ad 5) pronunciat: *Dominus vobiscum*, atque dum profert: *Initium* aut *Sequentia* etc., pollice dextero signat Missale vel tabellam, aut, si neutrum adsit, Altare, posita interim sinistra super librum, si eum signet, vel super Altare, si hoc signet aut tabellam; subinde, sinistra infra pectus demissa, pollice dextero ad frontem, os et pectus Crucis signum efformat.

Responso per Ministrum: *Gloria tibi, Domine*, iunctis manibus, legit Evangelium S. Ioannis, vel aliud si praescriptum sit (v. n. 1419). Cum dicit: *Et Verbum caro factum est*, extendit de more hinc inde manus, et genuflectit erga cornu Evangelii, quod surgens absolvit; in fine vero neque Evangelium osculatur, neque subdit: *Per Evangelica dicta* etc., sed claudit Missale, si eo usus fuerit, et ponit cum apertura versum medium Altaris.

1419. — In qualibet Missa in qua facta fuerit Commemoratio de Dominica, etiam anticipata vel quoad etiam Officium reposita, de Feria Quadragesimae, Quatuor Temporum et II Rogationum, de Vigilia qualibet, de die Octava Epiphaniae, de die infra Octavas Paschae et Pentecostes; in fine Missae legitur semper Evangelium de Dominica, Feria etc. commemorata; dummodo (etsi tantum in principio) non sit idem cum Evangelio Missae. In Vigilia tamen Nativitatis Domini, quando occurrit in Dominica; itemque cum fit Commemoratio de Missa Dominicae primo infra Hebdomadam resumpta, in fine Missae non legitur Evangelium Dominicae sed Evan-

gelium S. Ioannis *In principio* etc. (Addit. et Variat. in Rubr. Missal., tit. IX, n. 1 et 2).

Quando Feria et Vigilia simul occurrerint, in fine legitur Evangelium de qua primo facta est Commemoratio.

Si nullum Dominicae, Feriae, Vigiliae, aut alicuius ex Octavis supra recensitis Evangelium in fine Missae fuerit legendum, dicitur ultimum pariter Evangelium Missae sive Officii primo loco inter cetera, quae Evangelium stricte proprium (et non appropriatum, vel ex aliquo Communi assignatum, vel per Octavam e Festo repetitum) habeant, commemorati.

Quaenam autem censenda sint Evangelia stricte propria, in fine Missae legenda, ut supra, declaratum fuit a Sacra Rituum Congregatione, Decr. n. 4369, 29 Apr. 1922.

Ex hoc Decreto: Evangelia stricte propria habent sequentes Missae:

1. Omnium Festorum Domini, excepta Missa Dedicacionis Ecclesiae cum Evangelio: *Ingressus Iesus* etc.
2. Omnium Festorum B. M. V., excepta Missa Assumptionis cum Evangelio: *Intravit Iesus* etc.
3. Omnium Sanctorum Archangelorum et Angelorum.
4. Festorum S. Ioannis Baptistae, et S. Ioseph Sponsi B. M. V.
5. Sanctorum duodecim Apostolorum (non vero S. Pauli Ap.); duorum Festorum Cathedrae S. Petri Ap. 18 Ian. et 22 Febr.; nec non Missa infra Octavam Ss. Petri et Pauli (cuius Evang. legendum est in fine Missae prima tantum die in qua de ipsa fit Officium vel saltem Commemoratio - D. 4372 ad 16) ac tandem Missa diei Octavae eorundem Ss. App.
6. Tandem Missae a) Ss. Innocentium; b) S. Mariae Magdalenae Poenit.; c) S. Marthae V.; d) Commemorat. Omnium Summorum Pontificum; e) et omnes Missae votivae, quae in ipso Missali primo loco ponuntur; non vero Missae votivae *ad diversa*, quae incipiunt a Missa *pro eligendo Pontifice*.

ARTICULUS XVI.

De precibus post Missam.

1420. — Dicto a Ministro *Deo gratias*, immediate Celebrans, iunctis manibus, per latus dexterum se vertit ac de Altari descendit et, genuflexus in infimo gradu vel in media ora suppedanei

(D. 3637 ad 8), recitat alternatim cum populo aut saltem cum Ministro Preces a Summis Pontificibus praescriptas, nempe: ter *Ave Maria*, semel *Salve Regina* cum Versiculo: *Ora pro nobis* etc.; Orationem: *Deus, refugium nostrum* etc. et invocationem ad S. Michaellem Archangelum, quibus additur trina invocatio: *Cor Iesu sacratissimum*, populo vel Ministro ter respondente: *miserere nobis*.

Hae preces omittuntur si Missa cum aliqua solemnitate celebratur, ex. gr. occasione primae Communionis aut Communionis generalis, sacrae Confirmationis, aut pro Sponsis; necnon quoties Missam, quin Celebrans ab Altari recedat, immediate ac rite subsequatur aliqua sacra functio seu pium exercitium (D. 4305).

1421. — Precibus absolutis, Celebrans ad Altaris medium ascendit, ibique, revoluta super bursam parte veli anteriore, capit sinistra Calicem ad nodum, ac dexteram collocat super bursam; per latus suum dexterum se vertit, ac se tantillum retrahens ad cornu Evangelii, descendit ante infimum Altaris gradum; conversus ad Altare Cruci se profunde inclinat, vel si in eo est Tabernaculum SS. Sacramenti vel exposita Reliquia S. Crucis vel alterius Dominicae Passionis Instrumenti genuflectit. Deinde a Ministro biretum accipit, caput cooperit atque ad Sacrarium regreditur, modo quo egressus est, recitans interea Antiphonam: *Trium puerorum* etc. et Canticum: *Benedicite*, etc., atque Psalmum 150: *Laudate* etc. cum Versiculis et Orationibus, quod prosequitur dum sacris sese vestibus exuit. Huiusce Cantici Antiphona duplicatur tantum in Festis duplicibus, eique tempore paschali additur: *Alleluia*.

Quando vero ritus Missae differt a ritu Officii, ex. gr. in Missa Conventuali Feriae Quadragesimae, occurrente Officio ritus duplicis, Celebrans duplicare potest vel non Antiphonam ad libitum, iuxta ritum Officii vel Missae (D. 4011 ad 2).

1422. — Cum in Sacristiam Celebrans pervenerit, Calicem adhuc retinens, capite cooperto Cruci vel Imagini praecipuae se profunde inclinat; Calicem exinde deponit, caput detegit, sacra indumenta sibi exuit inverso ordine ac quo sumpsit, idest primum planetam, deinde stolam, manipulum, cingulum et albam, quam exuens prius extrahet manicam e sinistro brachio quocum et dextero brachio sublevans albam desuper caput a sinistra ad dexteram partem illam aufert; tandem e manica brachium dexterum extrahit, et ultimo amictum tollit, osculum figens Cruci stolae, manipuli et amictus.

Sacris vestibus depositis, Celebrans Calicem quoque, si oporteat, detegit eumque reponit, dein, iuxta loci consuetudinem, manus abluere potest; hoc tamen a Rubrica non praescribitur.

1423. — Eucharistico Sacrificio expleto, Sacerdos ne omittat gratias Deo pro tanto beneficio agere (C. I. C. 810).

CAPUT XXXVIII.

DE ORDINE MINISTRANDI COMMUNIONEM IMMEDIATE ANTE VEL POST MISSAM

1424. — Si rationabili aliqua de causa sacra Communio immediate ante vel post Missam ministranda sit, Celebrans, collocato Calice ad latus Evangelii, extensoque in medio Altaris corporali, Tabernaculum aperit, genuflectit, Pyxidem extrahit, et super corporali collocat et detegit; deinde se gerit ut in administratione Communionis infra Missam (v. n. 1405 et seqq.), et si in patina fragmenta exstabant, diligentissime in Pyxidem iniiciantur. Si in Tabernaculo remaneat alio in vase SS. Sacramentum, illius ostiolum, educta Pyxide, obserat, secus apertum relinquit. Absoluta Communionem, redit ad Altare, Pyxidem corporali superimponit, ac genuflectit; tum pollicem dexteræ et indicem super Pyxidem perfricat, ne quid fragmenti eis forte adhaeserit; eamque subinde claudit, ac digitos, in praeparato vase, abluit atque purificatorio abstergit, interea (Rit. Rom. Tit. IV, cap. 2, n. 8) dicens: *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur* (Tempore Paschali et per Octavam Corporis Christi additur: *Alleluia*); tum subdit: *Panem de caelo praestitisti eis* (Tempore Paschali et per Octavam Corporis Christi additur *Alleluia*), *ŷ. Domine, exaudi* etc. et *Dominus vobiscum* ac demum: *Oremus, Deus, qui nobis, sub Sacramento mirabili, passionis tuae memoriam reliquisti: tribue, quaesumus; ita nos Corporis et Sanctae memoriae venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis iugiter sentiamus: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.*

Tempore vero Paschali dicitur Oratio: *Spiritum nobis, Domine, tuae caritatis infunde: ut, quos Sacramentis paschalibus satiasti, tuafacias pietate concordēs. Per Dominum nostrum Iesum Christum Fi-*

lium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

Completa Oratione, Pyxidem in Tabernaculo reponit, genuflectit (*loc. cit.*) ac Tabernaculum occludit; deinde, elevatis oculis, extendens, elevans, iungens manus caputque Cruci inclinans, dicit: *Benedictio Dei omnipotentis*, ac postea se per dexterum latus ad populum convertit, mox sinistram infra pectus ponit, et dextera benedicit iis, qui communicarunt, dicens: *Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*; tum manus iungens, ut antea, absolvit: *Descendat super vos et maneat semper*. Deinde per eandem viam ad Altare se convertit, ubi, si Missam incipere debeat, Calicem in medio collocat; sin autem Missam expleverit, plicat corporale atque in bursam recondit, ac, more solito, ad Sacrarium revertitur.

1425. — Si Communio distribuenda sit monialibus quae chorum habent retro post Altare vel in parte laterali Presbyterii vel ab Altari distantem, Celebrans ita se gerere debet.

Recitato a Ministro *Confiteor Deo* etc., statim Celebrans cum Pyxide accedit ad chori fenestellam; ibique super corporali vel palla posita ac aperta, omnes preces sive antecedentes, sive subsequentes, recitat genuflectens quoties praescribitur a Rubricis et Decretis. Precibus praescriptis recitatis, Celebrans stans ad fenestellam, more solito, idest dextera manu, non Pyxide, non obstante contraria consuetudine, quae abolenda est, monialibus benedicit (DD. 2543; 2725 ad 1).

Si fenestella sit extra Presbyterium collocata, et nimis ab Altare distans, dum illuc SS. Eucharistia defertur non desit umbella honoris tegumen (Cavaleri, tom. IV, cap. IV, dec. 9) praecedentibus duobus Clericis, vel saltem uno cum cereis accensis.

Si alii praeter moniales communicandi sunt, omnia dicenda ad Altare versus populum (D. 3800).

CAPUT XXXIX.

INSTRUCTIO PRO SACERDOTE CAECUTIENTE CIRCA MISSARUM CELEBRATIONEM EIDEM EX INDULTO APOSTOLICO CONCESSAM

1426. — Sacra Rituum Congregatio die 12 Ianuarii 1921 (D. 4363) Instructionem dedit ad Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrandum pro Sacerdotibus caecutientibus qui Apostolicum indultum obtinuerint.

1. **Praenotanda.** — 1. Sacerdos caecutiens seu tali visivae potentiae debilitate, sive accidentaliter sive habitualiter, laborans, ut legere possit non nisi typos valde crassos, a Summo Pontefice seu Sacra Rituum Congregatione, nisi Episcopus Apostolica facultate fuerit munitus, dispensationem obtinere potest celebrandi, iuxta normas inferius accuratius exponendas, aut Missam votivam de B. Maria V. aut Missam, quam vocant, quotidianam Defunctorum.

2. Conditiones vero in huiusmodi privilegii instrumento appositae, non sunt merae ritualitatis et styli, sed *obligatoriae in conscientia*.

3. Si in privilegio dicatur: *Dummodo Orator non sit omnino caecus* et interea plane caecus evadat, tunc a celebrando Missam abstinere debet, donec novum indultum impetraverit; eoque obtento, sub gravi tenetur assistentia uti alterius sacerdotis, quamvis forte haec obligatio in indulto non expresse fuerit appositae.

2. **Regulae circa Missam votivam de B. M. V.** — I. *Quae Missa votiva B. M. V. sit dicenda.*

1. Caecutiens dispensatus dicat Missam inter votivas de B. M. V. assignatas *quintam*, quovis anni tempore.

2. Si vero tantae adhuc est potentiae visivae ut legere possit etiam alias quatuor Missas votivas de B. M. V. in Missali caecutientium pro diversitate Temporum exstantes, facultas ei sit easdem celebrare iuxta Temporum diversitatem.

II. *Quando Missa votiva de B. M. V. sit dicenda.*

1. Missa votiva de B. M. V. dici *potest* quovis anni tempore; dici vero *debet* omnibus et singulis diebus, in quibus non permittantur Missae quotidianae Defunctorum iuxta Kalendarium Ecclesiae in qua Sacerdos caecutiens celebrat; salvis tamen privilegiis ulterioribus circa Missas Defunctorum infra n. 3 expositis.

2. In triduo sacro Maioris Hebdomadae Sacerdos caecutiens omnino a celebrando abstinere debet.

3. In festo Nativitatis Domini tres dicere potest Missas.

III. *Quo ritu sit celebranda.* — 1. Si Missa votiva de B. M. V. celebretur pro re gravi et publica simul causa, a Sacerdote caecutiente semper dicuntur: unica *Oratio, Gloria, Credo, Praefatio* in tono solemni, *Ite Missa est*, et ultimum Evangelium S. Ioannis: *In principio*, etsi a Sacerdotibus non privilegiatis facienda esset illa die commemoratio, vel dicenda collecta ab Ordinario imperata, vel dicendum in fine Evangelium Officii commemorati, iuxta Rubricas.

2. In omnibus aliis casibus:

a) dicitur *Gloria in excelsis*:

- I. Quandocumque dicendum est in Missa diei currentis, iuxta Kalendarium Ecclesiae in qua Missa celebratur;
- II. In iubilaeo propriae ordinationis sacerdotalis;
- III. Infra Octavas, etiam simplices, B. Mariae Virg., iuxta Kalendarium Ecclesiae in qua Missa celebratur;
- IV. In Sabbato.

b) Ad Orationes quod attinet, haec observanda sunt:

- I. Secunda et tertia Oratio non adduntur, quandocumque Orationes de Tempore excluduntur a ritu Missae diei currentis, iuxta Kalendarium Ecclesiae in qua Missa celebratur;
- II. Secus tres dicantur Orationes, et quidem 2^a de Spiritu Sancto, 3^a contra persecutores Ecclesiae vel pro Papa.

c) Dicitur *Credo*:

- I. Quandocumque dicendum est in Missa diei currentis, iuxta Kalendarium Ecclesiae in qua Missa celebratur;
- II. In iubilaeo propriae ordinationis sacerdotalis.

d) In Praefatione dicitur *et te in veneratione*, praeterquam in Festis et per Octavas, etiam simplices, B. Mariae V., in quibus Praefatio dicitur perinde ac si Missa de Festo vel de Octava celebraretur.

e) Ultimum Evangelium est semper S. Ioannis: *In principio*.

f) In Oratoriis privatis, Kalendarium proprium Celebrantis tenet locum Kalendarii Ecclesiae in qua Missa celebratur, idque etiam circa Missam Defunctorum servabitur.

3. **Rubricae circa Missam Defunctorum.** — 1. Loco Missae votivae de B. M. V. Sacerdos caecutiens celebrare potest Missam quotidianam Defunctorum, cum vel sine cantu, ad normam Rubricarum de Missis Defunctorum, iuxta Kalendarium Ecclesiae in qua celebrat.

2. Hanc Missam celebrat etiam (et quidem ter si placuerit) in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, in qua tamen unam tantum Orationem dicet, nempe: *Fidelium*; servata (si bis vel ter hac die celebret) Constitutione Benedicti PP. XV *Incruentum Altaris sacrificium*, cuius vigore unam tantummodo Missam cui-cumque maluerit applicare et pro ea stipem percipere valeat; alias vero Missas, nulla stipe percepta, pro omnibus fidelibus defunctis et ad mentem Summi Pontificis, prout ceteri Sacerdotes, applicet.

3. Unica Oratio in hac Missa dicitur, quandocumque haec Missa quotidiana locum teneat Missae in qua unica tantum Oratio, iuxta Rubricas, dici debeat. Secus tres saltem Orationes dicantur: prima tamen et secunda Oratio variari poterunt, iuxta peculiarem intentionem et applicationem Missae.

4. Ad Sequentiam: *Dies irae*, Sacerdos caecutiens numquam tenetur. Attamen si Missam cantet, licet ipse Sequentiam non legat, Chorus eam cantare non omittat.

CAPUT XL.

INSTRUCTIO PRO SACERDOTE BRACHIO DEXTERO CARENTE CIRCA MISSARUM CELEBRATIONEM EIDEM EX APOSTOLICO INDULTO CONCESSAM

1427. — Sacra Rituum Congregatio die 28 Ianuarii 1920 Instructionem dedit ad Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrandum pro Sacerdotibus, qui, carentes brachio dextero, apostolicum indultum obtinuerint.

1. **Ante Missam.** — Normae generales.

I. Praeter Calicem super Corporali, praedisponatur super Altari Missale apertum; et in latere Epistolae vasculum cum aqua ad purificationem digitorum Sacerdotis assistentis.

II. Si necesse sit vestimenta apud Altare assumere, id fiat ad cornu Evangelii, Sacerdote celebraturo stante super suppedaneo; de quo, assumptis paramentis, descendat ipse Missam inchoaturus more solito.

III. Opportunum erit Hostiam ad lineam fractionis apto instrumento aliquantulum comprimere, ut ea facilius suo tempore dividatur.

IV. Ne omittatur osculum Amictus; huius impositio capiti, etc., fiat auxilio assistentium.

V. Albae manica dexteri brachii (nisi hoc fictitium habeatur) ad Cingulum cohibebitur.

VI. Manipulus brachio sinistro apponatur cubito propius, ne in sacra actione vel minimum offendat.

2. **Tempore Missae.** — a) Normae generales.

I. Sacerdoti celebranti alter Sacerdos semper assistat, praeter Ministrum consuetum, quoties hic haberi queat.

II. Sacerdos assistens adstabit sinistrae Celebrantis:

ad Confessionem, nisi adsit Minister,
ad Evangelium, etc.,
ad Secretas, etc.,
ad abstergendum et concinnandum Calicem,
et ad ultimum Evangelium;

idemque dexteræ Celebrantis adstabit:

ad Introitum, etc.,
ad Offertorium, etc.,
ad *Qui pridie* etc.,
ad « Communionem », etc.,
et ad Preces post Missam.

III. Cruces designabit manu sinistra Celebrans tam super se, quam super aut versus res, vel personas, more latino solito, nempe, signando hastam transversam semper a sinistra ad dexteram.

IV. Celebrans manum teneat ad pectus extensam (indice tamen et pollice non disiunctis post consecrationem), quoties alias deberet iunctas tenere ante pectus, vel ad labium Altaris, nisi dextera fictitia manu valeat decenter Rubricæ inhaerere.

V. Quoties Rubrica praecipit manuum extensionem post harum iunctionem, Celebrans faciat gestum sinistrae a pectore ad pectus, etiam cum elevatione quando haec praecipitur. Ad Orationes, Praefationem, etc. manum tenebit prout indicat Rubrica.

VI. Missalis foliorum evolutio generatim fiet ab Assistente: si vero habeatur Minister superpelliceo indutus, hic, post elevationem, Missali adstabit huius folia versurus, saltem ad cautelam, nempe, si Celebrans, id minus facile ageret; alias, nisi poterit Celebrans, id praestabit Assistens, sin minus adiuvabit.

VII. Hic Stolum induat ab initio Canonis usque ad Communionem inclusive.

VIII. Quotiescumque Celebrans discooperit et cooperit Calicem, Assistens, ad cautelam, dexteræ manus digitos pedi Calicis apponat: itemque ad signa sub verbis: *Per ipsum*, etc.

b) Normae peculiare.

I. Dum Sancti Evangelii textum Celebrans osculatur, manum sinistram apponat Missali, quod Assistens sublevet.

II. Ad oblationem Assistens Calicem discooperiet; ceteraque peraget quae Episcopo Missam celebranti fiunt per Assistentes (v. n. 1077) et in Missis solemnibus per Ministros (v. n. 1211): manum tamen Celebrantis non osculabitur, huic Patenam porrigens et Calicem: dein Patenam sub Corporale ponit.

III. Celebrans ad verba: *Qui pridie quam pateretur* (adiuvante manu dextera Assistentis, ut semper et in sequentibus) accipit Hostiam dicens: *Accipit panem in sanctas ac venerabiles manus suas*, et statim (ad normam Rubricæ quoad Calicem) dimittat, vel eam relinquat in manu Assistentis, ut super eam signum Crucis producat dicens *benedixit*, denuo eandem postea suscipiens, Sacrum prosecuturus.

IV. Palla auferatur et reponatur super Calicem semper ab Assistente: interim Celebrans sinistrae digitos pedi Calicis apponat.

V. Ante verba: *Per ipsum*, etc., Assistens adiuvet Celebrantem ut Hostiam suscipiat, ac postea digitos purificet et abstergat.

VI. Ad verba: *Omnis honor et gloria*, Assistens Calicem elevet, Hostiam Celebrante iuxta Rubricam adhuc tenente digitis sinistrae.

VII. Post *Pater noster* etc., Assistens ita se geret circa Patenam, prout agit Assistens Episcopo Sacrum faciente (v. n. 1077) et Diaconus in Missa solenni (v. n. 1216); excepto manus osculo.

VIII. Celebrans Patenam supponit Hostiae, adiuvante Assistente.

IX. Item, Assistente adiuvante, fractio Sacrae Hostiae super Patena peragatur: separatio Particulae in Calicem immittendae fieri poterit a Celebrante, partem superiorem medietatis Hostiae Assistente tunc inclinante.

X. Ad verba: *Panem caelestem accipiam* Celebrans non sumat manu Hostiam, qui mox pectus tundere debet.

XI. Ad verba: *Domine, non sum dignus* etc., Hostia maneat super Patena, et ad sumptionem eiusdem sacrae Hostiae Assistens adiuvet Celebrantem superponens unam partem alteri, ac dein Patenam dextera manu afferens vultui Celebrantis: postea digitos purificet et abstergat.

XII. Collectis fragmentis, Celebrans haec digito colligat ad oram Patenae super Corporali, ac deinde, Assistente Patenam sublevante super Calicem dextera manu, ac sinistra pedem Calicis tenente, in hunc fragmenta immittat.

XIII. Assistens, ad Communionem et ad assumptionem purificationis Calicis, dextera manu Patenam vultui Celebrantis admoveat.

XIV. Ad ablutionem digitorum accipiendam Celebrans Calicem collocabit in cornu Epistolae super Altare.

XV. Denique Assistens Calicem abstergat, ac de more collocet in medio Altaris.

CAPUT XLI.

INSTRUCTIO PRO SACERDOTE BRACHIO SINISTRO CARENTE CIRCA MISSARUM CELEBRATIONEM EIDEM EX APOSTOLICO INDULTO CONCESSAM

1428. — S. Rituum Congregatio die 28 Ianuarii 1920 Instructionem dedit ad Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrandum pro Sacerdotibus, qui, carentes sinistro brachio, apostolicam dispensationem obtinuerint.

1. Ante Missam. — Normae generales.

I. Praeter Calicem super Corporali, praedisponatur super Altari Missale apertum; et in latere Evangelii vasculum cum aqua ad purificationem digitorum Sacerdotis assistentis.

II. Si necesse sit vestimenta apud Altare assumere, id fiat ad cornu Evangelii, Sacerdote celebraturo stante super suppedaneo: de quo, assumptis paramentis, descendat ipse Missam inchoaturus, more solito.

III. Opportunum erit Hostiam ad lineas fractionis apto instrumento aliquantulum comprimere, ut ea facilius suo tempore dividatur.

IV. Ne omittatur osculum Amictus; huius impositio capiti, etc., fiat auxilio assistentium.

V. Albae manica sinistri brachii (nisi hoc fictitium habeatur) ad Cingulum cohibebitur.

VI. Brachio dextero et cubito propius apponatur Manipulus, ne in actione sacra vel minimum offendant.

2. Tempore Missae. — a) Normae generales.

I. Sacerdoti celebranti alter Sacerdos semper assistat, praeter Ministrum consuetum, quoties hic haberi queat.

II. Sacerdos assistens Celebrantis sinistrae adstabit: ad Confessionem, nisi adsit Minister, ad Evangelium, etc., ad Secretas, etc., ad: *Da propitius pacem* etc., et ad ultimum Evangelium; idemque adstabit dexterae Celebrantis: ad Introitum, etc., ad Offertorium, etc., ad: *Libera nos*, etc., ad « Communionem », etc., et ad Preces post Missam.

III. Celebrans manum teneat ad pectus extensam (indice tamen et pollice non disiunctis post consecrationem), quoties alias deberet iunctas tenere ante pectus, vel ad labium Altaris, nisi sinistra fictitia manu valeat decenter Rubricae inhaerere.

IV. Quoties Rubrica praecipit manuum extensionem post harum iunctionem, Celebrans faciat gestum dexterae a pectore ad pectus, etiam cum elevatione quando haec praecipitur. Ad Orationes, Praefationem, etc., manum tenebit prout indicat Rubrica.

V. Missalis foliorum evolutio in cornu Evangelii fiet ab Assistente; alias hic saltem adiuvabit.

VI. Hic Stolum induat ab initio Canonis usque ad Communionem inclusive.

VII. Quotiescumque Celebrans discooperit et cooperit Calicem, Assistens, ad cautelam, sinistrae manus digitos pedi Calicis apponat: itemque ad signa sub verbis: *Per ipsum*, etc.

b) Normae peculiare.

I. Dum sancti Evangelii textum Celebrans osculatur, manum apponat Missali, quod Assistens sublevet.

II. Ad oblationem Assistens Calicem discooperiat, ceteraque peragat quae, Episcopo celebrante Missam, fiunt per Assistentes (v. n. 1077), et in Missis solemnibus per Ministros (v. n. 1211).

III. Celebrans ad verba: *Qui pridie* (adiuvante manu sinistra Sacerdotis assistentis) accipiat Hostiam dicens: *Accipit panem in sanctas ac venerabiles manus suas*, et statim (ad normam Rubricae quoad Calicem) dimittat, vel eam relinquat in manu Assistentis, ut super eam signum Crucis producat dicens *benedixit*, denuo eandem suscipiens, Sacrum prosecuturus.

IV. Ante verba: *Per ipsum*, etc., Assistens adiuvet Celebrantem, ut Hostiam suscipiat: ac postea digitos purificet et abstergat.

V. Ad verba: *Omnis honor et gloria*, Assistens Calicem elevet, Hostiam Celebrante iuxta Rubricam adhuc tenente digitis dexteræ.

VI. Post *Pater noster* etc., Assistens ita se geret circa Patenam, prout agit Assistens Episcopo Sacrum faciente (v. n. 1077), et Diaconus in Missa solemnè (v. n. 1216) ac rursus ad sinistram redibit.

VII. Assistens Celebrantem adiuvet dum hic Patenam Sacrae Hostiae supponit.

VIII. Item, Assistente adiutore, fractio sacrae Hostiae super Patena peragatur.

IX. Ad verba: *Panem caelestem accipiam* Celebrans non sumat manu Hostiam, qui mox pectus tundere debet.

X. Ad verba: *Domine, non sum dignus* etc., Hostia maneat super Patena, et ad sumptionem eiusdem sacrae Hostiae Assistens adiuvet Celebrantem superponens unam partem alteri, ac dein Patenam afferens vultui Celebrantis; postea digitos purificet et abstergat.

XI. Collectis fragmentis, Celebrans haec digito colligat ad oram Patenae super Corporali; ac dein, Assistente sublevante Patenam super Calicem sinistra manu, dexteraque pedem Calicis tenente, in hunc fragmenta immittat.

XII. Assistens, ad Communionem et ad sumptionem purificationis Calicis, sinistra manu Patenam vultui Celebrantis admoveat.

XIII. Ad abluionem digitorum accipiendam Celebrans Calicem collocabit super Altare, in cornu Epistolae.

XIV. Denique Assistens Calicem abstergat, ac de more collocet in medio Altaris.

CAPUT XLII.

DE BINA MISSA AB EODEM SACERDOTE CELEBRANDA

1429. — Quando Sacerdos eadem die duas Missas celebrare debet in eadem Ecclesia, in prima Missa, sumpto pretioso Sanguine, non purificat neque abstergit Calicem, sed eum super corporale ponit et palla tegit, dein, iunctis manibus, in medio Altaris dicit: *Quod ore sumpsimus* etc., et subinde, in vase cum aqua pa-

rato, digitos abluit dicens: *Corpus tuum, Domine*, etc., ac abstergit. Hisce peractis, Calicem super corporale adhuc manentem, deducta palla, iterum disponit et cooperit, uti mos est, scilicet primum purificatorio, dein Patena ac palla et demum velo. Post haec Missam ut alias, quin in accessu ad medium et in recessu e medio genuflectere debeat (D. 1772 ad 7), proseguatur.

Absoluta Missa, Celebrans quin Calicem purificet si secundam Missam in eodem Altari celebrare debet, eum super Altare relinquit vel in Tabernaculo si adsit, reponit. Secus vero Calicem in Sacristiam defert ibique super corporale vel pallam in aliquo loco decenti et clauso collocat et super Patenam collocat Hostiam consecrandam.

1430. — Celebrans, assumptis sacris vestibus pro secunda Missa si Calix super Altare sit, procedit iunctis manibus, alias, more solito, defert Calicem illumque super corporale extensum reponit.

Cum ad Offertorium devenerit, ablato velo de Calice, hunc versus cornu Epistolae parumper collocat, sed non extra corporale; Hostiae oblatione peracta, Calicem purificatorio non abstergit, sed eum intra corporale relinquens leviter elevat, vinumque et aquam eidem caute infundit, ipsumque Calicem, nullatenus ab intus abstersum, more solito offert.

1431. — Si vero Missae in variis celebrantur Ecclesiis, tunc Celebrans, divino Sanguine sumpto, se gerit ut supra, sed post lectionem ultimi Evangelii rursus in Altaris medio consistit, et, detecto Calice, introspicit num gutta quaequam pretiosi Sanguinis, uti plerumque accidit, ad imum fluxerit. Quae si adhuc supersit, illam sedulo lambens hauriat, et quidem ex eadem parte, qua paulo ante pretiosum Sanguinem sumpsit. Deinceps in Calicem quantum antea vini, nunc tantumdem aquae infundat et intus circum undique agitet, et ex parte sumptionis uti supra, in paratum vas percolando ingerat. Calicem exinde purificatorio abstergat, ac de more obtegat et continuo ab Altari recedat.

Depositis sacris vestibus, et gratiarum actione completa, aqua e Calice demissa, pro rerum adiunctis, vel ad diem crastinum servetur (si nempe eo rursus Sacerdos redeat, Missam habiturus), et in exequenda purificatione in Calicem demittatur, vel gossypio aut stappa absorta comburatur, vel in sacrario, si sit, exsiccanda relinquatur, vel demittatur in piscinam (D. 3068 ad 2; Rit. Rom., Append. De Sanctiss. Euch.).

1432. — Suprema S. C. S. Officii per litteras locorum Ordinariis datas die 22 Martii 1923, ipsis Ordinariis facultates concessit dispen-

sandi ob gravem causam a lege ieiunii eucharistici Sacerdotes Missam eodem die iterantes aut etiam tardiore hora ad sacrum Altare accedentes, quum spirituale fidelium bonum id exigat, non vero ob privatam ipsorum Sacerdotum devotionem aut utilitatem: hisce tamen sub conditionibus, ut non nisi aliquid *per modum potus, exclusis inebriantibus*, sumere permittatur, et efficaciter scandalum removeatur et quam primum S. Sedes de concessa dispensatione certior fiat.

Itaque exortum est dubium an Sacerdotes dispensati a ieiunio eucharistico ante secundam Missam, sumere possint *ablutionem in prima Missa*: cui dubio S. C. S. Officii per Decretum diei 16 Novembris 1923, *affirmative* respondit, Summo Pontifice approbante.

CAPUT XLIII.

DE MINISTRO IN MISSA PRIVATA

ARTICULUS I.

De Ministri praeparatione.

1433. — Sacrosancto Missae Sacrificio Clericus seu Religiosus aliquis suo habitu indutus inserviet, cum debita sacro loco, tantaeque Maiestati reverentia. Verumtamen ex consuetudine ministrare quibit Saecularis, modo idoneus sit, honestus ac decenter vestitus (DD. 4271 ad 1; 4328).

1434. — In Missis stricte privatis unus tantum Minister admitti potest (D. 3059 ad 7) sive a simplici Sacerdote, sive a Praelatis Episcopo inferioribus ipsae celebrentur (DD. 1131 ad 21; 2583 ad 6; 3262 ad 18; 4154, I, 10; II, 31; III, 49). Duo Ministri tolerantur pro Missis quae aliquam solemnitatem habent, prout sunt Missae Conventuales, Parochiales et aliae quae loco solemnitas, occurrente aliquo Festo, celebrantur (D. 3059 ad 7).

1435. — Praefatus itaque Minister, lotis prius manibus ac brevi facta oratione, ad Altare, ubi Sacrum est faciendum, necessaria (nisi iam praeparata fuerint) deferet, nempe ampullas vitreas vini et aquae una cum pelvicula, linteum mundum atque campanulam,

reponenda in fenestella seu parva mensa e cornu Epistolae, ac binos cereos super Altare accendet, facto initio a cornu Epistolae (D. 4198 ad 9).

1436. — Ad Sacristiam postea reversus, Celebrantem adiuvabit dum sacris se vestit indumentis, stans a sinistris eius. Ac primo amictum ei porrigit extensum. Postmodum ambabus manibus albam accipiet, eamque prius revolutam ab ea parte, quae pendere debet a tergo, circa collum Celebrantis imponet, dehinc dexteram manicam elevabit, postea sinistram, ut facilius brachia Celebrantis in eas immitti queant, atque albam ipsam circa humeros, brachia, totumque corpus distendet et aptabit. Mox cingulum a tergo (cum floccis a dextero latere) praebet, atque elevabit albam super cingulum circumcirca, ut decenter dependeat, vestemque tegat; et illius fimbrias diligenter adeo componet, ut quanta est digiti latitudo ad terram hinc inde aequaliter defluant. Postea accipiet manipulum, quem Celebranti in medio osculandum offeret, eiusque brachio sinistro pulsum inter et cubitum firmabit. Deinceps utraque manu capiens stolam simili modo Sacerdoti tradet osculandam, et sibi ipsi propriis manibus imponendam, quam eius collo sic aptabit, ut a planeta, quae superinducenda erit, contegatur, non revolendo tamen Crucem stolae supra Celebrantis dorsum. Postremo, plicata super mensam posteriori parte planetae, eam dumtaxat elevabit, ut Sacerdos commode ipsam induere possit; quam postea circa collum et humeros accommodabit.

1437. — Hisce peractis, Celebranti porriget biretum, si eo utatur; accipiet Missale, quod portabit erectum ante pectus, manus apponens eius angulis inferioribus, partemque qua aperitur obversam tenens ad propriam sinistram; tum, facta simul cum Celebrante praecipuae Sacrae Imagini profunda inclinatione, accedit ad vas aquae benedictae, quae plerumque in ipsius Sacrae ingressu reperitur, et Celebranti aquam lustralem indice dextero vel aspersorio comiter offert, si commode fieri potest (D. 2514 ad 4), et seipsum signat.

ARTICULUS II.

De ingressu ad Altare.

1438. — Minister campanulam, si ibi adsit, pulsat, ipsumque Celebrantem tribus, quatuorve passibus praecedens, ad Altare progreditur, demissis oculis, incessu gravi, et capite semper detecto.

Si Sacristia sita est post Altare, egredietur per cornu Evangelii, et, absoluta Missa, per cornu regredietur Epistolae (D. 3029 ad 12).

Si contigerit ut pertranseat ante Altare pro quo ipse Celebrans aliquam inclinationem praestare tenetur (v. n. 1347), Minister genuflectit a sinistris Celebrantis; quando vero Celebrans utrumque flectere genu tenetur, et ipse Minister utrumque flectit genu, nec surgit antequam Celebrans surgat.

Si obviam alicui Sacerdoti, sacris induto vestibus, veniat, eum salutet, et propriam tenens dexteram procedet.

Denique si Altare ita situm sit, ut Sacerdos ad illius medium accedere nequeat, quin ante cornu Epistolae transeat, Minister aliquantis retrocedens, aditum illi praebebit; quod semper in similibus efficiendum erit.

1439. — Cum ad Altare pervenerit, sistit ad dexteram Celebrantis tantillum post ipsum, accipit biretum, si eo utatur, ac genuflectit, quod iugiter praestabit quacumque vice ante medium Altaris transibit, vel ab eo recedet aut ad illud accedet sive SS. Sacramentum in Altari asservetur, sive non (D. 4193 ad 1). Deposito bireto extra Altare congruo in loco, per cornu Epistolae ascendit ad Altare, ubi Missale clausum super legile sic statuit, ut pars qua aperitur obversa iaceat ad cornu Evangelii; tum descendit in planum, et, cum genuflexione in medio Altaris, se infert ad cornu Evangelii seu ad sinistram Celebrantis aliquantulum post ipsum; ibique, in plano genuflexus, clare ac devote Celebranti respondet, iunctas tenens manus.

ARTICULUS III.

De principio Missae et aliis usque ad Offertorium.

1440. — Quum Sacerdos Missam inchoat dicens: *In nomine Patris* etc., Minister se signat cum eo a fronte ad pectus, et ab humero sinistro ad dexterum, sinistra interim infra pectus demissa. Quotiescumque Celebrans se signat, vel inclinatur, dum clara voce aliquid profert, excepto dum recitat *Confiteor Deo* etc., Minister se ei conformare tenetur (D. 4057 ad 5). Ad Antiphonam: *Introibo ad Altare Dei*, respondet: *Ad Deum, qui laetificat iuventutem meam*, et sic alternatim ad Psalmum *Iudica* (v. n. 1352), si dicendus sit, conformans vocem suam voci Celebrantis, atque inclinans caput ad: *Gloria Patri* etc. Dehinc responso: *Ad Deum, qui laetificat* etc., post repetitam Antiphonam: *Introibo* etc., se iterum signat cum Cele-

brante ad: *Adiutorium nostrum* etc., ac subdit: *Qui fecit caelum et terram*. Expleto exinde a Celebrante *Confiteor Deo* etc., (quo tempore erectus sistit), statim subiungit aliquantulum inclinatus atque ad illum conversus: *Misereatur tui omnipotens Deus, et, dimissis peccatis tuis, perducatur te ad vitam aeternam*.

Responso *Amen* a Celebrante, Minister erga Altare mediocriter inclinatus recitat: *Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semper Virgini, beato Michaëli Archangelo, beato Ioanni Baptistae, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis, et tibi, Pater: quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere: mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaëlem Archangelum, beatum Ioannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et te, Pater, orare pro me ad Dominum Deum nostrum*.

Ad verba: *tibi, Pater, et te, Pater*, Minister se ad Celebrantem vertit; ad verba autem: *mea culpa* etc., sinistra infra pectus posita, ter dextera pectus percutit.

Dicto a Celebrante: *Misereatur vestri* etc. se erigens subdit: *Amen*, et se signat ad *Indulgentiam* etc., in cuius fine subiicit *Amen*. Deinceps ad: *Deus tu conversus* etc., inclinet se mediocriter, ac respondet alternatim ut supra n. 1352.

1441. — Ad *Introitum* signo Crucis se munit cum Celebrante, et caput flectit ad *Gloria Patri* etc., dicens postea alterne cum eodem Celebr. *Kyrie, eleison*.

Minist. *Kyrie, eleison*.

Celebr. *Kyrie, eleison*.

Minist. *Christe, eleison*.

Celebr. *Christe, eleison*.

Minist. *Christe, eleison*.

Celebr. *Kyrie, eleison*.

Minist. *Kyrie, eleison*.

Celebr. *Kyrie, eleison*.

Quibus absolutis, se pariter inclinatur dum Celebrans, recitans Angelicum Hymnum, si eidem locus adsit, dicit: *Deo; Adoramus te; Gratias agimus tibi; Iesu Christe; Suscipe deprecationem nostram; et iterum, Iesu Christe; dum vero profert: Cum Sancto* etc., se pariter signat.

1442. — Minister ad: *Dominus vobiscum*, respondet: *Et cum spiritu tuo*; caput flectit, prout Celebrans, ad: *Oremus*, et ad nomen Iesu,

SS. Trinitatis, Mariae, et Sancti, de quo Missa celebratur, vel cuius fiat specialis Commemoratio, nec non ad nomen Papae viventis. In conclusione primae et ultimae Orationis subiicit: *Amen*; et ad: *Flectamus genua*, respondet *Levate*, quin tamen assurgat. Rursum post quamlibet Epistolam seu Prophetiam, excepta illa Danielis in Sabbato Quatuor Temporum, respondet: *Deo gratias*. Sub finem Gradualis, *Alleluia*, Tractus vel Sequentiae, graditur per planum, cum genuflexione in medio Altaris, ad cornu Epistolae, ibique ambabus manibus accipit Missale una cum legili, atque ad suam sinistram se obvolvens, transfert illud ad cornu Evangelii, genuflectens ut supra.

1443. — Missali super Altare oblique deposito, ita ut Celebrans Evangelium legens, et ante librum consistens, mediam veluti vultus partem ad populum conversam habeat, per gradus laterales descendit in planum, ubi stans versus Altare respondet: *Et cum spiritu tuo*; et: *Gloria tibi, Domine*, ac sinistra pectori admota, pollice dexterae se signat in fronte, ore et pectore, sicut Celebrans. Dehinc se recipit ad cornu Epistolae, cum genuflexione uti supra innuimus, ac sistit, manibus iunctis, prope anteriorem illius gradum, facie ad Celebrantem versa, genuflectens erga Altare, si ritus ferat, atque in fine respondens: *Laus tibi, Christe*; quod aequae praestabit sub finem partis Passionis, quae loco consueti Evangelii legitur.

1444. — Responso: *Laus tibi, Christe*, ibi de more genua flectit, et, si Symbolum locum habeat, caput inclinatur ad verba: *Deum; Iesum Christum; Et incarnatus etc.* atque *Simul adoratur*, nec non se signat, dum Celebrans profert: *Et vitam venturi saeculi. Amen*.

ARTICULUS IV.

De Offertorio et aliis usque ad Consecrationem.

1445. — Dicto a Celebrante ante Offertorium *Dominus vobiscum*, Minister subiungit: *Et cum spiritu tuo*, ac dum Celebrans legit Offertorium, pergunt ad abacum, sumit linteam, illudque extendit super Altare in cornu Epistolae; tum plicato (si opus fuerit) Calicis velo, statutoque prope tabellam secretarum extra corporale, ad abacum redit, ex eo vini et aquae ampullas apprehendit, atque, utraque manu, defert eas cum pelvicula ad Altare, ac linteo superimponit. Deinceps ibidem sistens ad latus Epistolae, dextera accipit in ima parte ampullam vini, quam deosculatur ac Celebranti porrigit, quin

eius osculetur manum; sinistra postmodum accepta ab eodem ampulla vini, dextera praebet illi ampullam aquae; qua postea in dextera recepta, reponit super pelviculam, et ad abacum defert ampullam vini. Reversus iterum ad cornu Epistolae, paululum sublevat linteam super Altare, ut facilius a Celebrante capi queat, et sinistra pelviculam tenens, dextera vero ampullam aquae, stans in gradu suppedaneo propiori, infundit aquam super extremitatem utriusque pollicis et indicis Celebrantis, donec signum desinendi dederit, elevando nimirum pauxillum manus; tunc aquam in congruum proicit locum, ampullam vero, pelviculam, ac linteam plicatum ad abacum reportat. Denique, sumpta campanula, se confert ad anteriorem partem Epistolae, ibique genuflectit super infimum Altaris gradum.

1446. — Minister manens genuflexus, ut supra, ad: *Orate, fratres*, postquam Celebrans circulum perfecit, respondet quin corpus aut caput inclinet: *Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis, ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, totiusque Ecclesiae suae sanctae.*

Rursum respondet ad Praefationem:

Celebr. *Per omnia saecula saeculorum.*

Min. *Amen.*

Cel. *Dominus vobiscum.*

Min. *Et cum spiritu tuo.*

Cel. *Sursum corda.*

Min. *Habemus ad Dominum.*

Cel. *Gratias agamus Domino Deo nostro.*

Min. *Dignum et iustum est.*

Cum vero Celebrans pronuntiat verba: *Deo nostro*, Minister caput inclinatur.

1447. — Ad *Sanctus*, etiamsi Missa celebretur in Oratorio privato (D. 3638 ad 3), Minister ter campanulam pulsatur duobus ictibus pro singulis ternis vicibus usque ad: *Benedictus*, ad quod, deposito tintinnabulo, se signat cum Celebrante.

Campanula pulsanda non est: I. tempore quo SS. Sacramentum expositum sit, sive Missa celebretur ad Altare expositionis sive ad alia (DD. 3157 ad 10; 3448 ad 2). — II. Dum in Choro Horae Canonicae recitantur, vel Missa Conventualis celebratur. — III. Quo tempore per Ecclesiam fiunt Processiones, Exsequiae aut Absolutiones Defunctorum, vel Missa canitur, aut aliae fiunt publicae Functiones (D. 3814 ad 2).

1448. — Deinde accendit cereum in candelabro maiori ad cornu Epistolae, ubi haec adest consuetudo, vel ab Ordinario expresse est praeceptum (D. 4141 ad 6); et hic cereus non erit extinguendus, nisi postquam Sacerdos pretiosum sumpserit Sanguinem, vel alios, si qui sunt, communicaverit; deinceps flectit genua uti prius.

ARTICULUS V.

De Consecratione et aliis usque ad finem Missae.

1449. — Parum ante consecrationem expedit ut Minister aliquod campanulae signum det, iuxta communem Ecclesiarum praxim (D. 4377); dein, si Altare plures habeat gradus, ascendit ac genuflectit in ora suppedanei, atque ad elevationem tum sacrae Hostiae, tum Calicis sinistra aliquantulum sublevat in medio (absque osculo) posteriorem planetae fimbriam; dextera vero ter campanulam pulsat, prout supra ad *Sanctus* declaratum est, nimirum prima vice quando Celebrans genuflectit, altera dum sacram Hostiam elevat, tertia quando iterum genuflectit; eodem modo se gerit ad elevationem Calicis. Potest etiam Minister campanulam continue, sed modeste pulsare, nempe a genuflexione praecedente elevationem sacrae Hostiae usque ad genuflexionem illam sequentem; similiter ad elevationem Calicis (Rubr. Gen. Miss. — Rit. cel. M. tit. VIII, n. 6).

1450. — Completa elevatione, ad priorem locum secedit, et genuflectit. Ad: *Per omnia saecula saeculorum*, ante Dominicam Orationem, respondet: *Amen*. Dicto a Celebrante: *Et ne nos inducas in tentationem*, Minister subdit: *Sed libera nos a malo*. Et rursum respondet: *Amen*, ad: *Per omnia* etc.; necnon: *Et cum spiritu tuo*, post: *Pax Domini sit semper vobiscum*.

Ad *Agnus Dei* (in Missis vivorum) Minister, sinistra interim infra pectus posita, dextera ter vicibus sibi pectus percutit.

1451. — Dum Celebrans, post Communionem sub specie panis, Calicem discooperit, Minister surgit, et, facta ibidem genuflexione cum Celebrante, pergat ad abacum secum deferens campanulam; qua deposita, nisi Sacra Communio distribuenda sit, dextera apprehendit ampullam vini, et sinistra ampullam aquae, absque operculis; tenensque eas ante pectus elevatas, accedit ad latus Epistolae, ubi genuflectit in ora suppedanei, quousque Celebrans divinum Sanguinem sumpserit; tunc illico surgit, ac extendens brachium dexterum super Altare infundit vinum in Calicem ad beneplacitum Celebrantis.

Tum rursus, eodem modo, infundit vinum et aquam in medio Calicis supra pollices et indices eiusdem Celebrantis pro eorum ablutione.

1452. — Si Sacra Communio distribuenda sit, dum Celebrans pretiosum Sanguinem sumit, Minister genuflectit ad gradum lateralem in cornu Epistolae, ibique mediocriter inclinatus dicit: *Confiteor* (v. n. 1440) more solito, respondet Celebranti ad: *Misereatur* etc., dein accipit ex Altari patinam et primo Communicando eam porrigit.

1453. — Reportatis ampullis ad abacum, suisque operculis coniectis, cereum magni candelabri (ubi est) extinguit; mox, cum solitis genuflexionibus Altari, transfert Missale ad cornu Epistolae, quod statuit uti ante Introitum, quin folia vertat (D. 3448 ad 14), ac postea redit ad cornu Evangelii, ibique genuflexus super infimum Altaris gradum, respondet: *Et cum spiritu tuo*, ad: *Dominus vobiscum*, et *Amen* ad Orationes, iuxta morem. Ad: *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, subdit: *Deo gratias*; *Amen* vero ad: *Requiescant in pace*. Dum Celebrans benedictionem populo impertit, se signat et subiungit *Amen*; deinde erectus respondet: *Et cum spiritu tuo*, et: *Gloria tibi, Domine*, signans se ut diximus de priori Evangelio (v. n. 1443). Postmodum, debita cum genuflexione in medio Altaris, transit ad cornu Epistolae, ubi stat dum legitur Evangelium, genuflectens cum Celebrante erga Altare, ac sub exitum respondens: *Deo gratias*. At si aliud Evangelium ab illo consueto S. Ioannis legendum sit, quod facile dignoscet ex libro relicto super Altare aperto, tunc, cum genuflexione, ut supra, defert Missale ad partem alteram, quum Celebrans dicit: *Placeat tibi, sancta Trinitas*, etc.

1454. — Expleto ultimo Evangelio, si Preces a Summis Pontificibus praescriptae recitandae sint, Minister tabulam Precum accipit, eamque Celebranti praebet, et, genuflexus super Altaris gradum, alternatim cum eodem Celebrante Preces recitat.

Absolutis precibus, super abacum Precum tabulam deponit et per gradus a latere Altaris ascendit suppedaneum; accipit Missale, deinde descendens in planum accipit et porrigit, cum consuetis oculis, biretum Celebranti, quem praecedit rediens in Sacristiam; ubi facta Imagini principali profunda inclinatione, et mediocri Celebranti, Missale loco congruo deponit, atque in exuendis paramentis Celebrantem a sinistris adiuvat.

1455. — His peractis, Minister rursus ad Altare se confert ut candelas extinguat incipiendo a cornu Evangelii (D. 4198 ad 9) et ut ampullas cum pelvicula in Sacristiam reportet.

CAPUT XLIV.

DE MINISTRO IN COMMUNIONE AD POPULUM
IMMEDIATE ANTE VEL POST MISSAM

1456. — Si Sacra Communio ministranda sit immediate ante Missam, Minister, collocato Missale super legile, genuflexus ad latus Epistolae super infimum Altaris gradum recitat: *Confiteor Deo* etc. (v. n. 1440).

Si, ob lucis defectum, necessarium est, assumpto parvo candelabro cum candela accensa, Celebrantem a sinistris in distributione Sacrae Communionis comitatur.

Ad: *Panem de caelo praestitisti eis*, respondet: *Omne delectamentum in se habentem*. Tempore vero Paschali et per Octavam Corporis Christi additur: *Alleluia*.

Ad: *Domine, exaudi orationem meam*, respondet: *Et clamor meus ad te veniat*, et ad: *Dominus vobiscum*, respondet: *Et cum spiritu tuo*.

Benedictione a Celebrante impertita, Minister se confert ad cornu Evangelii et se geret ut supra (v. n. 1439).

1457. — Si Sacra Communio ministranda sit immediate post Missam, tunc Minister, Precibus, a Summis Pontificibus praescriptis, absolutis, *Confiteor Deo* etc. (v. n. 1440) recitat, et se geret ut praecedenti numero; deinde benedictione a Celebrante impertita, per gradus a latere ascendit suppedaneum, accipit Missale etc. (v. n. 1454).

CAPUT XLV.

DE MISSA PRIVATA CORAM SS. SACRAMENTO EXPOSITO

ARTICULUS I.

De Celebrante.

1458. — Celebrans cum ad Altare pervenerit caput aperit, biretum Ministro tradit et genua in plano flectit cum mediocri corporis inclinatione (DD. 2390 ad 4; 2427 ad 10; 2682 ad 47, 49; 3434 ad 6; 4179 ad 1). Quod si inter manus Calicem non habeat, caput aperit statim ut Sacramentum viderit et, biretum in manu tenens, usque

ad sacelli ingressum procedit ibique Ministro biretum porrigit: genua in plano flectit et profunde caput inclinat, Altare ascendit; Calice super corporali more solito aptato, genuflectit, et secedit ad cornu Epistolae ad Missale aperiendum; quo peracto, redit ad medium Altaris cum genuflexione, et, se aliquantulum retrahens ad Evangelii cornu, descendit in planum, ubi postquam genuflectit super infimum Altaris gradum (D. 2682 ad 47), Missam inchoat ut alias. Facta vero Confessione etc., sine genuflexione ad suppedaneum ascendit, et, priusquam incipiat: *Oramus te, Domine*, etc., genuflectit; Altari deosculato, iterum genuflectit atque pergat ad legendum Introitum; quo lecto, rediens ad medium, antequam *Kyrie* incipiat, genuflectit.

1459. — Cum versus populum pronunciare debet: *Dominus vobiscum*, si est in medio Altaris, prius osculatur Altare, dehinc genuflectit, ac postea vertit se ad populum; contra si venit ad medium Altaris, prius genuflectit, dehinc osculatur Altare, ac postea vertit se ad populum. Se porro ad populum convertit extra Altaris medium, nimirum abducendo se aliquantulum ad cornu Evangelii, faciemque vertendo ad cornu Epistolae; pronunciato autem: *Dominus vobiscum*, per eandem viam se obvertit ad medium Altaris cum genuflexione, tam si ibidem sistat, quam si ad Missale accedere debeat.

De Oratione SS. Sacramenti vide quod diximus sub n. 1073 et 1074.

1460. — Si Orationi praemittendum esset: *Flectamus genua*, tunc genuflectit more solito, facie ad librum versa (D. 2859).

1461. — Dum Celebrans legit Epistolam, Graduale vel quid aliud, si quaedam ipsi verba occurrant in quibus genuflectendum est, versus SS. Sacramentum genuflectere debet. Genuflectit ante et post: *Munda cor meum* etc.

1462. — Si Missale ad aliud Altaris cornu ipse Celebrans transfert non debet genuflexionem agere dum transit ante medium, sed tantum caput inclinet; genuflectit vero quando revertitur ad medium dicitur: *Munda cor meum* etc. (D. 4198 ad 12).

1463. — Si in lectione Evangelii genuflectendum, se ut in lectione Epistolae etc. gerit (D. 3875 ad 4).

1464. — Ante: *Credo* genuflectit; quo recitato, osculatur Altare, genuflectit iterum et conversus ad populum uti n. 1459 explicuimus,

profert: *Dominus vobiscum*; tum vertit se ad Altare cum genuflexione, et dicit: *Oremus*. Rursum genuflectit priusquam se inferat ad cornu Epistolae ut vinum in Calicem infundat, ac denuo reversus ad medium Altaris.

1465. — Dicto: *Veni, sanctificator* etc., benedictisque Oblatis, flectit genu, et accedens ad cornu Epistolae, descendit in secundum gradum lateralem, vel in planum iuxta consuetudinem (D. 2682 ad 48), ubi per suam sinistram ad populum conversus, ne terga vertat SS. Sacramento, lavat et abstergit manus; ascendit suppeditaneum ad absolvendum Psalmum in loco consueto; deinceps graditur ad medium Altaris, ac genuflectit. Post Orationem: *Suscipe, sancta Trinitas*, etc., osculatur Altare, genuflectit, ac tantisper deflectens ad cornu Evangelii, ut n. 1459 animadvertimus, dicit: *Orate, fratres* etc., et non perficit circulum, sed per viam eandem rediens ad medium Altaris, genuflectit; et prosequitur Secreta, ac cetera usque ad Communionem, ut in aliis Missis.

1466. — Postquam purificationem hauserit, posito Calice super corporale, genuflectit; dein, Calice more solito apprehenso, adit cornu Epistolae, et, facta in illo digitorum ablutione, digitisque extensis, rediens ad medium Altaris iterum genuflectit. Idipsum praestabit antequam pergat ad cornu Epistolae ad legendam Communionem; ac rursus post reditum ad medium dicturus: *Dominus vobiscum*, circa quod perficiet quae supra diximus.

Completis Orationibus, graditur ad Altaris medium, genuflectit, osculatur Altare, et versus populum in cornu Evangelii, ut supra, profert: *Dominus vobiscum*, et: *Ite Missa est*, seque vertens ad Altare iterum genuflectit.

Si *Benedicamus Domino* dicendum esset, post: *Dominus vobiscum*, se ad Altare convertit et, priusquam illa verba dicat, genuflectit.

1467. — Dicto: *Placeat tibi* etc., Altare osculatur et dicit: *Benedicat vos omnipotens Deus*, caput non inclinatur, sed genuflectit; mox conversus ad populum in cornu Evangelii, illum benedicit more solito, et non perficit circulum, sed ibidem volvens se ad Altare continuo subdit: *Dominus vobiscum*, ac legit Evangelium, non signans Altare, si SS. Sacramentum super mensam consistit, sed seipsum tantum et tabellam, si adsit, et ad: *Et Verbum caro factum est*, flectit genu aliquantulum versus SS. Sacramentum (D. 3875 ad 4).

1468. — Expleto Evangelio, accedens ad medium Altaris genuflectit; gradus descendit, genua flectit et cum populo alternatim

praescriptas preces recitat. Deinde surgit, Altare conscendit, genuflectit, Calicem prehendit, et se tantillum abducens ad cornu Evangelii, in planum descendit ubi, facta genuflexione utriusque genu cum profunda inclinatione, caput cooperiet, se erigit et ad Sacrarium procedit.

Si vero Calicem ipse non ferat, caput cooperiet, cum extra SS. Sacramenti conspectum pervenerit.

1469. — Omnes genuflexiones, quae fiunt coram SS. Sacramento publice exposito, observari etiam debent si Missa dicatur coram Sanctissimo exposito quidem sed velato vel in Pyxide (D. 2427 ad 10).

1470. — In Missa coram SS. Sacramento exposito, nequaquam distribuenda est Sacra Communio (DD. 3448 ad 1; 3482; 3525 ad 4; 4353). Attamen si, ob alterius Altaris defectum, distribui necesse sit, tunc Sacerdos cum dicit: *Ecce Agnus Dei* etc., ac intra distributionem, attendit dumtaxat ad Sacramentum, quod prae manibus tenet, nulla habita ratione expositionis; cavebit tamen, in quantum fieri potest, ne terga vertat SS. Sacramento in Altari exposito.

ARTICULUS II.

De Ministro.

1471. — Minister, in Missa coram SS. Sacramento exposito, dum a Sacratio egreditur parvum signum cum solita campanula dabit, statimque ut in conspectum SS. Sacramenti devenerit, accipit a dextris Celebrantis biretum, si eo utatur, et in plano ante infimum Altaris gradum ad cornu Epistolae utrumque flectit genu (D. 3426 ad 6) et mediocriter se inclinatur (D. 4179 ad 1) una cum Celebrante. Mox erectus, biretum deponit, atque cetera perficit de more, at infra Missam unicum flectit genu in plano ante medium Altaris, quoties genuflectendum est (D. 3426 ad 6). Ad Offertorium vero genuflectit in plano ad cornu Epistolae, tam ante ascensionem ad Altare quam post descensionem de eodem (D. 3975 I, ad 2); ampullas vini et aquae non deosculatur cum eas Celebranti porrigit. Ad manuum lotionem vero sistit in plano vel in secundo gradu lateris Altaris, tergum obvertens populo, et faciem Celebranti. Ad *Sanctus* et ad elevationem non pulsatur campanula (D. 3448 ad 2).

Ad purificationem antequam ad Altare ascendat et postquam de eodem descenderit genuflectit in plano (D. 3975, I, ad 2).

Absoluta Missa, in plano a dextris Celebrantis genuflectit cum eo utroque genu, ac mediocriter se inclinat, ut initio Missae; tum assurgens antecedit Celebrantem, more solito, eidem porrigens biretum, si eo utatur, extra conspectum SS. Sacramenti.

CAPUT XLVI.

DE MISSA PRIVATA DE REQUIE

1472. — Ante Missam de Requite, pro temporis opportunitate non omittuntur quinque Psalmi etc. ad praeparationem cum *Gloria Patri* etc. in fine, itemque cum *Alleluia* tempore paschali post Antiphonam. Rursum nec omittuntur oscula amictus, manipuli et stolae, nec preces consuetae dum Celebrans se sacris induit vestibus.

1473. — In Missae initio omittitur Psalmus 42: *Iudica* etc., sed, dicta Antiphona: *Introibo ad Altare Dei*, et responso a Ministro: *Ad Deum* etc., Celebrans illico subiungit *Adiutorium nostrum* etc., ac reliqua de more. Ad Introitum non se signat, sed sinistra super Altare posita (D. 2572 ad 25), dexteram extendens efficit signum Crucis super librum, quasi aliquem benedicens. Post Versiculum Psalmi non profert: *Gloria Patri* etc., sed statim repetit Introitum: *Requiem aeternam* etc., absque signo Crucis. Omittitur: *Gloria in excelsis* etc.

1474. — In die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, in die obitus seu depositionis, in die opportuniori post acceptum mortis nuntium et diebus tertia, septima, trigesima et anniversaria ab obitu vel depositione atque in quotidianis quae respondent Officio Defunctorum celebrato sub ritu duplici dicitur unica Oratio.

1475. — Si defunctus fuerit Summus Pontifex, Missa sumitur quae primo loco posita est in die Comm. Omn. Fid. Def. cum Orationibus propriis quae habentur inter Orationes diversas pro Defunctis. Idem servatur pro defunctis Cardinalibus, Episcopis et Sacerdotibus, cum Orationibus propriis item ut inter Orationes diversas.

1476. — In omnibus vero Missis quotidianis, quando applicantur pro Defunctis in genere, scilicet pro omnibus fidelibus Defunctis,

Orationes dicuntur prout prostant in Missali et eodem ordine quo sunt positae, neque alia substitui potest. Si celebretur pro Defuncto vel Defunctis certo designatis (etiamsi eorum nomina ignorentur) prima Oratio erit conveniens Defuncto vel Defunctis pro quo, vel pro quibus Missa offertur, eam seligendo ex Orationibus diversis quae in Missali exstant; secunda ad libitum, tertia: *Fidelium* etc. Si vero celebretur pro Defunctis non designatis, vel si designatio ignoretur (uti si Missa applicanda sit non pro Defunctis sed pro vivis, aut ignoretur utrum Missa applicanda sit pro vivis an pro Defunctis, pro omnibus aut pro aliquo vel aliquibus Defunctis etc. — *Eph. Liturg.* ann. 1931, pag. 218), prima Oratio erit: *Deus, veniae largitor* etc.

1477. — Ad litteram N., quae in aliquibus Orationibus posita est, nomen Defuncti exprimitur, scilicet nomen baptismale, si saecularis; nomen religionis, si Religiosus. Dignitas et Titulus addi nequit; excipitur tamen dignitas S. Pontificis, Cardinalis, Episcopi et Sacerdotis quae exprimi debet.

Si Missa legatur pro uno et una defunctis dicatur in Oratione «*famuli et famulae tuae*» quando non exprimuntur nomina; secus dicatur «*famulorum tuorum*» (D. 4074 ad 7).

1478. — In omnibus tamen quotidianis Missis lectis addere licet ad libitum Sacerdotis alias Orationes, impari cum aliis praescriptis servato numero, dummodo septenarium numerum non excedant, et ultimo loco ponatur semper Oratio: *Fidelium* etc.

1479. — In omnibus Missis cum unica Oratione, addenda est Sequentia. In aliis Missis quotidianis lectis dici vel omitti potest ad libitum Celebrantis.

1480. — Non dicitur: *Iube, Domine, benedicere*, nec: *Dominus sit in corde meo* etc., sed Celebrans post: *Munda cor meum* etc., confestim se infert ad legendum Evangelium, more consueto, sub cuius finem neque osculatur librum, neque subiicit: *Per Evangelica dicta* etc. (D. 2956 ad 10). Omittitur *Credo* etc., ac benedictio aquae in Calicem infundendae; de more tamen adiungitur Oratio: *Deus, qui humanae substantiae* etc. Post Psalmum 25: *Lavabo* etc., omittitur: *Gloria Patri* etc., nec in eius locum dicitur: *Requiem aeternam* etc. Dicitur Praefatio propria, *Communicantes* vero semper de Comuni. Ad: *Agnus Dei* etc., loco: *Miserere nobis*, dicitur: *Dona eis requiem*, et pro: *Dona nobis pacem*, dicitur: *Dona eis requiem sempiternam*;

tunc vero non percutitur pectus, manus autem tenentur iunctae, sed non super oram Altaris positae. Praetermittitur prima Oratio ante Communionem, scilicet: *Domine Iesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis* etc., neque datur pax. Non pronuntiatur: *Ite Missa est*, nec: *Benedicamus Domino*, sed: *Requiescant in pace*, semper in plurali, et facie ad Altare conversa. Non datur benedictio, sed Celebrans post: *Placeat* etc. osculato Altari, incedit ad legendum, more solito, Evangelium: *In principio erat Verbum* etc. Tandem cum in Canone aut alibi in Missa de Requite nomen illius Sancti occurrit, cuius agitur Officium vel Commemoratio, numquam Celebrans caput inclinatur. Reliqua perficiuntur ut in aliis Missis.

1481. — Sacra Communio infra Missam de Requite ministrari potest ritu consueto, descripto sub n. 1405 et seqq. Data rationabili aliqua de causa, item ministrari potest immediate ante vel post Missam, ordine consueto, descripto sub n. 1424 et seqq., sed omitenda est benedictio, et tempore paschali omittuntur: *Alleluia* post Antiphonam: *O sacrum convivium* etc. et pariter post Versiculum: *Panem de caelo* etc. et dicitur Oratio: *Spiritum nobis* etc. (D. 3465).

CAPUT XLVII.

DE MISSA PRIVATA CORAM PRAELATIS MAIORIBUS VEL MAGNIS PRINCIPIBUS

1482. — Ea quae hic notantur observanda sunt coram S. R. Ecclesiae Cardinali ubicumque sit, extra Urbem; coram Legato Sedis Apostolicae in locis suae Legationis, Patriarcha in suo Patriarchatu, Archiepiscopo in sua Provincia, et Episcopo in sua Dioecesi, dummodo Praelati cum habitu dignitatis assistant.

1483. — In Presbyterio ante medium Altaris, vel e regione in cornu Epistolae, nisi aliud situs loci suadeat (Caer. Episc. L. I, cap. XXX, n. 1), praeparatur Faldistorium cum pulvinis coloris Missae, vel genuflexorium cum strato et pulvinis viridis, vel violacei coloris, pro diversis temporibus; si Praelatus sit Cardinalis, loco viridis coloris utendum est colore rubro. Super abacum in promptu sit pacis Instrumentum.

ARTICULUS I.

De Celebrante.

1484. — Celebrans convenienter Praelatum praecedit ad Altare, et, aptato Calice apertoque Missali, descendit ante infimum Altaris gradum ad cornu Evangelii; ibique consistit, facie versus cornu Epistolae conversa ac iunctis manibus. Si Praelatus pro loci opportunitate vel pro alia causa in cornu Evangelii sistat, tunc Celebrans descendit ad cornu Epistolae.

Praelato adveniente, Celebrans cum profunda reverentia salutatur et expectat signum incipiendi; quo accepto, profunde se Praelato inclinatur, et tantisper conversus ad Altare, in eodem Evangelii cornu, facta illi debita reverentia, vel genuflexione, Missam more solito inchoat.

Si vero Praelatus Celebrantem praeveniat ad Altare, tum Celebrans ad Altare pergat cum Calice ut alias, ac transiens ante Praelatum, eidem se inclinatur, capite cooperto; tum accedens ante infimum Altaris gradum, tantillum ad cornu Evangelii, ne Praelato ipsi terga obiciantur, caput detegit, et, exhibita Altari reverentia, vel genuflexione, ad illud ascendit, Calicem accommodat ac Missale aperit, ut mos est; postmodum descendit ante infimum gradum, et cetera perficit ut supra.

1485. — Ad: *Confiteor*, loco: *Vobis Fratres*, et: *Vos Fratres*, dicit: *Tibi Pater*, et: *Te Pater*, vertendo se ad Praelatum. At ubi plures adessent Praelati aequales, illa profert verba in numero plurali: *Vobis Patres*, et: *Vos Patres*. Dicto: *Oremus*, Praelato se profunde inclinatur, et accedit ad medium Altaris ante infimum gradum: ubi incipiens: *Aufer a nobis* etc., ascendit ad illud, ac Missam prosequitur ut alias. Post Evangelium non osculatur librum, neque subdit: *Per Evangelica dicta* etc.

Porro cavebit Celebrans ne Missam prosequatur donec Minister a Praelato ad Altare Missale retulerit et in legile locaverit.

Ad Offertorium ipse Celebrans benedicit aquam (Caer. Episc., L. I, cap. XXX, n. 3).

Expleta prima Oratione ante Communionem, Celebrans osculatur Altare in medio, dehinc instrumentum sibi a Ministro porrectum, dicens: *Pax tecum*, dein, reliquas, nulla interposita mora, prosequitur Orationes.

Ad benedictionem profert more solito: *Benedicat vos omnipotens, Deus*, ast conversus ad populum, Praelato profunde se inclinatur, quasi veniam benedicendi petens; tum erectus prosequitur: *Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus*, benedicens adstantes a parte ubi non est Praelatus, scilicet ex parte Evangelii, si Praelatus sit in medio.

1486. — Si Missa cum aliqua solemnitate celebrata fuit, ut per saepe in his casibus evenit, praescriptas preces a Summis Pontificibus post Missam privatam, omitti possunt (D. 4305); absoluta Evangelii lectione, Celebrans ibidem consistens, Praelato profundam facit inclinationem, nec prius discedit quam Praelatus abierit; quod si iste moram fecerit, Celebrans, apprehenso Calice, descendit ante infimum gradum aliquantulum ad cornu Evangelii; ubi, exhibita Altari reverentia, vel genuflexione, caput cooperit, et ad Sacrarium redit, Praelato in transitu caput coopertum inclinando.

Si vero Missa absque ulla solemnitate celebrata fuit, tunc Celebrans, lecto ultimo Evangelio, descendit ante infimum Altaris gradum ad cornu Evangelii vel ad cornu Epistolae (v. n. 1484), ibique genuflectit super gradum et, more solito, recitat praescriptas preces; quibus absolutis, surgit, profundam reverentiam Praelato facit, Altare ascendit, Calicem accipit et se, ut supra, gerit. Si Praelatus moram fecerit, Celebrans, precibus absolutis, reverentiam Praelato non peragit, Altare ascendit, Calicem accipit, descendit ante infimum gradum aliquantulum ad cornu Evangelii ubi, Altari reverentia, vel genuflexione, peracta, caput cooperit et ad Sacrarium revertitur, Praelato in transitu caput coopertum inclinando.

Si Missa erit pro Defunctis, neque Evangelii liber osculandus, neque Pax donabitur.

1487. — Si Celebrans Sacrum faciat coram Praelatis maioribus extra locum eorum iurisdictionis vel districtus, ita coram istis se gerit ac si non adessent; si excipias quod illis osculandum defertur Instrumentum pacis, et in accessu ac recessu ab Altari reverentia exhibetur.

1488. — Quod ad Magnos attinet Principes, Rubrica Missalis nihil habet; servari tamen poterunt et erga ipsos quae numero superiori de Praelatis, extra propriae iurisdictionis loca, ediximus; at si forte liber ipsis ad osculandum post Evangelium exhibeatur, non erit liber Altaris, quem Celebrans de more osculari debet, sed alius. Principissis autem nullus omnino exhibendus erit.

ARTICULUS II.

De Ministro.

1489. — Si aliquis ex Praelatis supra n. 1322 memoratis, Missae intersit, in habitu praelatitio, Minister procedens ad Altare, si iam ibi Praelatus adfuerit, eidem prius genuflectit, deinde Altari. Quum ab una parte ad aliam perrecturus est, advertere debet ne transeat ante Praelatum, sed post ipsum; at si id ob loci angustiam, aut constructionem, fieri nequeat, tum vero Altari genuflectit et Praelato, vel prius Praelato ac postea Altari, prout huic vel illi Minister prius occurrit.

1490. — Bireto deposito ac Missali, consuetis in locis, genuflectit in plano ad cornu Epistolae, dummodo ibi non adsit Praelatus quo casu collocat se, ut alias, ad partem Evangelii, ubi, exhibita Praelato profunda reverentia una cum Celebrante, aliquantulum facie ad Altare versa, Confessionem perficit cum suo Psalmo alternatim cum ipso Celebrante, ad quem, non vero ad Praelatum, conversus dicit: *Tibi Pater*, et: *Te Pater*, ac: *Misereatur tui*.

Expleta Confessione cum: *Deus, tu conversus* etc., se confert ad cornu Evangelii, ubi de more respondet ac manet, translato Missali, donec lectum fuerit Evangelium. Quo absoluto in Missa vivorum, nisi Praelatus Cappellanum habeat cum superpelliceo indutum, statim ex Altari sumit ac Praelato defert, absque reverentia, Missale deosculandum, eidem innuens principium Evangelii. Postmodum librum claudit, genuflectit Praelato, atque ad Altare redit; ubi in plano facta genuflexione, Missale uti prius reponit, ac, debitis cum reverentiis, pergat ad cornu Epistolae. At si ibi foret Praelatus aliis dignior, tunc ei soli praebetur illud osculandum. Si vero plures adessent aequales, v. gr. plures Cardinales, modo aliquis ex ipsis non foret Legatus a latere, nulli eorum defertur (Caer. Episc. L. I, cap. XXX, n. 3).

Quum Celebrans dicit: *Agnus Dei* etc., Minister, non vero in Missis de Requie, factis de more reverentiis, sumit ex abaco Instrumentum pacis cum velo coloris Missae congruentis eius manubrio appenso, ac in suppedaneo ad cornu Epistolae genuflexus, expectat usquedum Celebrans osculatus fuerit Altare; tunc eidem Instrumentum illud offert osculandum, respondens: *Et cum spiritu tuo*. Mox se erigens, genuflectit Sacramento, Instrumentum velo

abstergit, illudque, ut osculetur, defert Praelato, absque ulla reverentia, dicens: *Pax tecum*. Dehinc idem Instrumentum velo cooperit, et, facta Praelato reverentia ac Altari genuflexione, ad abacum reportat. At ubi plures fuerint Praelati, singulis praebet Instrumentum pacis, digniori primum, deinde aliis per ordinem, atque post osculum, non vero prius, debitam unicuique exhibet reverentiam, ac extergit Instrumentum.

1491. — Si Missa celebratur coram Praelatis maioribus extra locum eorum iurisdictionis, vel districtus, Minister accedens et recedens ab Altari, ac transiens ante ipsos non genuflectit, sed illis dumtaxat se profunde inclinatur (D. 3059 ad 20). Item nec eis Missale defert osculandum, sed tantummodo Instrumentum pacis. Quod aequae praestabit erga magnos Principes in locis eorum Ditionis.

APPENDIX I.

DE MISSA PONTIFICALI A PRAELATIS EPISCOPO INFERIORIBUS
CELEBRANDA

CAPUT I.

DE MISSA SOLEMNI PONTIFICALI AD THRONUM
AB ABBATIBUS VEL A PRAELATIS "NULLIUS",
ET AB ABBATIBUS REGULARIBUS DE REGIMINE CELEBRANDA

ARTICULUS I.

De iis quae praeparanda sunt.

1492. — Circa Ecclesiae et Altarium ornatum iam diximus in Capite XXXIV Partis primae.

I. - IN SACRISTIA CAPITULARI ET IN SACRISTIA MAIORI. — Omnia ut sub n. 818, I et II, praeterea in SACRISTIA MAIORI praeparantur pro Diacono: dalmatica, stola, cingulum, alba, amictus; pro Subdiacono: tunicella, cingulum, alba, amictus.

II. - AD ALTARE MAIUS. — Pariter omnia ut sub n. 818, III notavimus, sed super mensam disponuntur Praelati paramenta, quae velo eiusdem paramentorum coloris cooperiuntur, scilicet: planeta, dalmatica, tunicella, pluviale, stola, cingulum, alba, amictus; mitra auriphrygiata, in cornu Evangelii; simplex, in cornu Epistolae; chirothecae in lance.

III. - IN CORNU EVANGELII. — Thronus, ut notavimus sub n. 818, IV.

IV. - IN CORNU EPISTOLAE. — Paratur mensa ut sub n. 818, V diximus; super eam collocantur: Calix pro Missae celebratione cum suis ornamentis, scilicet: purificatorio, patena, palla, bursa cum corporali; super patenam ponitur hostia; prope Calicem ponitur

parvum velum plicatum; ampullae vini et aquae, eaque omnia velo humerali conteguntur; urceus cum pelvi et duo manutergia in lance; gremiale; Missale cum legili; Evangeliarium cum manipulo Praelati; Canon Pontificalis; Breviarium; palmatoria cum candela; lanx pro Cruce pectorali; caligae cum sandaliis in lance, velo coloris paramentorum coopertae; manipuli pro Ministris sacris; campanula.

Hinc inde mensae ponuntur duo scabella pro Ministris libri et candela.

In eodem cornu, pariter e regione Throni, vel alibi, pro loci opportunitate, adsit scabellum coopertum tapete, vel duo scabella pro Ministris sacris et scabellum pro Caeremoniario.

V. - E REGIONE ALTARIS vel alio convenienti loco in Presbyterio, collocantur sex scabella pro Canonicis, vel pro Monachis, paramentis indutis.

VI. - IN SACRISTIA ALTARI MAIORI CONTIGUA, vel, si possibile est, super mensam a tergo eiusdem Altaris praeparatam, collocantur: pluviale pro Presbytero Assistente; dalmaticae pro Diaconis Assistentibus; tres amictus.

VII. - AD ALTARE SS. SACRAMENTI. — Paratur genuflexorium nudum cum pulvinis coloris paramentorum, vel violacei.

Sex cerei super Altare accenduntur.

ARTICULUS II.

In Functione.

1493. — Functio peragitur ut in Capite II huius Partis, sed:

I. - Praelatus cappa indutus, vel habitu monastico abbatiali, comitatus a Canonicis vel a Monachis, accedit ad Ecclesiam ad cuius ianuam accipit aquam benedictam per contactum aspersorii et se munit signo Crucis dextera; adstantes non aspergit, nec manu benedicit, licet suos subditos. Postquam ante Altare SS. Sacramenti oraverit, procedit ad Altare maius et in pulvino, super infimum gradum collocato, breviter orat.

II. - Praelatus non benedicit Clerum, procedens ad Altare et revertens ad Thronum, nec benedicit Presbyterum Assistentem, vel Diaconum, postquam ab eo thurificatus fuerit.

III. - Ad Offertorium non fit praegustatio.

CAPUT II.

DE MISSA PONTIFICALI DE REQUIE AD THRONUM AB ABBATIBUS VEL A PRAELATIS "NULLIUS", ET AB ABBATIBUS REGULARIBUS DE REGIMINE CELEBRANDA

1494. — Omnia parantur et Functio peragitur ut in Capite XX huius Partis, sed:

I. - Thronus duo tantum gradus habere debet; non collocatur Faldistorium in medio Presbyterio, sed ponitur super infimum Altaris gradum, in medio pulvinus.

II. - Super Patenam una tantum hostia ponitur et non collocatur super mensam patera pro praegustatione.

III. - Ad Altare SS. Sacramenti paratur genuflexorium cum duobus tantum pulvinis violacei coloris.

IV. - In accessu ad Ecclesiam Praelatus se gerit ut sub n. 1493, I.

V. - Ad Offertorium non fit praegustatio.

CAPUT III.

DE MISSA PONTIFICALI A PROTONOTARIIS APOSTOLICIS DE NUMERO PARTICIPANTIUM CELEBRANDA UBIQUE EXTRA URBEM

1495. — DE HIS QUAE PRAEPARANDA SUNT. — Omnia parantur ut sub n. 1055 vel 1057 notavimus, prout Protonotarius assumit paramenta in Sacristia, vel ad Altare, sed loco mitrae pretiosae paratur mitra ex tela aurea, et loco mitrae auriphrygiatae, mitra ex serico damasceno.

1496. — IN FUNCTIONE. — Functio pariter peragitur ut diximus sub n. 1056, vel 1058, sed:

I. - Protonotarius ad Ecclesiae ianuam accipit aquam benedictam per contactum aspersorii et cum ea signo Crucis dextera se munit; adstantes non aspergit, nec manu benedicit.

II. - Procedens ad Altare et revertens ad Falditorium Praelatus Clerum non benedicit, sicut non benedicit Diaconum, postquam ab eo thurificatus fuerit, neque Ministros post manuum lotionem.

III. - Ante Orationem, vel Orationes, canit: *Dominus vobiscum*.

IV. - Dicto: *Placeat* etc., Protonotarius mitram ex tela aurea accipit et cantat: *Benedicat vos* etc., de more populo benedicens unico signo Crucis.

Assistente vero Episcopo loci Ordinario, aut alio Praesule qui ipso Episcopo sit maior, Protonotarius benedictionem non impertit.

V. - Caudatarius locum non habet.

Circa Missam pontificalem de Requie, nec non Missam pontificalem coram SS. Sacramento exposito, servanda sunt quae respective notavimus in Capitibus XIV et XV huius Partis, omissis quae Episcopo propria sunt et quae ad Missam de Requie non conveniunt, servatis vero regulis, in hac Appendice traditis, circa Functionis ordinem.

CAPUT IV.

DE MISSA PONTIFICALI A PROTONOTARIO APOSTOLICO SUPRANUMERARIO CELEBRANDA

ARTICULUS I.

De Missa pontificali a Protonotario Apostolico Supranumerario celebranda intra propriae Dioecesis fines.

1497. — Omnia parantur et Functio peragitur ut respective diximus sub n. 1055 et 1056, sed:

I. - Chirothecae sint simplices, uno orae textu ex auro; pariter caligae et sandalia sint ex serico tantum cum orae textu ex auro. Loco mitrae pretiosae, paratur mitra ex serico albo similiter ornata cum laciniis ex auro.

II. - In Functione servandae sunt normae sub n. 1345 notatae, sed intra Missam, manus lavat ad Psalmum 25: *Lavabo* etc.

III. - Coram Episcopo loci Ordinario aut alio Praesule, qui ipso Episcopo sit maior, Protonotarius habere nequit Presbyterum Assistentem, nec uti potest Canone Pontificali et palmatoria.

Circa Missam pontificalem de Requie, nec non Missam pontificalem coram SS. Sacramento exposito, vide quae diximus in fine praecedentis numeri.

ARTICULUS II.

De Missa pontificali a Protonotario Apostolico Supranumerario extram Urbem et propriam Dioecesim celebranda.

1. — De iis quae praeparanda sunt.

1498. — I. - IN SACRISTIA. — Super Altare si adsit, vel supra praecipuam mensam praeparantur pro Celebrante: amictus, alba, cingulum, tunicella, dalmatica, stola, planeta; chirothecae, sericae tantum cum orae textu serico flavi coloris ornato, in lance; mitra simplex damascena cum rubeis laciniis ad vittas.

Ante mensam, vel Altare, collocatur, super tapete, sedes cameralis. Super aliam mensam collocantur: paramenta pro Presbytero Assistente et Ministris sacris, scilicet: pluviale et superpelliceum; dalmatica, stola, cingulum, alba, amictus pro Diacono; tunicella, cingulum, alba, amictus pro Subdiacono.

Super alteram mensam praeparantur duo candelabra cum cereis; lanx pro Cruce pectorali; urceus cum pelvi et manutergium in lance; Canon Pontificalis; palmatoria cum candela; Evangeliarium cum manipulo Celebrantis; caligae et sandalia, serica tantum cum orae textu ex serico flavi coloris ornato, velo paramentorum coloris coopertae.

II. - AD ALTARE MAIUS. — Omnia parantur ut sub n. 1163, III, IV, V, sed super abacum non collocatur Missale pro Ministris sacris; ponitur vero urceus cum pelvi et manutergium in lance.

Prope scamnum, a dextris, paratur scabellum pro Presbytero Assistente.

Si Praelatus ingreditur per Ecclesiae portam, tunc ad Altare SS. Sacramenti statuitur genuflexorium nudum cum pulvinis coloris paramentorum vel violacei coloris.

2. — In Functione.

1499. — Si Protonotarius ingreditur per Ecclesiae praecipuam portam, accipit aquam benedictam per aspersorii contactum et cum ea se munit signo Crucis dextera; adstantes non aspergit, nec manu benedicit. Oratione facta ante Altare SS. Sacramenti, procedit ad Sacristiam, ibique sedet in sede camerali, legit Psalmos etc. in Missae praeparatione, induens caligas et sandalia. Lotis et abstersis manibus, paramenta sumit pontificalia et ad Altare procedit se gerens ut in Missis pontificalibus ad Faldistorium, sed Protonotarius, accepta thurificatione, legit *Introitum* ad Altare.

Ad *Introitum* Presbyter Assistens sistit prope Missale a dextris Celebrantis; Ministri sacri se gerunt ut in aliis Missis solemnibus.

Diaconus mitram Praelato imponit antequam ad scamnum progrediatur, et cum ad Altare revertitur eidem aufert ante infimum gradum.

Lecto *Offertorio*, Presbyter Assistens aliquantulum recedit, et Ministri sacri accedunt ad Celebrantis latera; Diaconus aufert anulum et dexteram chirothecam, dum Subdiaconus sinistram tollit; deinde Subdiaconus se ad abacum confert et se gerit more solito. Interim Presbyter Assistens accedit ad Praelati dexteram, a Diacono accipit anulum et Celebranti imponit.

Cornu Evangelii thurificato, Presbyter Assistens collocat Missale super mensam, dein se confert ad Epistolae latus et sistit ad Diaconi dexteram dum Praelatus thurificatur, ac postea suppedaneum conscendit et ad lotionem manuum manutergium ministrat.

Circa Missam pontificalem coram SS. Sacramento exposito, servanda sunt quae diximus in Capitibus XV et XXXIV huius Partis, servatis regulis in hoc Capite traditis de Functionis ordine.

Circa vero Missam pontificalem de Requie servanda sunt quae notavimus supra, omissis et mutatis quae Missae de Requie non conveniunt.

CAPUT V.

DE MISSA PONTIFICALI A PROTONOTARIO APOSTOLICO
AD INSTAR CELEBRANDA EXTRA URBEM

1500. — Omnia disponuntur et Functio peragitur ut in Articulo II praecedentis Capitis, sed Praelatus Presbyterum Assistentem habere potest tantum extra Ecclesias Cathedrales, dummodo non adsit Episcopus loci Ordinarius aut alius Praelatus ipso Episcopo maior.

Protonotarius Apostolicus «ad instar» nequit celebrare Missam pontificalem de Requie.

CAPUT VI.

DE MISSA LECTA CUM ALIQUA SOLEMNITATE CELEBRANDA
A PROTONOTARIIS APOSTOLICIS

ARTICULUS I.

De Missa lecta cum aliqua solemnitate celebranda Romae et extra, a Protonotario Apostolico de numero Participantium.

1. — De iis quae praeparanda sunt.

1501. — I. - IN SACRISTIA. — Vasculum aquae benedictae cum aspersorio; superpellicea pro Assistente et aliis Ministris.

II. - AD ALTARE. — Altare pro qualitate temporum et Festorum ornatur. In Altari amovendae sunt tabellae.

In medio, supra eius mensam disponuntur paramenta ordine ut sequitur: planeta, stola, manipulus, cingulum, alba et amictus. In cornu Epistolae collocatur Missale apertum initio Missae.

Ante Altare paratur genuflexorium nudum cum duobus pulvinaribus coloris Missae, vel violacei coloris; super genuflexorium collocatur Canon Pontificalis ad Missae praeparationem apertus.

III. - SUPER ABACUM. — Ponitur Calix cum suis ornamentis velo et bursa coopertus; ampullae aquae et vini in pelvicula; urceus cum pelvi et manutergium in pelvicula; alia pelvicula pro Cruce pectorali; campanula.

IV. - AD ALTARE SS. SACRAMENTI paratur genuflexorium ut supra.

2. — In Missa.

1502. — I. - DE PRAELATO CELEBRANTE. — Protonotarius, in accessu ad Ecclesiam, se gerit ut diximus sub n. 1496, I.

Adoratione ad Altare SS. Sacramenti facta, procedit ad Altare in quo Missa celebranda est; genuflectit in genuflexorio et cum Assistente alternatim recitat preces in Missae praeparatione ex Canone Pontificali; quibus absolutis, surgit et ante infimum Altaris gradum se confert, ubi dimittit Crucem pectoralem et mantelletum, accipit biretum, manus lavat, Assistenti biretum tradit, paramenta sumit atque Missam incipit et prosequitur more solito.

Praelatus manus lavat etiam post sumptionem ablutionis digitorum. Expleta lectione Evangelii in fine Missae, de Altari descendit, paramenta deponit, mantelletum et Crucem pectoralem reassumit, dein ad genuflexorium se confert, ibique genuflexus legit ex Canone Pontificali preces in gratiarum actione post Missam alternatim cum Assistente; quibus absolutis, breviter orat ac postea, more solito, ab Ecclesia discedit.

II. - DE ASSISTENTE IN SACRIS CONSTITUTO. — Ad nutum Caeremoniarii Assistens procedit cum Ministris inferioribus ad Ecclesiae ianuam; ibique Protonotario aspersionem porrigit, cum consuetis osculis; quo recepto, Praelatum associat ad Altare SS. Sacramenti et ad Altare in quo Missa celebranda est; quo cum pervenerit, genuflexionem, vel reverentiam, peragit et orat genuflexus in plano ad Praelati sinistram, dein surgit et folia Canonis Pontificalis vertit, cum opus sit, Praelato respondet, scilicet cum eo recitat preces in Missae praeparatione alternatim; quibus absolutis, cum Protonotario se confert ante infimum Altaris gradum.

Dimisso a Praelato mantelletto, tradit ei biretum atque manutergium ministrat ad manuum lotionem, dein a Praelato recipit biretum quod Caeremoniario tradit; ac postea ab eodem Caeremoniario paramenta accipit et Praelatum induit eodem ordine ac in aliis Missis lectis; deinde genuflectit ad Praelati sinistram et cum eo Confessionem facit. Quum Celebrans Altare ascendit, et ipse ascendit eique assistit, folia Missalis vertit et legenda indicat. Non recitat cum Celebrante Hymnum Angelicum, nec Symbolum, nec: *Sanctus* etc., nec: *Agnus Dei* etc. Lecto a Celebrante *Offertorio*, Assistens Corporale in medio explicat, bursam versus Evangelii cornu collocat et Calicem detegit; Patenam Praelato porrigit, Calicem extergit, et antequam aquae guttulas in Calicem immittat dicit: *Benedicite, Pater Reverende*; dein Calicem ei porrigit, postea Calicem

palla, et Patenam purificatorio cooperit. Ad manuum lotionem, Praelato mantile ministrat; recitatis a Celebrante Secretis, tollit e legili Missale et in eo collocat Canonem Pontificalem. Ad: *Qui pridie* etc., in ora suppedanei genuflectit, posteriorem partem planetae, ad elevationem mediocriter inclinatus, attollit, Calicem detegit et cooperit, cum opus fuerit, et semper cum Celebrante genuflectit. Responso: *Sed libera nos a malo*, Praelato Patenam porrigit.

Post pretiosissimi Sanguinis sumptionem, Celebranti ministrat purificationem et ablutionem; ad manuum lotionem mantile porrigit, dein Antiphonam « *Communio* » dictam et Orationes indicat.

Si Communio distribuenda sit, Assistens, post Sanguinis sumptionem, Calicem cooperit; assumpta stola, Tabernaculum aperit, genuflectit, Pyxidem extrahit, super Corporale collocat, Tabernaculum claudit, ac postea stolam deponit.

Dum Praelatus dicit: *Misereatur* etc., *Indulgentiam* etc., Assistens in superiori gradu genuflectit; quibus prolatis verbis, surgit, Patenam sumit, ad Praelati dexteram se confert et in distributione Communionis eum comitatur, supponens Patenam mento communicantium.

Communione completa, ascendit Altare cum Praelato, deponit Patenam super Corporale, stolam sumit, Pyxidem accipit et in Tabernaculum reponit, deinde stolam deponit.

Benedictione impertita, in fine Missae, indicat Praelato vel in Canone, vel in Missali, pro re, Evangelii textum; quo completo, descendit cum Praelato et illum adiuvat in deponendis paramentis sacris.

Si Assistens in sacris non sit constitutus, saltem tonsuratus sit et in casu Praelato celebranti assistere potest et omnia super descripta explere, iis tamen quae sequuntur exceptis:

- a) Calicem ante Offertorium, et post ablutionem, non abstergit;
- b) Vinum et aquam in Calicem non infundit;
- c) Non tradit Celebranti Patenam cum hostia, nec Calicem tradit;
- d) Infra actionem numquam tangit Calicem, nec Pallam ab eo removet, aut supra illum reponit (D. 4181, ad 2, 3 et 4).

III. - DE CAEREMONIARIO DEQUE MINISTRIS INFERIORIBUS. — Caeremoniarius et Ministri inferiores se gerunt ut respective diximus sub n. 1078, I, II, omissis quae Episcopo Ordinario, aut S. R. Ecclesiae Cardinali, conveniunt.

ARTICULUS II.

De Missa lecta cum aliqua solemnitate celebranda Romae et extra a Protonotario Apostolico Supranumerario et ad instar.

1503. — Omnia parantur et Ritus ut in praecedenti Articulo peragitur, sed Praelatus, postquam manus laverit, nec Crucem pectoralem, nec anulum reassumit; in Missa manus lavat ad Psalmum 25: *Lavabo etc.*, tantum.

APPENDIX II.

DE MISSIS VOTIVIS

CAPUT I.

ARTICULUS I.

De Missa votiva generatim.

1504. — Missa votiva proprie illa est, quae celebratur extra ordinem Officii diei, ex voto, seu voluntate, sive Ecclesiae, sive Celebrantis, sive petentis, ex rationabili tamen causa, quin a Rubricis praescribatur.

1505. — Missae votivae dici possunt de quibuscumque Sanctis canonizatis, in Martyrologio descriptis (D. 3922, III, 1), aut quorum Missa ab Apostolica Sede concessa fuit; dici vero non possunt de Beatis, illis exceptis de quibus expressam facultatem Missam votivam celebrandi Apostolica Sedes concesserit; Beatis enim alium, praeter concessum a S. Sede, cultum praestare non licet (DD. 1130; 1156; 1568).

Sumitur Missa propria, si habeatur, si vero quaedam partes tantum sint propriae, hae saltem adhibentur; alias de communi eligitur, mutatis tamen mutandis, prout temporis qualitas exigit (D. 2340 ad 1 et 2).

« Pro votiva de Sancto Ioseph dicitur Missa *Adiutor*, quae habetur inter Missas votivas circa finem Missalis » (Rubr. spec. Miss. post diem 19 Martii).

« Pro votiva Ss. Petri et Pauli sumitur Missa *Mihi autem*, quae habetur inter votivas. Tempore autem Paschali dicitur Missa ut in festo S. Marci, praeter Orationes, Epistolam et Evangelium, quae dicuntur ut in Missa *Mihi autem* » (Rubr. spec. Miss. post diem 29 Iunii).

De S. Petro Apostolo tantum dicitur Missa votiva, ut in Missali post Missam diei 29 Iunii habetur.

De omnibus Ss. Apostolis, Missa sumitur *Mihi autem*, quae habetur inter votivas, quae etiam dicitur pro votiva alicuius Sancti Apostoli, de quo in Missali non habeatur Missa propria; Orationes in casu dicendae sunt ut notantur in Missali ante Missam votivam de Spiritu Sancto, pro Feria quinta.

De Ss. Angelis habetur Missa votiva in fine Missalis inter votivas. De Ss. Angelis Custodibus, de Ss. Gabriele et Raphaële Archangelis, Missa eorum Festi legenda est. De S. Michaële vero, tempore Paschali, dicitur Missa ut in die Apparitionis, scilicet 8 Maii; extra tempus Paschale ut in eius Dedicatione, die 29 Septembris (Rub. spec. Miss. post diem 8 Maii et 29 Sept.).

De Beata Maria Virgine tamquam votivae, tantum legi potest una ex quinque quae in fine Missalis pro temporum diversitate habentur; itemque Missa Septem Dolorum et Immaculatae Conceptionis (D. 3922, V, 1), de quibus Missale indicat quomodo more votivo celebrari debeant.

Si Missa votiva de B. Maria Virgine celebranda est:

I. - In aliqua ex eius Vigiliis, vel in aliquo ex eius Festis, celebrari debet de ipsa Vigilia, vel de ipso Festo (D. 3922, V, 1).

II. - Intra aliquam eius Octavam, die qua de ea fit Officium, Missa iuxta ordinem Officii celebratur.

III. - Die infra Octavam, etiam simplicem, qua Officium de Festo semiduplici fit, Missa de Octava, more festivo, celebratur (D. 4115 ad II).

1506. — Missa votiva dici non potest:

I. - De tempore, scilicet de Dominicis, Feriis et Vigiliis;

II. - De Mysteriis, si modo excipias Missas: de SS. Trinitate, de Spiritu Sancto, de SS. Sacramento, de Cruce et de Passione, quae singillatim in fine Missalis praesto sunt; nec non Missas de Sacrat. Corde Iesu, de SS. Nomine Iesu, de Pretiosissimo Sanguine, et de D. N. Iesu Christo Rege, de quibus in Missali indicatur quomodo Missa, more votivo, celebranda sit.

Dici possunt, more votivo, Missae de Mysteriis, ubi Missae propriae ab Apostolica Sede indultae sunt.

1507. — Undeviginti in fine Missalis enumerantur Missae votivae ad diversa, nempe:

1. Pro eligendo Summo Pontifice.

2. In die Creationis et Coronationis Papae et in eorum dierum anniversario.

3. In Consecratione Episcopi.
4. In anniversario Electionis et Consecrationis Episcopi.
5. In collatione sacrorum Ordinum.
6. Pro Sponso et Sponsa.
7. Pro Fidei propagatione.
8. Contra paganos.
9. Ad tollendum schisma.
10. Tempore belli.
11. Pro pace.
12. Pro vitanda mortalitate.
13. Ad postulandam gratiam Spiritus Sancti.
14. Pro remissione peccatorum.
15. Pro peregrinantibus et iter agentibus.
16. Pro infirmis.
17. Ad postulandam gratiam bene moriendi.
18. Pro quacumque necessitate.
19. Pro gratiarum actione.

1508. — In Missis votivis Mysteriorum et Sanctorum adhibetur color ut in eorum Festis. In votiva tamen de Passione Domini color erit violaceus; pro Missa votiva S. Ioannis Baptistae et Ss. Innocentium rubro colore utendum est.

In Missa pro eligendo Summo Pontifice et in Missa ad postulandam gratiam Spiritus Sancti color ruber erit; in Missis Creationis et Coronationis Papae et in eorum dierum anniversario utendum est albo colore; item albo colore utendum in Missis in anniversario Electionis et Consecrationis Episcopi atque in Missa pro Sponso et Sponsa; in Consecratione Episcopi color erit de Officio diei.

Quando sacri Ordines conferuntur in Sabbatis quatuor Temporum et in Sabbato infra Hebdomadam IV Quadragesimae, color erit ruber pro Sabbato infra Octavam Pentecostes, violaceus pro aliis Sabbatis; in collatione sacrorum Ordinum, extra hos dies, color erit de Officio diei.

In Missa pro gratiarum actione adhibetur color conformis Missae quae eligitur. In reliquis Missis votivis ad diversa utendum est colore violaceo.

ARTICULUS II.

De Ritu Missae votivae quae non celebratur pro re gravi.

1509. — In Ritu pro Missis votivis quae non celebrantur pro re gravi servando, praecipue sequentia animadvertite:

I. - **Introitus.** — Tempore Paschali duo *Alleluia* in fine Introitus adduntur, sed non adiiciuntur ubi apposita iam sunt.

Si in Missa adsit Introitus: *Gaudeamus* etc., ille omittitur, et alter adhibetur de Communi, nisi secus proprio in loco adnotetur.

II. - **Gloria in excelsis.** — Non dicitur: *Gloria in excelsis* etc., si excipias:

1. Missam B. M. V. ubi celebratur in Sabbato, et infra Octavam alicuius Festi eiusdem.

2. Missam Angelorum, quocumque die celebratur.

3. Missam Sanctorum, si celebratam infra Octavam eorundem Festorum.

4. Missam Sanctorum de quibus, tametsi Officium non fiat, in illo tamen die eorum memoria fit in Martyrologio Romano.

III. - **Orationes.** — In Orationibus verba: *solemnia, natalitia, festivitas, solemnitas* et similia, in magis congrua: *memoria, vel commemoratio*, mutantur; verba: *annua, hodie* et similia, omittuntur (DD. 2427 ad 2; 3922, III, 1).

a) In die ritus simplicis tres, vel quinque, vel septem Orationes ad Celebrantis arbitrium dicuntur, sed neve minus tribus, neve plus septem.

b) In die ritus semiduplicis tres Orationes dicuntur.

c) In die ritus duplicis, si Missae votivae ex privilegio celebrantur, omittitur tertia Oratio de Tempore.

Secunda Oratio regulariter erit de Officio diei, nisi huic praeposenda sit Commemoratio a Missa inseparabilis, ut in Missa S. Petri, Commemoratio S. Pauli.

Tertia Oratio erit prima ex Orationibus pro diversitate Temporum assignatis, quoties aliqua Commemoratio vel aliquae Commemorationes non occurrerint.

Orationes pro diversitate Temporum assignatae sunt sequentes:

1. Per Adventum, exceptis Missis de B. Maria Virgine et iis in quibus de eadem Commemoratio fit, et excepta pariter Missa votiva de Omnibus Sanctis, 2^a Oratio erit de Sancta Maria: *Deus, qui de Beatae* etc., 3^a contra persecutores Ecclesiae vel *pro Papa*.

2. A Nativitate Domini usque ad diem 2 Februarii inclusive, exceptis Missis de B. Maria Virgine, et iis in quibus de eadem Commemoratio fit, et excepta pariter Missa votiva de Omnibus Sanctis, 2^a Oratio erit de Sancta Maria: *Deus, qui salutis* etc., 3^a contra persecutores Ecclesiae vel *pro Papa*.

3. A die 3 Februarii usque ad Feriam III post Dominicam Quinquagesimae, et a Dominica I post Pentecosten usque ad Sabbatum ante Dominicam I Adventus inclusive, exceptis tamen omnibus Octavis et Vigiliis, si de eis fiat saltem Commemoratio; item exceptis Missis de B. Maria Virgine et iis in quibus de eadem Commemoratio fit, et excepta pariter Missa votiva de Omnibus Sanctis, 2^a Oratio erit ad poscenda suffragia Sanctorum, *A cunctis* etc., 3^a ad libitum.

In Missis vero S. Ioseph, et Ss. Petri et Pauli, in Oratione: *A cunctis* etc., atque in eorum «*Postcommunio*», omittuntur eorum nomina.

Oratio *ad libitum* sic vocatur, non quod pro libito dici vel omitti possit, sed quia Celebrans aliquam eligere potest.

4. A Feria IV Cinerum usque ad Sabbatum post Dominicam IV Quadragesimae inclusive, exceptis Missis de B. Maria Virgine, et iis in quibus de eadem fit Commemoratio, et excepta pariter Missa votiva de Omnibus Sanctis, 2^a Oratio erit ad poscenda Suffragia Sanctorum: *A cunctis* etc., 3^a pro vivis et defunctis: *Omnipotens* etc.

5. Infra Hebdomadam Passionis dicitur tantum 2^a Oratio contra persecutores Ecclesiae vel *pro Papa*.

6. A Feria II post Dominicam in Albis usque ad Ascensionem, exceptis Missis de B. Maria V., et iis in quibus de eadem fit Commemoratio, et excepta pariter Missa votiva de Omnibus Sanctis, 2^a Oratio erit de S. Maria: *Concede* etc., 3^a contra persecutores Ecclesiae vel *pro Papa*.

7. Infra Octavas communes et in diebus Octavis simplicibus quae infra Tempus n. 3 descriptum incidant, et in Vigiliis quae infra idem Tempus vel in Quadragesima usque ad Sabbatum post Dominicam IV inclusive occurrant, si de Octava vel Vigilia fiat saltem Commemoratio et dummodo Octava ipsa vel Vigilia non sit de B. Maria V. aut de Omnibus Sanctis, 2^a Oratio erit de Sancta Maria: *Concede*, 3^a contra persecutores Ecclesiae vel *pro Papa*.

8. In Missis votivis de B. Maria Virgine et de Omnibus Sanctis 2^a Oratio erit de Spiritu Sancto, 3^a contra persecutores Ecclesiae vel *pro Papa*.

Si eo die Oratio: *Fidelium* etc., pro Defunctis praescribitur, etiam in Missis votivis, paenultimo loco inter omnes Orationes, dicitur.

IV. - **Sequentia.** — Si adest, semper omittitur.

V. - **De Symbolo.** — *Credo*, etiam infra Octavas communes, semper omittitur.

VI. - **Praefatio.** — Praefatio propria adhibetur, si adsit, omissis verbis: *hodierna die*, in Praefatione de Spiritu Sancto, et adiectis verbis: *Et te in veneratione*, in Praefationibus de B. Maria V. et de S. Ioseph. Si vero Praefatio propria desit, dicitur Praefatio propria Officii primo loco commemorati, inter cetera, quae propriam Praefationem habeant, aut, ea deficiente, Praefatio de Octava communi, vel de Tempore, secus communis dicatur.

VII. - **Ite Missa est.** — Dicitur: *Ite Missa est*, quoties in Missa recitatur: *Gloria in excelsis*; secus substituitur: *Benedicamus Domino*.

VIII. - **Ultimum Evangelium.** — Semper legendum est Evangelium S. Ioannis. Si vero facta fuerit Commemoratio Feriae Quadragesimae, Passionis, Quatuor Temporum, II Rogationum, vel Vigiliae, aut Officii quae stricte proprium habeat Evangelium, dummodo (etsi tantum in principio) non sit idem cum illo Missae, legitur Evangelium proprium Feriae, vel Vigiliae vel Officii.

ARTICULUS III.

De Missis votivis privatis.

1510. — Missae votivae privatae prohibentur:

- I. - In omnibus Officiis duplicibus;
- II. - In Dominicis licet anticipatis, vel primo resumendis quia impeditis, vel quoad Officium repositis;
- III. - Infra Octavas privilegiatas et in diebus Octavis simplicibus etiam tantum commemoratis;
- IV. - In Feriis Quatuor Temporum;
- V. - In Feriis Adventus a die 17 Decembris occurrentibus;
- VI. - In Feriis Quadragesimae;
- VII. - In Feria II Rogationum et in Vigiliis;
- VIII. - In Ecclesiis ubi cuiuslibet Missae conventualis onus urgeat cui per alios Sacerdotes satisfieri nequeat;
- IX. - In Ecclesiis unam tantum Missam habentibus in Feria III Rogationum, si fiat Processio.

1511. — **Tabula de qualitate et ordine Orationum pro diversitate temporum** in Missis votivis vel in Missis de Officio semiduplici aut simplici (1).

	Deus qui de B. M. V.	Deus qui salutis	Concede	de Sp. S.	A cunctis	Eccel. vel pro Pp.	Omnipotens	Ab Ilbitum
1. Per Adventum, exceptis Missis de quibus sub n. 9 et 10	II					III		
2. A Nativitate Domini usque ad diem 2 Febr. inclusive, exceptis Missis de quibus sub n. 9 et 10		II				III		
3. A die 3 Febr. usque ad Fer. III post Dom. Quinq., exceptis Missis de quibus sub n. 9, 10 et 11					II			III
4. A Fer. IV Cinerum usque ad Dom. Passionis, exceptis Missis de quibus sub n. 9, 10 et 12					II		III	
5. A Dominica Passionis usque ad Sabb. in Albis						II		
6. A Fer. II post Dom. in Albis usque ad Fer. VI post Oct. Ascen. inclus., exceptis Missis de quibus sub n. 9			II			III		
7. Infra Octavam Pentecostes						II		
8. A Domin. I post Pent. usque ad Sabb. ante Dom. I Adventus, exceptis Missis de quibus sub n. 9, 10 et 11					II			III
9. In Missis de B. Maria V.; per Octavam Circumcis., sicubi haec celebrari debeat; in Vigilia et per Octavam atque in Miss. vot. Omn. Sanctorum				II		III		
10. In Missis in quibus de B. M. V., vel de Omn. Sanctis in horum Vigilia et per Octav. fiat tantum Commem.				III				
11. Per omnes Octavas, tam privilegiatas quam communes, et in diebus Octavis Simplicibus, atque in Vigiliis: 1° a die 3 Febr. usque ad Fer. III post Dom. Quinq.; 2° a Dom. I post Pent. usque ad Sabb. ante Dom. I Adv. exceptis Missis de quibus sub n. 9 et 10						III		
12. In Vigiliis a Fer. IV Cinerum usque ad Domin. Pass.							III	

(1) Orationes pro diversitate Temporum semper Commemorationibus locum cedunt ita ut, quando una Commemoratio fieri occurrat, omittatur Oratio quae in Tabula III signatur, si duae Orationes dicendae, vel ea quae II indicatur, si una tantum dicenda; si vero plures Commemorationes occurrant tunc Orationes pro diversitate Temporum omittuntur.

1512. — Tabula pro Missis votivis solemnibus et cantatis pro re gravi (⊗), necnon pro privatis ac pro solemnibus et cantatis pro re non gravi (†), rite ordinandis.

Missa votiva	Color	Missa	Gloria		Orationes		Sequentia	Credo	Praef.	Comm. — Hanc igit.	In fine		Ultimum Evang.											
			⊗	†	⊗	†					⊗	†	⊗	†										
de SS. Trinitate	Alb.	propria	omittitur	omittitur	fit tantum Com. de dupl. 2 cl., de quavis Dom., de Fer. mai. - de Fer. 2 Rog., de Vig. aut Oct. priv.	2 ^a et 3 ^a diei currentis	omittitur	omittitur	propria	propriae etiamsi Missa votiva Praefationem propriam habeat	Ite Missa est	Benedic. Domino	Benedicamus Domino	S. Ioannis: <i>In principio</i> etc. Si vero facta fuerit Com. de Dom., de Fer. Quadr. vel Pass. vel 2 Rog. vel Quat. Temp. vel de Vig., Oct., vel de dupl. 2 cl. cum Evang. stricte pr., de iisdem legitur ult. Evangelium.										
de Spiritu Santo	Rub.														dicitur	omittitur	omittitur	omittitur	omittitur	de Nativ.	Benedic. Domino	In Sabb. tantum Ite Missa est	S. Ioannis: <i>In principio</i> , etc. Si vero facta fuerit Com. quae pr. Evang. habeat, dummodo (etsi tantum in principio) non sit idem cum illo Missae, ult. Evang. propr. legitur.	
de SS. Sacram.	Alb.														omittitur	omittitur	omittitur	omittitur	omittitur	de Cruce	Ite Missa est	Ite Missa est	In Miss. sol. vel cant. <i>pro re non gr.</i> in Fer. Quadr., Quat. Temp. ac in Vig. Evang. ult. legendum est Fer. vel Vig.	
de Passione	Viol.														omittitur	omittitur	omittitur	omittitur	omittitur	de Cruce	Ite Missa est	Ite Missa est		
de Cruce	Rub.														omittitur	omittitur	omittitur	omittitur	omittitur	de Cruce	Ite Missa est	Ite Missa est		
de Sacr. Corde Iesu	Rub.														omittitur	omittitur	omittitur	omittitur	omittitur	de Cruce	Ite Missa est	Ite Missa est		
de B. Maria V.	Alb.														una ex quinque pro div. Temp. vel de Immac. vel de VII Dolor.	dicitur	dicitur in Sabb. (2)	2 ^a diei curr. 3 ^a de Sp. S.	omittitur	omittitur	propria	Ite Missa est	Ite Missa est	
de Angelis	Alb.														propria	dicitur	dicitur	In Missis S. Ioseph vel Ss. Petri et Pauli quando dicenda est Orat.: A cunctis omittuntur eorum nomina	omittitur	omittitur	de Comm. (4)	Ite Missa est	Ite Missa est	
de Sanctis	Festi (1)														propria vel de Comm.	omittitur	omittitur (3)		omittitur	omittitur	propria vel de Comm. (4)	Ite Missa est	Ite Missa est	
pro quac. nec. et ceteris ut in Missali	Viol.														propria	omittitur	omittitur		omittitur	omittitur	de Comm. (4)	Ite Missa est	Ite Missa est	

(1) In Miss. S. Ioan. Bapt. et Ss. Innocentium color ruber. — (2) et inf. Oct. alicuius Festi eiusdem B. M. V. illa tamen die eorum memoria fit in Martyr. Rom. — (3) et inf. Oct. eorundem Fest.; et etiam dicitur in Miss. Sanctorum de quibus tametsi Officium non fiat, in memorato, vel de Tempore. — (4) vel de Officio, primo loco inter cetera, quae Praef. pr. habeant.

ARTICULUS IV.

De Missa votiva solemniter et cantata pro re gravi.

1513. — Missa votiva solemniter pro re gravi et publica Ecclesiae causa ea est quae Officio diei per se non respondens, ab Ordinario loci, vel de eius consensu pro qualibet vice obtinendo, praescribitur, et solemniter celebratur cum populi concursu pro quadam spirituali vel temporali necessitate quae Communitatem ipsam afficiat.

Ad eam celebrandam ergo non sufficit causa, licet gravis, alicuius privatae personae, sed requiritur ut publica sit, scilicet talis quae Communitatem, vel saltem eius maiorem partem tangat, v. gr. ad petendam pluviam, pro serenitate, pro quacumque necessitate; ad Summi Pontificis, Ordinarii loci, Principis sanitatem recuperandam; pro electione Pontificis Summi, Ordinarii loci, et quoad Religiosos pro electione Superiorum in generalibus, vel provincialibus comitiis.

Causae vero graves ad celebrandam Missam votivam solemnem non sunt: Abbatissae electio; vestitio, vel professio, religiosa; Neopresbyterorum primitiae, vel iubilaeum 50 annorum; solemniter processio, vel novena; initium anni scholastici; Titularis alicuius Confraternitatis, solemniter alicuius Mysteriorum, vel Sancti, extra propriam diem peragenda, etc.

1514. — Missa solemniter votiva et cantata ex his desumenda est quae uti Votivae in Missali designantur; etiam esse potest de quolibet Sancto canonizato et descripto in Martyrologio Romano.

In ritu pro Missa votiva solemniter et cantata servando, praecipue sequentia animadvertite:

I. - **Introitus.** — Tempore Paschali duo *Alleluia* in fine Introitus adduntur, sed non adiiciuntur ubi apposita iam sunt. Si in Missa adsit Introitus: *Gaudeamus* etc., ille omittitur et alter de Comuni adhibetur, nisi secus proprio in loco adnotetur.

II. - **Gloria in excelsis.** — Semper dicitur, nisi in paramentis violaceis celebretur.

III. - **Orationes.** — Post Orationem Missae votivae fit tantum Commemoratio, si occurrat, de duplici II classis, de quavis Dominica, de Feria maiori (scilicet Advent., Quadrag., Passionis, II Rogat. et Quat. Temp. Sept.), de Vigilia Epiphaniae et de aliqua ex Octavis privilegiatis.

Si vero Missa erit pro gratiarum actione, additur, sub unica conclusione cum prima Oratione, Oratio: *Deus, cuius misericordiae* etc.

In Orationibus verba: *solemnia, natalitia, festivitas, solemnitas* et similia, in magis congrua: *memoria, vel commemoratio*, mutantur; verba: *annua, hodie* et similia, omittuntur (DD. 2427 ad 2; 3922, III, 1).

Collecta imperata omittitur nisi sit pro re gravi.

IV. - **Sequentia.** — Si adest, semper omittitur.

V. - **De Symbolo.** — *Credo* semper dicitur.

VI. - **Praefatio.** — Praefatio propria adhibetur, si adsit, omissis verbis: *hodierna die*, in Praefatione de Spiritu Sancto; et adiectis verbis: *Et Te in veneratione*, in Praefationibus B. Mariae Virg. et S. Ioseph.

Si vero Praefatio propria desit, dicitur Praefatio propria Officii, primo loco commemorati inter cetera, quae propriam Praefationem habeant; aut, ea deficiente, Praefatio de Octava communi, vel de Tempore, secus communis. Numquam ergo dicitur Praefatio Festi occurrentis quod non commemoratur.

VII. - **Communicantes et Hanc igitur.** — Orationes: *Communicantes* etc., et: *Hanc igitur* etc., propriae Octavae commemoratae adiunguntur, etiamsi Missa votiva Praefationem propriam habuerit.

VIII. - **Ite Missa est.** — Dicitur quoties in Missa *Gloria in excelsis* recitatur, secus substituitur: *Benedicamus Domino*.

IX. - **De ultimo Evangelio.** — Semper legendum est Evangelium S. Ioannis: *In principio erat* etc., nisi in Missa Commemoratio facta fuerit de Dominica, de Feria Quadragesimae vel Passionis vel secunda Rogationum vel Quatuor Temporum, vel de Vigilia, Octava, vel de duplici II classis cum Evangelio stricte proprio; quo in casu de iisdem legitur Evangelium in fine.

X. - Huiusmodi Missa in tono festivo canitur.

1515. — Missa votiva solemniter et cantata pro re gravi prohibetur:

I. - In Dominicis I classis;

II. - In Duplicibus I classis;

III. - Feria IV Cinerum; Feria II, III, IV Maioris Hebdomadae;

IV. - In Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes;

V. - In Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum;

VI. - In Ecclesiis ubi cuiuslibet Missae conventualis onus urgeat, cui per alios Sacerdotes satisfieri nequeat;

VII. - In Ecclesiis unam tantum Missam habentibus prohibetur etiam die 2 Februarii, si fiat benedictio Candelarum, et in Litanis Maioribus et Minoribus, si fiat Processio.

His diebus loco Missae votivae addi potest ipsius Oratio, sub unica conclusione cum Oratione Missae solemnis diei, etsi Conventualis, dummodo non sit dies Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, aut Duplex I classis Festi primarii Domini Ecclesiae universalis: qui sunt: Nativitas Domini, Epiphania, Feria V in Coena Domini, Sabbatum Sanctum, Pascha, Ascensio, Pentecostes, SS. Trinitas, Corpus Christi, Sacratiss. Cor Iesu, et Festum D. N. I. C. Regis; in quibus omnibus prohibetur etiam Commemoratio Missae votivae.

VIII. - In Feriis tamen II et III Paschae et Pentecostes non excluditur praedicta Commemoratio.

Ita prohibetur ipsa Missa votiva, et eius Commemoratio, diebus quibus fit Officium aut etiam tantum Commemoratio, aut occurrat Vigilia, aut dies infra Octavam, quamvis simplicem, de identico Domini Mystero vel de eadem Sancti Persona, de qua canenda esset Missa votiva. Tunc loco Missae votivae canitur Missa conveniens Officio, vel Commemorationi, aut Vigiliae, aut Octavae cum Commemorationibus quae huic Missae votivae conveniunt.

ARTICULUS V.

De Missa votiva solemni vel cantata pro re non gravi.

1516. — Missa votiva solemnis vel cantata pro re non gravi prohibetur:

- I. - In omnibus Officiis duplicibus;
- II. - In Dominicis licet anticipatis, vel etiam quoad Officium repositis;
- III. - Infra Octavas privilegiatas;
- IV. - Feria IV Cinerum et Feria II, III et IV Maioris Hebdomadae;
- V. - In Vigiliis Nativitatis, Epiphaniae, et Pentecostes;
- VI. - In Ecclesiis ubi cuiuslibet Missae conventualis onus urgeat, cui per alios Sacerdotes satisfieri nequeat;
- VII. - In Ecclesiis unam tantum Missam habentibus prohibetur etiam diebus Rogationum, si fiat Processio.

De Missae partibus quibus praecipue attendendum est in ritu pro huiusmodi Missa servando v. n. 1509.

CAPUT II.

DE NONNULLIS MISSIS VOTIVIS PARTICULARIBUS

ARTICULUS I.

De Missa votiva solemni quatuor Festorum quorum solemnitas transfertur in Dominicam sequentem.

1517. — Ex indulto reductionis Festorum concessio Reipublicae Galliarum territorio per Em.um Cardinalem Legatum Caprara die 9 Aprilis 1802 et servando in omnibus locis et Dioecibus ad quae indultum hoc extensum est, quatuor sunt Festa quorum solemnitas transfertur in Dominicam proximior non impeditam, nimirum: Epiphaniae Domini, SS. Corporis Christi, Ss. Apostolorum Petri et Pauli et Ss. Patronorum locorum, quando infra hebdomadam occurrunt.

Nomine Patroni loci intelligitur Patronus praecipuus civitatis, oppidi, vel pagi, atque etiam, in illius defectu, Patronus Dioecesis qui, ante indultum, feriacionem habuit (D. 3754 ad 1).

1518. — In omnibus Ecclesiis et Oratoriis publicis, dummodo de more Missa in Festis cantetur, debet in Dominica praedicta una Missa solemnis de Festo, quoad solemnitate translato, ad instar Missae votivae solemnis cantari. Excipiuntur ecclesiae Regularium et Monialium, si contraria consuetudo in eis vigeat (D. 2974 ad 5).

Missa solemnis de praedictis Festis translatis cantari potest, etsi non debet, etiam in Oratoriis semi-publicis, ubi singulis Dominicis Missa solet cantari (D. 4269 ad 9).

1519. — Haec Missa cantari potest in omnibus Dominicis per annum, quibusdam maioribus exceptis, sed advertendum est:

I. - Si Festum, cuius transferenda esset solemnitas, incidat in Dominica I classis, Palmarum excepta, Missa canitur de Dominica, cuius primae Orationi adiungatur sub unica conclusione occurrentis Festi Commemoratio, et de eius solemnitate nihil amplius fiat.

Si vero incidat in Dominica Palmarum, aut in Festo aliquo ex solemnioribus Ecclesiae universalis, nulla de eo Commemoratio fiat, neque transferatur solemnitas, sed tantum Officium iuxta Rubricas (D. 3754 ad III);

II. - Si solemnitas ipsa translata incidat in Dominica I classis, vel in qua Vigilia Nativitatis Domini occurrit, vel in Festo Circumcisionis aut in die Octava Epiphaniae, Missa erit de Dominica, vel de Festo, et dicta solemnitas in proximiorum Dominicam liberam transferatur (*l. c.* ad IV);

III. - Si solemnitas translata incidat in Dominica in qua Festum duplex I classis occurrit, Missa de eadem solemnitate cantatur, modo Festum, ad quod ipsa solemnitas pertinet, sit dignius; secus transferatur ulterius in proximiorum Dominicam non impeditam (*l. c.* ad V);

IV. - Occurrentibus duabus solemnitatibus fit de digniori, translata altera (*l. c.* ad VI).

1520. — Pro solemnitate, quae transfertur, unica Missa cantatur, more votivo solemniter, ut in Festo, et fit Commemoratio Dominicae et duplicis II classis tantum; Collecta imperata, nisi pro re gravi, omittitur. In Dominica infra Octavam SS. Corporis Christi dicitur Sequentia: *Lauda Sion* etc. (D. 4273 ad 6). Circa Praefationem servanda est regula tradita n. 1514, VI, de Missis votivis solemnibus pro re gravi. Ultimum Evangelium dicitur de Dominica.

ARTICULUS II.

Missa de Festis olim Dominicis adnexis.

1521. — Festa ritus duplicis I et II classis olim Dominicis adnexa, nunc habent privilegium quoad Dominicam cui affixa erant. Pro Ecclesia universali haec festa sunt:

I. - Solemnitas S. Ioseph, Patroni Eccl. univ. (Dominica III post Pascha), dupl. 1 cl.;

II. - Nativitas S. Ioannis Bapt. (Dom. IV Iunii), dupl. 1 cl.;

III. - Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. (Dom. I Iulii), dupl. 1 cl.;

IV. - Festum S. Ioachim Patris B. M. V. Conf. (Dom. infra Oct. Assumptionis B. M. V.), dupl. 2 cl.;

V. - Festum Septem Dolorum B. M. V. (Dom. III Sept.), dupl. 2 cl.;

VI. - Festum Sacratissimi Rosarii B. Mariae V. (Dom. I Oct.), dupl. 2 cl.

Pro Ecclesiis particularibus eodem gaudent indulto illa Festa ritus duplicis I et II classis quae, usque ad annum 1913, Dominicis affixa erant.

De Festo ritus duplicis I classis, et de Festo Sacratissimi Rosarii B. M. V., permittuntur illa Dominica omnes Missae, praeter conventualem tantum, de Festo (D. 4308, I, n. 2).

Si Festum sit ritus duplicis II classis, excepto Festo SS. Rosarii B. M. V., permittitur una tantum Missa, lecta vel cantata.

In Missis de Festo ritus duplicis I classis fit Commemoratio duplicis II classis, si occurrat, et Dominicae.

In Missis vero de Festo ritus duplicis II classis fit Commemoratio Officii ritus duplicis maioris, aut minoris, et semiduplicis (non autem de die infra Octavam communem) et, in Missis privatis, etiam ritus simplicis.

1522. — Hae Missae prohibentur in Dominicis Adventus, Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae; in Dominicis Quadragesimae, in Dominica Passionis, Palmarum et in Albis atque in omnibus Dominicis in quibus fit Officium nobilius Officio illius Festi duplicis I vel II classis; quo in casu, in omnibus Missis, quae alioquin de solemnitate externa permitterentur, addi potest Oratio de solemnitate sub unica conclusione, praeterquam in Duplicibus I classis primariis Domini Ecclesiae universalis.

ARTICULUS III.

Missa votiva solemniter de Festo Patroni principalis, Tituli vel Dedicacionis propriae Ecclesiae, Tituli vel S. Fundatoris Ordinis seu Congregationis.

1523. — Si Festum Patroni principalis, aut Tituli, vel Dedicacionis propriae Ecclesiae, aut etiam Tituli, vel Sancti Fundatoris Ordinis, seu Congregationis, per accidens impediatur, de eo in sua die permittitur una Missa in cantu.

Haec Missa, iisdem diebus quibus Missa votiva solemniter pro re gravi (vide n. 1515), prohibetur.

Diebus impeditis fit Commemoratio Festi in Missa cantata diei currentis, quamvis Conventuali, sub unica conclusione, iuxta regulas traditas sub eodem numero.

ARTICULUS IV.

*Missae de iisdem Festis
translati in Dominicam minorem proxime sequentem.*

1524. — In Dominicis minoribus per annum in Ecclesiis et Oratoriis publicis, aut semi-publicis, ubi reponatur solemnitas externa Festi Patroni principalis, aut Tituli, vel Dedicationis propriae Ecclesiae, aut etiam Tituli, vel Sancti Fundatoris Ordinis, seu Congregationis, quod infra praecedentem hebdomadam occurrerit, cani potest Missa de solemnitate translata et de ea pariter legi potest unica Missa.

1525. — Hae Missae prohibentur:

I. - In Dominicis minoribus in quibus occurrit Festum ritus duplicis I classis;

II. - In Dominica minori in qua dies 2 Februarii et 25 Aprilis occurrunt, si secus Candelarum benedictio, aut Processio Litaniarum, omittenda esset;

III. - In Ecclesiis ubi cuiuslibet Missae conventualis onus urgeat, cui per alios Sacerdotes satisfieri nequeat.

In Dominicis impeditis, in Missa cantata, etsi Conventuali, et in una lecta diei, Orationi primae addi potest Oratio de solemnitate externa sub unica conclusione, praeterquam in duplicibus primariis Domini I classis Ecclesiae universalis et in Officiis de identico Domini Mystero, vel de eadem Sancti Persona.

In hac Missa tantum fieri debet Commemoratio currentis duplicis II classis, Dominicae, Octavae privilegiatae et Vigiliae Epiphaniae.

ARTICULUS V.

Missae votivae sollemnitate occasione populi concursus.

1526. — In Ecclesiis ubi cum magno populi concursu, cuius rei iudex erit loci Ordinarius, celebretur Festum quod transferri, aut commemorari, vel accidentaliter omitti debeat, aut de Mystero, Sancto vel Beato cuius mentio illa die fiat in Martyrologio, vel in eius Appendice pro respectivis Ecclesiis approbata, permittitur una Missa in cantu de illo Festo.

Haec Missa, iisdem diebus quibus Missa votiva sollemnis pro re gravi (vide n. 1515), prohibetur.

In hac Missa omnes Commemorationes fiunt quae conveniunt ritui duplici I vel II classis, si sub hoc ritu Festum in proprio Calendario fuerit inscriptum; secus cum omnibus Commemorationibus ritui duplici maiori et minori congruentibus. Diebus impeditis fit Commemoratio Festi in Missa cantata diei currentis, licet Conventuali, sub unica conclusione, iuxta regulas traditas sub n. 1515.

ARTICULUS VI.

*Missae votiva de Sacratissimo Corde Iesu
prima cuiusvis mensis feria VI.*

1527. — In Ecclesiis et Oratoriis ubi peculiaria exercitia pietatis in honorem Divini Cordis, approbante Ordinario, mane peraguntur, permittitur Missa de Sacratissimo Corde Iesu.

Haec Missa dicitur cum *Gloria in excelsis* et *Credo* et unica Oratione (nisi occurrat duplex II classis, vel Feria maior de quibus fit Commemoratio, et si Festum duplex II classis commemoratum habeat Evangelium stricte proprium, hoc Evangelium nec non Evangelium Feriae legitur in fine), quamvis sine cantu celebretur. Omittuntur Preces a S. P. Leone XIII praescriptae, expleta Missa.

1528. — Haec Missa prohibetur:

I. - Diebus quibus fit Officium aut Commemoratio de quolibet Festo Christi Domini; in Vigilia Epiphaniae; diebus infra Octavam, quamvis simplicem, cuiuslibet Festi Christi Domini; in Festo Purificationis B. M. V.; in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum;

II. - Die II, III, IV mensis Ianuarii, qua die, more votivo sollemni, dicitur Missa: *Puer natus est nobis* etc., de die 30 Decembris; Feria VI post Octavam Ascensionis, qua die dicitur, more votivo sollemni, Missa de Dominica infra Octavam Ascensionis;

III. - In Festis duplicis I classis, quae non sint de Christo Domino; infra Octavam Pentecostes et infra Octavas alicubi privilegiatas, quae non sint de Christo Domino; quibus diebus, more votivo sollemni, dicitur Missa diei currentis, addita Commemoratione de SS. Corde Iesu sub unica conclusione cum prima Oratione;

IV. - In Ecclesiis, ubi cuiuslibet Missae conventualis onus urgeat, cui per alios Sacerdotes satisfieri nequeat; quo in casu, more votivo solemniter, dicitur Missa conventualis, addita Commemoratione de SS. Corde Iesu sub unica conclusione cum prima Oratione.

ARTICULUS VII.

*De Missis votivis SS. Cordis Iesu
in eius solemnitate externa translata.*

1529. — S. R. Congregatio rescribendum censuit: « Firmiter manente Festo SS. Cordis Iesu Feriae VI post octavam Corporis Christi affixo, quotannis recolendo cum Officio et Missa propriis iuxta Rubricas et Decreta, eiusdem Festi externam solemnitatem, in alium diem a R. mis Ordinariis locorum designatam, posse in unoquoque anno transferri etiam cum privilegio celebrationis Missae propriae de ipsomet SS. Corde Iesu » (D. 3960).

1530. — Missa solemniter seu cantata de Festo SS. Cordis Iesu in eius solemnitate externa translata prohibetur:

I. - In duplicibus I classis;

II. - In Dominicis I classis.

Missae autem privatae prohibentur:

I. - In duplicibus I et II classis;

II. - In Dominicis I et II classis;

III. - In Feria IV Cinerum et in Feriis II, III, IV Maioris Hebdomadae;

IV. - In Vigilia Nativitatis, Epiphaniae et Pentecostes;

V. - Infra Octavas privilegiatas.

In omnibus his Missis fit tantum Commemoratio:

I. - De duplici II classis;

II. - De Dominica quavis;

III. - De Feria maiore et de Rogationibus;

IV. - De Vigilia privilegiata et de Octava privilegiata.

Numquam omittatur Missa Conventualis Officio diei respondens, ubi eam celebrandi obligatio adsit.

ARTICULUS VIII.

De Missa votiva S. Aloisii Gonzagae Confessoris.

1531. — In S. Aloisii Gonzagae Confessoris solemnitate die ab Ordinariis designata, omnes Missae propriae de eodem S. Aloisio celebrari possunt (D. 3918).

1532. — Missa solemniter seu cantata de Festo S. Aloisii in eius solemnitate translata prohibetur:

I. - In duplicibus I classis;

II. - In Dominicis I classis.

Missae privatae prohibentur iisdem diebus notatis sub n. 1530.

In Missa solemniter et in Missis privatis, omnes Commemorationes faciendae quae ritui minori respondeant, scilicet faciendae sunt omnes Commemorationes notatae in Calendario Ecclesiae. Si vero Festum S. Aloisii, ex Indulto Apostolico, sub ritu duplicis II classis celebratur, tum fiunt omnes Commemorationes ea die occurrentes praeterquam de die infra Octavam communem, et, extra Missas privatas, de Festo simplici, vel de die Octava item simplici.

Numquam omittatur Missa Conventualis Officio diei respondens, ubi eam celebrandi obligatio adsit.

ARTICULUS IX.

*Missa votiva solemniter in anniversario Creationis
et Coronationis Papae atque Electionis et Consecrationis Episcopi.*

1533. — Missa in anniversario Creationis et Coronationis Papae celebrari potest tantum ut Missa votiva solemniter (Addit. et Variat. in Rubr. Missal., Tit. II, n. 4).

1534. — In anniversario tum Electionis aut Translationis, si contigerit, tum Consecrationis Episcopi, in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis Dioecesis praeter Missam Conventualem de die, vel aliam a Rubricis praescriptam, accedente quidem Episcopi mandato, celebrari debet Missa votiva solemniter prout in Missali habetur. Haec Missa modo privato celebrari nequit (Addit. et Variat. in

Rubr. Missal., T. II, n. 5; D. 2823 ad II). Non est praeceptiva in Ecclesiis conventualibus, aut in aliis Ecclesiis dioecesis (DD. 2168; 3792 ad III).

1535. — Dies anniversaria Electionis aut Translationis pro omnibus Episcopis electis aut translatis ante diem XX Maii MCMX, computanda est a die Consistorialis publicationis; pro electis vero post illam diem, Anniversarium computandum est a die Consistorialis publicationis, quoad Episcopos in Consistorio electos, aut translatos; quoad ceteros Episcopos electos, aut translatos, ante publicationem in Consistorio, a die expeditionis Litterarum Apostolicarum ad electionem, seu translationem pertinentium. Item dicendum est de Episcopis ad Archiepiscopatum eVectis. Si vero agatur de aliquo Episcopo Coadiutore cum futura successione, dies electionis censetur ille quo datae sunt Litterae Apostolicae pro Coadiutoria (DD. 2672 ad 3; 3440; 4254).

1536. — Haec Missa votiva solemniter canitur post Nonam, paramenti albi coloris, cum *Gloria* et *Credo* et Praefatione de Apostolis et in fine legitur Evangelium S. Ioannis: *In principio erat etc.*, nisi in Missa Commemoratio facta fuerit de Dominica, de Feria Quadragesimae, vel Passionis, vel secunda Rogationum, vel Quatuor Temporum, vel de Vigilia, aut de die Octava Epiphaniae, vel de die infra Octavam privilegiatam I ordinis, vel de duplici II classis cum Evangelio stricte proprio, quibus in casibus, de iisdem legitur Evangelium in fine.

Haec Missa prohibetur:

- I. - In Dominicis I classis;
- II. - In duplicibus I classis;
- III. - Feria IV Cinerum; Feria II, III, IV Maioris Hebdomadae;
- IV. - In Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes;
- V. - In Commem. Omnium Fidelium Defunctorum;
- VI. - In Ecclesiis ubi cuiuslibet Missae Conventualis onus urgeati cui per alios Sacerdotes satisfieri nequeat;
- VII. - In Ecclesiis unam tantum Missam habentibus, prohibetur etiam die 2 Februarii, si fiat Benedictio Candelarum, et in Litaniiis Maioribus et Minoribus, si fiat Processio.

Diebus impeditis canitur tantum Missa conventualis de Officio, et Orationi principali Missae, sub unica conclusione, additur Commemoratio pro Summo Pontifice, vel Episcopo. Commemoratio ista omittenda est in Festis duplicibus I classis primariis de Domino pro

Ecclesia universali, exceptis Feriis II et III post Pascha et Pentecosten, et in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum.

1537. — Si anniversarium Summi Pontificis pro tota Ecclesia, vel Episcopi pro tota Dioecesi respective in perpetuum a duplici I classis, aut a Vigilia Nativitatis Domini, aut a Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum impediatur, Missa votiva fixe transfertur in proximiorum sequentem diem in Calendario universali, vel dioecetano, respective liberam a Festo duplici I classis. Et similiter in proximiori sequenti die libera fixe reponitur anniversarium Episcopi, si eadem die occurrat cum alterutro anniversario Summi Pontificis.

ARTICULUS X.

De Missa votiva pro Sponso et Sponsa.

1538. — In Missa votiva pro Sponsis adhibetur color albus; omittitur *Gloria*; tres Orationes dicuntur: prima scilicet eiusdem Missae votivae, secunda et tertia Officii diei currentis; si vero in duplicibus celebratur, fiunt tantum Commemorationes occurrentes et omittitur tertia Oratio de tempore; numquam omittuntur Collectae imperatae. Non dicitur *Credo*. Praefatio semper erit Communis, nisi propria Officii commemorati, vel Octavae, vel Temporis occurrat, quo in casu dicitur ea de qua in Missa fit prius Commemoratio. Celebrans, responso a Ministro: *Sed libera nos a malo*, secreto dicit: *Amen*; deinde genuflectit et paululum ad cornu Epistolae se retrahit, ne terga SS. Sacramento vertat, ubi ad Sponsos conversus, iunctis manibus, super eos Orationes dicit: *Oremus. Propitiare etc.*, et *Oremus. Deus, qui potestate virtutis tuae etc.* Completis Orationibus, Celebrans ad Altare se convertit, genuflectit, more solito, Patenam abstergit et dicit: *Libera nos etc.* Si consuetudo viget, pacem Sponsis dari posse instrumento videtur.

Postquam pretiosissimum Sanguinem sumpsit, Sponsos communicat, si communicaturi sint.

Dicto: *Benedicamus Domino*, Celebrans iterum ad Sponsos conversus, super eos, iunctis manibus, dicit Orationem: *Deus Abraham etc.*, postea, brevi sed gravi sermone, eosdem moneat ut sibi invicem servent fidem: orationis tempore et praesertim ieiuniorum ac solemnitatibus casti maneant et vir uxorem atque uxor virum diligant et in timore Dei permaneant. Accepto a Ministro aspersione, eos aqua benedicta per modum Crucis aspergit et ad Altare conversus, more solito, dicit: *Placeat tibi, sancta Trinitas etc.* Legit in fine Evangelium

S. Ioannis, aut de Feria, vel de Vigilia vel de Officio commemorato (stricte proprium), si huius facta sit Commemoratio.

Omittuntur praescriptae preces a Summis Pontificibus (D. 4305).

1539. — Missa votiva pro Sponsis cum propria benedictione permittitur quotidie per annum, extra tempus clausum, nempe, a Nativitate Domini exclusive ad Feriam IV Cinerum exclusive, et a die Paschatis exclusive ad primam Dominicam Adventus exclusive. Permittitur etiam, tempore clauso, quoties Ordinarius loci, ex iusta causa, benedictionem nuptialem permiserit.

Prohibetur tamen:

1. in Dominicis ac Festis de praecepto etiam suppressis;
2. in duplicibus I et II classis;
3. in Vigiliis Nativitatis, Epiphaniae, Pentecostes;
4. infra Octavas Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes et Corporis Christi;
5. in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum;
6. in Feria IV Cinerum, in Feriis II, III, IV Maioris Hebdomadae;
7. in Ecclesiis ubi cuiuslibet Missae conventualis onus urgeat, cui per alios Sacerdotes satisfieri nequeat; et in Ecclesiis unam tantum Missam habentibus, diebus Rogationum, si fiat Processio.

In his autem casibus exceptis, dicitur Missa de die, in eaque additur Oratio pro Sponsis, sub unica conclusione cum prima, atque datur benedictio pro eis propria.

1540. — Adverte tamen hanc benedictionem numquam dari posse:

- I. - Extra Missam;
- II. - Si Missa aut Commemoratio pro Sponsis haberi nequeat;
- III. - Si Sponsi absentes sint;
- IV. - Si uterque vel alteruter iam benedictionem acceperit, servata nihilominus, sicubi vigeat, consuetudine benedictionis ut supra impertiendae, si hanc vir tantum obtinuerit.

Quod si nuptiae, tempore clauso, contractae fuerint, non concessa a loci Ordinario venia benedictionis nuptiarum, Missa cum propria benedictione differtur ad diem in qua, extra tempus clausum, Missa pro Sponsis vel eius Commemoratio permittitur (Addit. et Variat. in Rubr. Miss., Tit. II, n. 2; C. I. C. 1101, § 1; DD. 3016 ad 1; 3798 ad 4).

1541. — Ex indulto Apostolico aliquando permittitur benedictio nuptialis extra Missam impertienda, iuxta formulam a S. Rituum Congregatione approbatam die 11 Martii 1914 et in Ritualis Romani appendice *De Matrimonio* insertam.

1542. — Tabula de Missa Votiva pro Sponsis.

Dies	Missa	Color	Gloria	Orationes	Credo	Præf.	In fine	Ut. Evang.						
In Dupl. I et II cl.	Ut in Calendario		Dicitur	Ut in Calendario, et, sub unica concl. cum Orat. Missæ, dic. Orat. pro Sponsis	Omitt.		Ite Missa est							
In Dom.; Fest. de præcept. et in Vig. privil.			Ut in Kal.				Ut in Calendario							
In Feriis privileg.			Omitt.				Ben. D.no							
Infra Oct. privil. I et II Ord.			Dicitur				Ite Missa est							
Dieb. Rogat., si fiat Proces. in Eccl. 1 tt. Miss. hab.			Omitt.				Ben. D.no							
In Festis inf. Oct. privil. III Ord. vel inf. Oct. commun.			pro Sponso et Sponsa				albus		omittitur	2 de Off. curr., 3 de Octava; 4 De simpl. si adsit	omittitur	Ut in Calendario	Benedicamus Domino	semper S. Ioannis dummodo facta non fuerit Com. habens pr. Ev. quod non sit (etsi in principio) id. cum illo Missæ.
In Offic. de Oct. vel privil. III Ord. vel commun.														
In Dupl. mai. et min.	2 de Off. curr. 3 Simpl. vel Fer. si occ.													
In Semidupl.	2 de Off. curr. 3 Simpl. vel Fer. si occur.; vel pro div. temp.													
In Dom. anticip.				2 de Dom. ant. 3 quæ in Kalend. dicenda erit secundo loco			de Sanctiss. Trinit.							

In die Commem. Omn. Fidel. Defunct. prohib. Missa, Commem. et Bened.

ARTICULUS XI.

De Missa votiva solemniter pro Fidei Propagatione.

1543. — Summus Pontifex Pius XI per Rescriptum S. Rituum Congregationis diei 14 Aprilis 1926 concessit ut in occasione Festorum, vel Comitiorum, pro Missionibus celebrari possit, de prudenti iudicio Ordinariorum, Missa votiva pro *Fidei Propagatione* etiam in diebus ritus duplicis maioris et in Dominicis minoribus.

Haec Missa celebratur cum paramentis violacei coloris, sine *Gloria*, cum omnibus Commemorationibus quae duplici conveniunt et dicitur *Credo* et Praefatio communis, vel propria Officii prius commemorati, et, in huius defectu, si celebretur infra Octavam quae propriam Praefationem habet, dicitur Praefatio de Octava, etiam non commemorata. Si celebretur infra tempus quod Praefationem propriam habet, dicitur Praefatio *de tempore*. Ultimum Evangelium dicitur S. Ioannis: *In principio erat* etc., nisi in Missa Commemoratio facta fuerit de Dominica, de Feria Quadragesimae, Passionis, secunda Rogationum, Quatuor Temporum, vel de Vigilia, vel de Octava, vel de Festo cum Evangelio stricte proprio; quibus in casibus, de iisdem legitur Evangelium in fine.

In Ecclesiis ubi cuiuslibet Missae conventualis onus urgeat cui per alios Sacerdotes satisfieri nequeat, haec Missa votiva prohibetur; item prohibetur in Ecclesiis, unam tantum Missam habentibus, in Feria III Rogationum, si fiat Processio.

ARTICULUS XII.

De Missa votiva et de collecta pro Fidei Propagatione (ex Decr. S. R. C. 4379 die 17 Nov. 1922).

1544. — Summus Pontifex Pius XI benigne concessit ut Missa votiva *de Propagatione Fidei* celebrari possit, semel in anno, diebus ab Ordinario cuiusque loci designandis, exceptis tamen:

- I. - Festis duplicibus I et II classis;
- II. - Dominicis maioribus;
- III. - Octavis I et II Ordinis;
- IV. - Feriis et Vigiliis quae sint ex privilegiatis.

Haec Missa non est praeceptiva, sed indulgentiva, et die ab Ordinario loci designata celebrari potest ab omnibus Sacerdotibus atque in quibusvis Ecclesiis et Oratoriis, etiam privatis, sed omitti ne-

queunt Missae Conventuales, tam de occurrente Festo quam de Feria aut Vigilia, ubi earum onus urget iuxta Rubricas, neque Missa de Rogationibus, ubi fiat Processio, Missa pro oratione XL Horarum, neque aliae Missae praescriptae, sive ex Rubricis et Decretis, sive ex fundatione. Parochus vero eandem Missam votivam pro *Fidei Propagatione* dicere potest, etiamsi die ab Ordinario designata Sacrum pro populo applicare teneatur.

In hac Missa votiva pro *Fidei Propagatione* omittitur *Gloria* et dicitur *Credo*, atque facienda est Commemoratio de occurrente Festo, etiam simplici, de quavis Dominica, de Feria maiori, de Rogationibus, de quavis Vigilia, de Octava etiam communi, non autem de occurrente Feria per annum, aut de S. Maria in Sabbato, etiamsi de ea Officium fiat; item addendae sunt Collectae ab Ordinario imperatae, etiam pro re non gravi, Oratio: *Fidelium* etc., pro Defunctis in prima die libera mensis et in Feria secunda libera cuiusque hebdomadae, non autem Orationes *pro diversitate temporum* assignatae (Addit. et Variat. in Rubr. Miss., Tit. III, 2, 3; Tit. VI, 1).

Quando huiusmodi Missa votiva impediatur, in Missa diei currentis fieri potest Commemoratio Missae votivae secus dicendae, sub unica conclusione cum prima Oratione (Addit. et Variat. in Rubr. Miss., Tit. V, n. 3), nisi occurrat Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum, aut duplex I classis Domini primarium universalis Ecclesiae praeterquam Ferae II et III Paschatis vel Pentecostes, in quibus permittitur. Quo in casu, ratione praefatae Commemorationis de Missa votiva, in Missa diei currentis dicitur *Credo*, nisi ritus sit simplex (*loc. cit.*, Tit. VII, n. 3), non autem ultimum Evangelium de Missa votiva commemorata utpote quod non est *stricte proprium* iuxta Decret. S. R. C. 4369 (*Ephem. Liturg.* ann. 1923, pag. 6 et 7).

1545. — **De Collecta pro Fidei Propagatione.** — Pius Pp. XI per Rescriptum diei 14 Aprilis 1926 S. Rituum Congregationis concessit ut, ad omnes Missas paenultimae Dominicae Octobris, addatur tamquam Collecta pro re gravi Oratio *pro Fidei Propagatione*.

ARTICULUS XIII.

De Missis in triduo vel octiduo solemniter celebrando intra annum a Beatificatione vel Canonizatione (ex Instruct. S. R. C. 25 Martii 1925; D. 4394).

1546. — In solemnibus, sive triduanis sive octiduanis, quae in honorem alicuius Sancti, vel Beati, celebrari permittuntur, Missae

omnes de ipsa festivitate, ob peculiarem celebritatem, dicantur cum *Gloria* et *Credo* et cum Evangelio S. Ioannis in fine, nisi legendum sit aliud Evangelium, iuxta Rubricas.

1547. — Missa sollemnis, seu cantata, ubi altera Missa de Officio currenti celebretur, dicatur cum unica Oratione; secus fiant tantummodo Commemorationes de duplici secundae classis, et omnes aliae quae in duplicibus primae classis permittuntur.

Haec Missa prohibetur:

- I. - In Dominicis I classis;
- II. - In Festis duplicibus I classis;
- III. - Feria IV Cinerum, Feriis II, III, IV Maioris Hebdomadae;
- IV. - Infra Octavas Paschatis et Pentecostes;
- V. - In die Octava Epiphaniae et SS. Corporis Christi;
- VI. - In Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes;
- VII. - In Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum.

1548. — Missae lectae dicuntur cum omnibus Commemorationibus occurrentibus, sed Orationibus de tempore et Collectis exclusis.

Haec Missae, praeter diebus supra citatis (n. **1547**), etiam prohibentur:

- I. - In Dominicis II classis;
- II. - In Festis duplicibus II classis;
- III. - Infra Octavas Epiphaniae et SS. Corporis Christi.

Diebus impeditis Missae dicendae sunt de occurrente Festo, vel Dominica, aliisve diebus ut supra privilegiatis, prouti ritus diei postulat, cum Commemoratione de Sancto, vel Beato, et quidem sub unica conclusione cum prima Oratione. Haec tamen Commemoratio omittatur si occurrat duplex primae classis Domini primarium universalis Ecclesiae, praeterquam Feriae II et III Paschatis et Pentecostes, in quibus ea permittitur.

In Ecclesiis ubi adest onus celebrandi Missam quamlibet conventualem, eiusmodi Missa numquam omittenda erit.

1549. — Si Pontificalia Missarum de Sancto, vel Beato, ad Thronum fiant, haud Tertia canenda erit, Episcopo paramenta sumente, sed Hora Nona; quae tamen Hora de ipso Sancto, vel Beato, semper erit, eaque, ad implendam Divini Officii obligationem, substitui non poterit Horae Nonae de die currenti.

APPENDIX III.

DE DIEBUS QUIBUS MISSAE DE REQUIE PROHIBENTUR

CAPUT UNICUM.

ARTICULUS I.

De diebus quibus Missae privatae de Requie prohibentur.

1550. — Missae privatae Defunctorum:

I. - In Ecclesiis ubi funus exequiale persolvitur, etiam absente rationabilem ob causam, vel iam sepulto cadavere;

II. - In die tertia, septima, trigesima et anniversaria ab obitu vel depositione, unica Missa lecta;

III. - In opportuniore die post acceptum mortis nuntium;

IV. - In Oratoriis semi-publicis, quae, deficiente Ecclesia vel Oratorio publico, horum locum tenent; unica die ad libitum ab obitu usque ad depositionem Defuncti;

V. - In Oratoriis semi-publicis, quae locum non tenent Ecclesiae aut Oratorii publici; et in Oratoriis stricte privatis Defuncti, dummodo cadaver sit physice praesens in domo ubi erecta sunt ipsa Oratoria: quotidie ab obitu usque ad depositionem Defuncti.

Prohibentur:

1. in Dominicis et Festis de praecepto, licet suppressis;
2. in duplicibus I vel II classis, etiam translatis;
3. in Commem. Omn. Fid. Defunctorum;
4. in Vigiliis privilegiatis Nativitatis Domini, Epiphaniae et Pentecostes;
5. in Feria IV Cinerum et Feriis II, III, et IV Hebdomadae Maioris;
6. infra quascumque Octavas privilegiatas, etiam III Ordinis.

1551. — In Ecclesia, vel Oratorio publico ac principali Sepulcreti seu Coemeterii, rite erecto vel erigendo, imo et in quolibet Sacello Sepulcreti Missae quae inibi celebrari permittuntur possunt

esse de Requite, prohibentur tamen in diebus sub n. 1, 2, 4, 5, 6 supra notatis.

Privilegium hoc non favet Ecclesiis vel Cappellis extra Coemeterium, subter quas, licet ad legitimam distantiam, alicuius Defuncti cadaver quiescit; neque Ecclesiis, Oratoriis publicis et Sacellis Sepulcreti, in quo olim cadavera sepeliebantur, nunc autem, qualibet ex causa, amplius sepeliri non soleant.

Neque privilegium valet pro Ecclesiis quae, licet circumiacens habeant Coemeterium, tamen adiunctum habent onus chorale, vel animarum curam adnexam.

1552. — Missae quotidianae praeter diebus supra citatis n. 1, 2, 3, 4, 5, 6 etiam prohibentur:

A) toto tempore Quadragesimae, excepta in unaquaque hebdomada, post Feriam IV Cinerum, prima die libera a Festo ritus duplicis, a Feria Quatuor Temporum aut Vigilia;

B) etiam si tantum commemoratis:

a) in Feriis Quatuor Temporum; in Feriis Adventus a die 17 ad 23 Decembris inclusive; in Feria II Rogationum;

b) in omnibus Vigiliis;

c) in diebus Octavis simplicibus.

C) in diebus in quibus primo resumitur Missa Dominicae praecedentis impedita.

1553. — Pro paupere defuncto, in Ecclesia in qua eius funus exequiale agitur, etiam absente cadavere, rationabilem ob causam, vel iam sepulto, permittitur unica Missa lecta pro die obitus.

Attamen haec Missa prohibetur:

a) in Festis Nativitatis, Epiphaniae, Paschae, Ascensionis, Pentecostes, SS. Trinitatis, Corporis Christi, Sacratiss. Cordis Iesu, D. N. Iesu Christi Regis; Conceptionis Immaculatae, Annuntiationis et Assumptionis B. Mariae Virginis; Dedicacionis S. Michaëlis Archangeli, Nativitatis S. Ioannis Baptistae, S. Ioseph (19 Martii), Feria IV infra hebdomadam secundam post Pascha, in qua eiusdem S. Ioseph Ecclesiae Universalis Patroni solemnitas agitur, Ss. Petri et Pauli, Omnium Sanctorum et ultimo triduo Maioris Hebdomadae;

b) in Festis Dedicacionis et Tituli Ecclesiae in qua funus persolvendum est, necnon Patroni Principalis loci, et pro Religiosis Institutis in Festis Tituli, aut S. Fundatoris Ordinis, seu Congregationis.

1554. — Tabula de Missis Defunctorum.

	Missae cantatae			Missae lectae		
	Exequialis (pro paup. etiam lecta) Die 3, 7, 30: in anniv. sive stricto sive late sumpto: in Octid. Oo. fid. def.; opportun. die post. nunt.; et in transi. cadav.	Quotidiane	In Sacellis sepulcreti (sive cant. sive lectae)	Occas. funer. exseq. - Die 3, 7, 30: in anniv. stricto sumpto: et opportun. die post nunt. oblit. unica Missa.	Quotidiane	
C = conceditur						
P = prohibetur						
Temp. solemn. Exposit. Ss.mi Sacram. . .	P	P	P	P	P	P
Urg. onere Miss. Convent. vel Paroch. . .	P	P	P	P	P	P
Ult. trid. mai. Hebd. - Dominicis Pasch. et Pent.	P	P	P	P	P	P
Festis: Nativ., Epiph. et Ascens. D.ñi - SS. Trinit.	P	P	P	P	P	P
SS. Corp. Chr. - SS. Cordis I. - D. N. I. C. Regis Imm. Concept. - Annunt. - et Assumpt. B. M. V.	P	P	P	P	P	P
Dedic. S. Michaëlis Arc. - S. Ioseph (19 mart.)	P	P	P	P	P	P
Solemnit. S. Ioseph - Nativ. S. Io. Bapt.	P ¹	P	P	P	P	P
Ss. Petri et Pauli - Omn. Sanct.	P	P	P	P	P	P
Dedic. et Titul. Eccl. pr. - Patron. princ. loci	P ¹	P	P	P	P	P
Titul. et S. Fundat. Ordin. seu Congreg.	P ¹	P	P	P	P	P
Commem. Omn. Fidel. Defunct.	C ²	P	P	C	P	P
Die 2 Febr. - Fer. IV Ciner. - Dom. Palmar.	C ³	P	P	P	P	P
Litan. maior. - Vigilia Pentec.	C ³	P	P	P	P	P
Litan. minor.	C ³	C ²	C ³	C ³	C ³	P ⁴
In Domin. et Festis de praec., licet suppressis Vigil. et Oct. Nativ. et Epiph. Dom.	C	P	P	P	P	P
Fer. II, III et IV Mai. Hebdom.	C	P	P	P	P	P
Oct. Pasch. et Pent. (etiam fer. II et III), Ascens., Corp. Chr. et SS. Cordis Iesu	C	P	P	P	P	P
Reliq. Dupl. I et II cl.	C	P	P	P	P	P
Dupl. mai. et min.	C	C	P	C	C	P
Domin. anticip. - Domin. etiam quoad Offic. repos.	C	C	P	C	C	P
Die in qua resumit. Missa Dom. imped.	C	C	C	C	C	P ⁵
Feriis Quadrag. et Hebd. Passionis	C	C	C	C	C	P ⁵
Feriis Quat. Temp. - et Antiph. maior.	C	C	C	C	C	P
Dieb. Octav. simpl. - et Vigiliis commun.	C	C	C	C	C	P
Semidupl. - et reliq. Simplic.	C	C	C	C	C	C
Inf. Oct. comm. - et Fer. 6 post Oct. Ascens.	C	C	C	C	C	C
Feriis Advent. - et Feriis commun.	C	C	C	C	C	C

1. Si Solemnitas hui. Festi transf. in Dom. prox. seq. Missa exseq. permitt. in Festo, et prohib. in Domin.
2. Dicit. tamen una ex Miss. de die cum com. Miss. exseq. sub un. concl.
3. Prohib. vero in Eccles. 1 tt. Missam habent., si respective fiat Bened. Candel., Ciner., Palmar. aut Fontis baptism., vel Processio.
4. Permilt. tamen in fer. 3 Rogat. in Eccl. plur. Miss. hab.; et etiam in Eccl. 1 tt. Miss. hab., si non fiat Processio.
5. Permilt. tamen prima die cuiusq. hebd. libera iuxta Kalend. Eccl. in qua Missa celebratur.

ARTICULUS II.

De diebus quibus Missa solennis de Requie prohibetur.

1555. — Missa solennis de Requie, praesente cadavere, etiam absente rationabilem ob causam, vel iam sepulto cadavere, permittitur in Ecclesia ubi exequiale funus Defuncti agitur, sed prohibetur,

1. in Festis Nativitatis, Epiphaniae, Paschae, Ascensionis, Pentecostes, SS. Trinitatis, Corporis Christi, Sacratiss. Cordis Iesu, D. N. Iesu Christi Regis; Conceptionis Immaculatae, Annuntiationis et Assumptionis B. M. V.; Dedicationis S. Michaëlis Archangeli, Nativitatis S. Ioannis Baptistae, S. Ioseph (19 Martii), Feria IV infra hebdomadam secundam post Pascha, in qua eiusdem S. Ioseph Ecclesiae Universalis Patroni solemnitas agitur, Ss. Petri et Pauli, Omnium Sanctorum et ultimo triduo Maioris Hebdomadae;

2. in Festis Dedicationis et Tituli Ecclesiae in qua funus persolvendum est, nec non Patroni Principalis loci, et pro Religiosis Institutis in Festis Tituli, aut S. Fundatoris Ordinis, seu Congregationis.

Quando vero solemnitas alicuius Festi transfertur in Dominicam sequentem haec Missa prohibetur tantum in Dominica in qua agitur solemnitas externa.

Quoties haec Missa, ut supra, impediatur, transferri potest in proximiorum sequentem diem similiter non impeditam.

Absque indulto speciali, in die obitus seu depositionis, non nisi una Missa solennis seu cantata, et in una tantum Ecclesia pro eodem Defuncto permittitur, nisi agatur de iis diebus in quibus omnes Missae privatae pro Defunctis permittuntur.

1556. — Missa solennis de Requie in die tertia, septima, trigesima et anniversaria ab obitu vel depositione, et in opportuniori die post acceptum mortis nuntium cantari potest omnibus diebus praeterquam:

1. in Dominicis et Festis de praecepto, licet suppressis;
2. in duplicibus I vel II classis, etiam translatis;
3. in Commem. Omn. Fid. Defunctorum;
4. in Vigiliis privilegiatis Nativitatis Domini, Epiphaniae, Pentecostes;
5. in Feria IV Cinerum et Feriis II, III et IV Hebdomadae Maioris;
6. infra quascumque Octavas privilegiatas etiam III Ordinis.

1557. — Missa Quotidiana solennis praeter diebus supra citatis (n. 1554 et 1555), etiam prohibetur:

- a) in duplicibus maioribus et minoribus;
- b) die quo occurrat Dominica licet anticipata, vel etiam quoad Officium reposita.

1558. — Quaelibet Missa solennis Defunctorum, etiam in die aut pro die obitus, in Ecclesiis ubi habetur expositio SS. Sacramenti prohibetur toto expositionis tempore, praeterquam Missa de die Commem. Omn. Fid. Defunctorum.

Insuper quaelibet Missa solennis Defunctorum prohibetur quoties urgeat obligatio Missae Conventualis vel Parochialis, cui per alios Sacerdotes satisfieri nequeat; item in Ecclesiis unam tantum Missam habentibus, prohibetur die 2 Februarii, Feria IV Cinerum, Dominica Palmarum et in Vigilia Pentecostes, si respective fiat benedictio Candelarum, Cinerum, Palmarum, aut Fontis Baptismalis; nec non in Litanis sive Maioribus sive Minoribus, si fiat Processio.

INDICES

I.

INDEX ALPHABETICUS

Numeri indicant textus numeros marginales

A

Abacus – pro Funct. pontif.; eius forma, ubi et quomodo praeparandus 562, VII.
Abbas « Nullius » – celebrans Matut. pontif. cum Laud. 821.
– ad Matut. cum Laud. Defunct. 823.
– celebrans Miss. pontif. 1493.
– de Requie 1494.
– celebrans Vesperas pontif. 819.
– Defunct. 823.
Abbas regularis de regimine – vide **Abbas « Nullius »**.
– genuflexiones ei debentur in Eccl. suae iurisdictionis tantum 819, VI.
Ablutio digitorum in Missa – Sacerdos a ieiunio dispensatus binam Missam celebrans sumere potest digitorum ablutio- nem 1432.
Absolutio Defunctorum – absente corpore non est praeceptiva post Miss. exequia- lem 1116.
– praesente corpore, est praeceptiva post Miss. exequialem 1116.
– quando impertienda a Card. Ordinis Episc. vel Presbyterorum post Miss. ab Episc. vel a Sacerd. celebratam 1117.
– Episc. Ordin. impertire eam potest etiamsi Miss. non celebret 1117.

– **ad Pannum** – ab Episc. impertienda in Throno 1142.
– a Sacerd. impertienda 1329.
– post Miss. pontif. ad Fald. 1143.
– dispositio 1144.
– ab Episc. Ordin. impertienda, praesente Card. 1145.
– **ad Tumulum** – post Miss. pontif. – ad Fald. 1146.
– ad Thronum 1141.
– dispositio in exequiis S. Pontif., Card., Episcopi – absente corpore 1139.
– praesente corpore 1138.
– impertienda a Sacerd. – absente cor- pore 1328.
– praesente corpore 1323-1327.
Absolutiones quinque – quando peragenda- e sunt 1114, 1115.
– earum Ritus 1118-1140.
– dispositio – ad Altare antequam proce- datur ad Tumulum 1133.
– ad quamlibet ex quattuor Absol. 1136.
– ad Tumulum in exeq. Summ. Pon- tif., Card., Episc. – absente corpore 1139.
– praesente corpore 1138.
– si quattuor Episc. non adsint, loco de- ficientium Canonici Eccl. Cath. parantur; Canonici deficient. parantur Sacerdotes in aliqua dignitate constituti 1115.

- Accessus ad Chorum** 513-515.
Accessus ad Eccl. Cath. - Cardinalis 537.
 - Episc. Ordin. - cappa induti 519-526.
 - - rochetto et mozzetta induti 533.
 - - cum aliis Praelatis 529-531.
 - - cum Magistratu 532.
Accessus Episc. Ordin. ad Eccl. suae Dioec. 534-536.
Accessus Magistratus ad Eccl. 532.
Acolythi - in Missa cantata sine Ministris sacris 1299-1301.
Acolythus - ad bened. papalem 968, IX.
 - ad Matut. pontif. cum Laud. 723, V, D.
 - ad Miss. lectam a Card. vel ab Episc. Ordin. 1078, II.
 - ad Miss. solemn. - cum assist. Episc. Ordin. 1000, V.
 - - pontif. - celebrante Protonot. Apost. - de num. Particip. 1496.
 - - - - Supranumerario 1497; 1499.
 - - - - ad instar Particip. 1500.
 - - - - ad Fald. - celebrante Episc. Ordin. coram Card. 1038, VIII.
 - - - - celebrante Episc. extraneo 1056, VIII; 1058, VI.
 - - - - ad Thronum 966, VI.
 - ad Vesperas pontif. - ad Fald. - cum assist. Episc. Ordin. 694, V.
 - - - - celebrante Episc. extraneo 701, 703.
 - - - - ad Thronum 634.
A cunctis (Oratio in Missa) 1363.
 - quoad Regulares 1364.
Administrator Apostolicus permanenter constitutus, probabiliter eius nomen in Canone exprimendum est 1390.
Alleluia - Temp. Paschali et per Oct. Corporis Chr. in distributione s. Comm. additur post Antiph.: *O sacrum etc.* et post *panem etc.* 1424.
 - omittitur quando s. Comm. distribuatur immediate ante vel post Miss. de Requite 1481.
Aloisius G. Conf. (S.) - in eius solemnitate die ab Ordin. omnes Miss. propriae celebrari possunt 1531.
 - - de Commem. in Miss. faciendis 1532.
 - - quando prohibetur Miss. solemn. 1532.
 - - quando prohibentur Miss. priv. 1532.
Altare - quomodo incensandum 859, 870.
 - ordo eius thurificationis 873.
 - eius ornamenta ne adhibeantur ad Tumuli ornatum 1118, III.
 - eius ornatus - pro Miss. solemn. 1163, III.

- - - pontif. celebrante Episc. Ordin. 851, A, b.
 - - - Defunct. 1313, III.
 - - - pro Vesp. solemn. 745, III.
 - - - pontif. 562, IV.
 - - - Defunct. 780, III.
Altare SS. Sacramenti - ad Laud. solemn. non incensatur 801.
Anniversarium - Coronat. et elect. Papae - in eo Miss. vot. solemn. celebrari potest 1533, 1536, 1537.
 - elect. et transl. Episc. - quomodo computanda die anniv. 1535.
 - - Miss. solemn. in eo 1536.
 - - - - quando prohibetur 1536, 1537.
 - Ordinationis sacerdot. - Oratio in Missa 1367.
Annulum - eius usus in Miss. celebratione 1345.
Antiphona finalis B. M. V. - quando dicitur flexis genibus 771.
 - quando addenda ex praecepto in recitatione priv. div. Offic. 847.
Antiphonae - praeintonandae sunt Canonis, servato ordine praecedentiae tantum 663.
 - quomodo praeintonantur 589.
 - ad Matut. pontif. 716.
 - ad Laud. post Matut. pontif. 720.
 - in Offic. pro Defunct. intonantur a Cantoribus 733, 740, 782.
 - a quo et quibus praeintonantur - in Vesp. solemn. - cum assist. Episc. Ordin. 650, 658.
 - - - pontif. ad Thronum - Episc. celebrante in crastinum 589.
 - - - Episc. non celebrante in crastinum 643, 2, IV.
Aqua benedicta - vide **Aspersio**.
 - de eius Ministro:
 - - in Absol. Defunct. - ad Pannum - ab Episc. impertienda in Throno 1142.
 - - - post Miss. pontif. ad Fald. 1143, VI.
 - - - - celebrante Episc. Ordin. coram Card. 1145, IV.
 - - - - a Sacerd. impertienda 1330.
 - - - - ad Tumulum - post Miss. pontif. - ad Fald. 1146.
 - - - - - ad Thronum 1141.
 - - - - impertienda a Sacerd. - absente corpore 1328.
 - - - - praesente corpore 1314-1321.
 - - - - ad quinque Absolutiones 1140, IV.
Aspersio aquae benedictae - ab Episc. peragenda in Eccl. limine 525.

- - si Episcopi adsint 530.
 - ante Miss. convent. - diebus domin. praeceptiva est in Eccl. Cath. et Colleg. 1292.
 - - eius Ritus 1292-1298.
 - - - praesente Card. vel Episc. Ordin. 1295, 1296.
 - - - fieri potest etiam coram SS. Sac. exposito, omitta Alt. aspers. 1303.
Assistens - ad Miss. lectam cum aliqua solemn. a Protonot. Apost. 1502.
 - **primus** - ad Miss. lectam a Card. vel ab Episc. Ordin. 1077, I, II.
 - - - coram SS. Sac. exposito, *post n.* 1093.
 - - - coram Praelatis maioribus vel Principibus 1085.
 - **secundus** - ad Miss. lectam a Card. vel ab Episc. Ordin. 1077, I, III.
 - - - coram SS. Sac. exposito, *post n.* 1093.
Assistentes ad Vesperas - cantatas 778.
 - solemnes 754-762.
 - non sint Canonici, nisi consuetudo immemorab. adsit 752.
 - de eorum numero 753.
 - coram SS. Sac. exposito 779.
 - cum assist. Episc. Ordin. 655-661.
 - pontif. - celebrante Protonot. Apost. - de num. Particip. 831, 832.
 - - - - Supranumerario 836-838.
 - - - - ad instar Particip. 841.
 - - - - ad Fald. cum assist. Episc. Ordin. 685-692.
 - - - - celebrante Episc. extraneo 701, II, III; 703.
 - - - - coram SS. Sac. exposito 725.
Assistentia - Sacerd. caecus tenetur *sub gravi* in Miss. celebratione alterius Sacerdotis ea uti 1426, I.
 - Sacerd. dextero vel sinistro brachio carenti semper in Miss. celebratione alterius Sacerdotis ea uti 1427, 2, I; 1428, 2, I.
Ave maris stella - ad intonationem quomodo se gerit - Celebrans in Vesp. solemn. 749.
 - - cum assist. Episc. Ordin. 651.
 - - Episc. in Vesp. pontif. - ad Fald. 680.
 - - - ad Thronum 566.

B

- Baculus pastoralis** - eo non utitur - Episc. in Miss. pontif. de Requite 1097.

- - Episc. in Miss. priv. etiam diebus solemnior. 1075, II.
 - - Metropolita in Dioec. Suffr. quando celebrat ad Thronum in cornu Epist. erectum 698, 1043.
 - in eius summitate pro Abbat. appensum sit velum albi coloris 818, III.
 - **de eius Ministro:**
 - - generatim 556.
 - - ad bened. papalem post Miss. solemn. - cum assist. Episc. Ordin. 969, 970.
 - - - pontif. 968, VIII.
 - - ad Matut. pontif. cum Laud. 723, II.
 - - ad Miss. solemn. - cum assist. Episc. Ordin. 999, II.
 - - - pontif. - ad Fald. - cum assist. Episc. Ordin. 1052, VIII.
 - - - - celebrante Episc. Ord. - coram Card. 1038, II.
 - - - - ad Thronum 965.
 - - ad Vesp. pontif. - ad Fald. - celebrante Episc. Ordin. coram Card., Legato, aut Metropolita 696.
 - - - ad Thronum Episc. Ordin. - celebrante in crastinum 614-619.
 - - - - non celebrante in crastinum 643, 2, VIII.
Benedictio nuptialis - 1540.
 - extra Missam 1541.
Benedictio papalis - impertienda est expleta Miss. solemn. 967.
 - eius Ritus - post Miss. solemn. cum assist. Episc. Ordin. 969-970.
 - post Miss. solemn. pontif. 968.
Benedictio solemn. in fine Vesp. pontif. - ad Fald. - impertienda est ad Altare 682.
 - - celebrante Episc. Ordin. coram Card. Legato, convenienter impertienda est a Card. 696.
 - ad Thronum impertienda est vel ad Sedem vel ad Altare 569, 570.
Beneficiarius publicaturus Indulgentiam post bened. papalem 968, V.
Binatio Missae - de bina Missa ab eodem Sacerd. celebranda 1429-1432.
Biretum nigri coloris - et stola nigri vel violacei coloris apponuntur supra Tumulum in exequiis Sacerdotis 1141.
Biretum rubri coloris - apponitur supra Tumulum in exequiis Card.; apponi potest etiamsi Defunctus insignitus sit caractere episc. 1118, III.
Brachium - Instructio circa Miss. celebrationem pro Sacerd. - brachio dextero carante 1427.
 - - brachio sinistro carente 1428.

C

- Caecus** – celebrans Miss. ex privilegio, tenetur *sub gravi* alterius Sacerdotis assistentia uti 1426, I, 3.
- Caecutiens** – Instructio pro Sacerd. caecutiente circa Miss. celebrationem 1426.
- Caeremoniarum** – duo in Eccl. Cath. regulariter assumuntur; utriusque usus vestis violaceae competit 549.
- de eorum officio 548.
- de eorum qualitatibus 549.
- regulae generales spectantes ad eorum officium 551.
- Canonici esse possunt 550.
- Caeremoniarum** – a Capitulis collegial. eligatur ornatus iisdem qualitatibus quae in Caeremoniariis Eccl. Cath. requiruntur 552.
- Eccl. colleg. – ei non competit usus vestis violaceae 552.
- Canonici esse potest 550.
- regulae spectantes ad eius officium 551.
- ad Absol. Defunct. – ad Pannum 1329.
- ad Tumulum – absente corpore 1328.
- praesente corpore 1323-1327.
- ad aspers. aquae bened. ante Miss. solemn. 1292-1298.
- ad Commun. faciendam in Miss. solemn. 1285-1291.
- ad Matut. solemn. cum Laud. 792-801.
- Defunct. 808-811.
- ad Miss. lectam – a Card. vel ab Episc. Ordin. 1078, I.
- cum aliqua solemn. a Protonot. Apost. 1502, III.
- coram SS. Sacr. exposito, *post n.* 1093.
- ad Miss. solemn. 1249-1266.
- coram SS. Sacr. exposito 1303-1312.
- pontif. – celebrante Protonot. Apost. – Supran. extra Urbem et propr. Dioec. 1499.
- ad instar Particip. 1500.
- ad Miss. solemn. de Requie 1314-1321.
- ad Vesperas solennes 768-771.
- coram SS. Sacr. exposito 779.
- pontif. – celebrante Protonot. Apost. – de num. Particip. 833.
- Supranumerario 836-838; 840.
- ad instar Particip. 841.
- Defunct. 781-785.
- Caeremoniarum primus** – curam gerit circa Episc. personam 549.
- ad Absol. Defunct. – ad Pannum – impertienda in Throno 1142.
- post Miss. pontif. ad Fald. 1143.
- celebrante Episc. Ordin. coram Card. 1145.
- ad Tumulum – post Miss. pontif. – ad Fald. 1146.
- praesente Card. 1147.
- ad Thronum 1141.
- ad quinque Absolutiones 1131.
- ad aspers. aquae bened. praesente Card. vel Episc. Ordin. 1295-1296.
- ad bened. papalem post Miss. solemn. – cum assist. Episc. Ordin. 969, 970.
- pontif. 968, VI.
- ad Matut. pontif. cum Laud. celebrante Abb. vel Prael. «Nullius» vel Abb. regul. de regim. 821.
- celebrante Episc. Ordin. 722, I.
- Defunct. – celebrante Abb. vel Prael. «Nullius» vel Abb. regul. de regim. 823.
- celebrante Episc. Ordin. 740-744.
- ad Miss. solemn. – cum assist. Episc. Ordin. 993-997; 1001.
- pontif. – celebrante Abb. vel Prael. «Nullius» vel Abb. regul. de regim. 1493.
- celebrante Metropolita in Dioec. Suffr. 1048.
- celebrante Protonot. Apost. – de num. Particip. 1496.
- Supranum. intra fines suae Dioec. 1497.
- coram SS. Sacr. exposito, *post n.* 1072.
- ad Fald. – cum assist. Episc. Ordin. 1052, VI; 1053.
- celebrante Episc. Ordin. – coram Card. 1037, I.
- coram Metropolita 1040.
- celebrante Episc. extraneo 1056, III; 1058, IV.
- ad Thronum – celebrante Episc. Ordin. 944-950.
- celebrante Episc. extraneo 1054.
- ad Miss. solemn. de Requie cum assist. Episc. Ordin. 1149-1151.
- ad Miss. pontif. de Requie – celebrante Abb. vel Prael. «Nullius» vel Abb. regul. de regim. 1494.
- celebrante Metropolita in Dioec. Suffr., *post n.* 1162.
- celebrans Protonot. Apost. – de num. Particip., *post n.* 1496.
- Supran. intra fines suae Dioec., *post n.* 1497.
- ad Fald. – cum assist. Episc. Ordin., *post n.* 1162.
- praesente Card. vel Episc. Ordin. 1295, 1296.
- ad bened. papalem post Miss. solemn. – cum assist. Episc. Ordin. 969, 970.
- pontif. 968, VI.
- ad Matut. pontif. cum Laud. – celebrante Abb. vel Prael. «Nullius» vel Abb. regul. de regim. 821.
- celebrante Episc. Ordin. – coram Card. 1162, III.

- Defunct. – celebrante Abb. vel Prael. «Nullius» vel Abb. regul. de regim. 823.
- celebrante Episc. Ordin. 740-744.
- ad Miss. solemn. – cum assist. Episc. Ordin. 998; 1001.
- pontif. – celebrante Abb. vel Prael. «Nullius» vel Abb. regul. de regim. 1493.
- celebrante Metropolita in Dioec. Suffr. 1049.
- celebrante Protonot. Apost. – de num. Particip. 1496.
- Supranum. intra fines suae Dioec. 1497.
- coram SS. Sacr. exposito, *post n.* 1072.
- ad Fald. – cum assist. Episc. Ordin. 1052, VII; 1053.
- celebrante Episc. Ordin. – coram Card. 1037, II.
- coram Metropolita 1040.
- celebrante Episc. extraneo 1056, IV; 1058, V.
- ad Thronum – celebrante Episc. Ordin. 951-963.
- celebrante Episc. extraneo 1054.
- ad Miss. solemn. de Requie cum assist. Episc. Ordin. 1152-1154.
- ad Miss. pontif. de Requie – celebrante Abb. vel Prael. «Nullius» vel Abb. regul. de regim. 1494.
- celebrante Metropolita in Dioec. Suffr., *post n.* 1162.
- celebrante Protonot. Apost. – de num. Particip., *post n.* 1496.
- Supranum. intra fines suae Dioec., *post n.* 1497.
- ad Fald. – cum assist. Episc. Ordin., *post n.* 1162.
- celebrante Episc. Ordin. – coram Card. 1162, IV.
- coram Legato aut Metropolita, *post n.* 1162.
- celebrante Episc. extraneo, *post n.* 1162.
- ad Thronum – celebrante Episc. Ordin. 1112, II.
- celebrante Episc. extraneo, *post n.* 1162.
- ad Vesperas solemn. – cum assist. Episc. Ordin. 667-672.
- pontif. – celebrante Abb. vel Prael. «Nullius» vel Abb. regul. de regim. 823.
- celebrante Metropolita in Dioec. Suffr. 698.
- coram SS. Sacr. exposito 725.
- ad Fald. – cum assist. Episc. Ordin. 693, I.
- celebrante Episc. Ordin. coram Card., Legato, aut Metropolita 696.
- celebrante Episc. extraneo 701, 703.
- ad Thronum – Episc. Ordin. – celebrante in crastinum 599-603.
- non celebrante in crastinum 643, 2, VII.
- celebrante Episc. extraneo 699.
- ad Vesperas Defunct. – celebrante vel praesente – Abb. vel Prael. «Nullius» vel Abb. regul. de regim. 823.
- Episc. Ordin. 732-738.
- Caeremoniarum secundus** – curam gerit circa Dignitatum, Canonicorum aliorumque Ministrorum personas 549.
- ad Absol. Defunct. – ad Pannum – impertienda in Throno 1142.
- post Miss. pontif. ad Fald. 1143.
- celebrante Episc. Ordin. coram Card. 1145.
- ad Tumulum – post Miss. pontif. – ad Fald. 1146.
- praesente Card. 1147.
- ad Thronum 1141.
- ad quinque Absolutiones 1132.
- ad aspers. aquae bened. ante Miss. solemn. – cum assist. Episc. Ordin. 1003, V.
- praesente Card. vel Episc. Ordin. 1295, 1296.
- ad bened. papalem post Miss. solemn. – cum assist. Episc. Ordin. 969, 970.
- pontif. 968, VI.
- ad Matut. pontif. cum Laud. – celebrante Abb. vel Prael. «Nullius» vel Abb. regul. de regim. 821.
- celebrante Episc. Ordin. 722, II.

- — — ad Fald. — cum assist. Episc. Ordin. 693, II.
 — — — — celebrante Episc. Ordin. coram Card., Legato, aut Metropolita 696.
 — — — — celebrante Episc. extraneo 701; 703.
 — — — ad Thronum — Episc. Ordin. — celebrante in crastinum 604-610.
 — — — — non celebrante in crastinum 643, 2, VII.
 — — — — celebrante Episc. extraneo 699.
 — ad Vesperas Defunct. — celebrante vel praesente — Abb. vel Prael. «Nullius» vel Abb. regul. de regim. 823.
 — — Episc. Ordin. 732-738.
Campanae — quando pulsari debent accedente Episc. Ordin. ad Eccl. 523.
Candela — de eius Ministro — generatim 555.
 — — ad Absol. Defunct. — ad Pannum — impertienda in Throno 1142.
 — — — post Miss. pontif. ad Fald. 1143, V.
 — — — ad Tumulum — post Miss. pontif. — ad Fald. 1146.
 — — — — ad Thronum 1141.
 — — ad quinque Absol. 1140, I.
 — — ad bened. papalem post. Miss. solemn. — cum assist. Episc. Ordin. 969, 970.
 — — — pontif. 968, VII.
 — — ad Matut. — pontif. cum Laud. 723, I.
 — — — Defunct. 740-744.
 — — ad Miss. — lectam a Card. vel ab Episc. Ordin. 1078, II.
 — — — solemn. — cum assist. Episc. Ordin. 999, I; 1001.
 — — — pontif. — celebrante Protonot. Apost. — de num. Particip. 1496.
 — — — — Supranum. 1497, 1499.
 — — — — ad instar Particip. 1500.
 — — — — ad Fald. celebrante Episc. extraneo 1056, V; 1058, VI.
 — — — — ad Thronum 964.
 — — Miss. solemn. de Requie cum assist. Episc. Ordin. 1154, I.
 — — ad Miss. pontif. de Requie — ad Fald., *post n.* 1162.
 — — — ad Thronum 1113, I.
 — — ad Vesperas solemn. — cum assist. Episc. Ordin. 673, I.
 — — — pontif. — celebrante Protonot. Apost. — de num. Particip. 834.
 — — — — Supranum. 838, 840.
 — — — — ad instar Particip. 841.
 — — — — ad Fald. celebrante Episc. extraneo 701, 703.

- — — — ad Thronum — Episc. Ordin. — celebrante in crastinum 611-613.
 — — — — — non celebrante in crastinum 643, 2, VIII.
 — — — ad Vesp. Defunct. celebrante Episc. Ordin. 735, 736.
 — — **Cardinalis assistentis** — Miss. solemn. pontif. ad Fald. 1036, III; 1039.
 — — — Miss. pontif. de Requie — ad Fald. 1162, IV.
 — — — Vesp. pontif. ad Fald. 696.
 — — **Episcopi Ordin. assistentis** — Miss. solemn. pontif. ad Fald. 1052, VIII; 1053.
 — — — Missae pontif. de Requie ad Fald., *post n.* 1162.
 — — **Metropolitae assistentis** — Missae solemn. pontif. ad Fald. celebrante Episc. Ordin. 1040.
 — — — Miss. pontif. de Requie ad Fald. celebrante Episc. Ordin., *post n.* 1162.
Candelabra — in Miss. et Offic. Defunct. numquam argentea vel deaurata sint 731, I; 1094, III.
Candelabrum septimum — collocatur in eadem linea sex candelabrorum 851, A, b, I.
 — apponitur tantum quando Episc. Ordin. celebrat Miss. solemn. pontif., *ibi*.
 — in Miss. pontif. de Requie non apponitur etiamsi Episc. Ordin. celebret 1094, III.
Candelae — Altaris — in Miss. et Offic. Defunct. sint e cera communi 1094, III; 731, I.
 — distribuendae in Miss. solemn. Defunct. sint albi coloris, *post n.* 1094.
 — earum distributio et accensio in Miss. solemn. Defunct. 1111.
Canonici — (*vide etiam: Chorales*) associare Episc. Ordin. — cappa indutum omnes tenentur 519-527.
 — — *mozzetta* indutum duo tantum tenentur 533.
 — assumere paramenta suis locis in Choro non debent 562, I.
 — ad Absol. Defunct. — ad Tumulum — post Miss. pontif. — ad Fald. 1146.
 — — — praesente Card. 1147.
 — — — — ad Thronum 1141.
 — — ad quinque Absolutiones 1129.
 — Antiphonae ab eis intonandae sunt, servato tantum ordine praecedentiae 663.
 — ad aspers. aquae bened. ante Miss. solemn. 1296.
 — ad Commun. faciendam in Miss. solemn. 1287-1290.

- ad Completorium cum cantu 786-789.
 — ad Horas minores cantatas 805-806.
 — vel ceteri Chorales, iuxta consuetud., Lectiones legunt ad Matut. Defunct. 741.
 — legunt Lectiones ad Matut. solemn. pontif. incipiendo a junioribus, 717.
 — eis Lectiones legentibus adhibere palmatoriam non licet 722, II.
 — ad Matut. solemn. cum Laud. 792-801.
 — — Defunct. 808-811.
 — — celebrante vel praesente Episc. Ordin. 740-744.
 — — pontif. cum Laud. 715-720.
 — ad Miss. solemn., *post n.* 1284.
 — — cum assist. Episc. Ordin. 988-992; 1001.
 — — pontif. — celebrante Metropolita in Dioec. Suffr. 1046, 1047.
 — — — ad Fald. — cum assist. Episc. Ordin. 1052, V.
 — — — — celebrante Episc. Ordin. — coram Card. 1034-1035.
 — — — — coram Metropolita 1040.
 — — — ad Thronum, celebrante Episc. Ordin. 938-940.
 — — — — celebrante Episc. extraneo 1054.
 — — — de Requie, *post n.* 1321.
 — — — — cum assist. Episc. Ordin. 1153.
 — ad Miss. pontif. de Requie — celebrante Metropolita in Dioec. Suffr., *post n.* 1162.
 — — ad Fald. cum assist. Episc. Ordin., *post n.* 1162.
 — — ad Thronum — celebrante Episc. Ordin. 1110, 1111.
 — — — celebrante Episc. extraneo, *post n.* 1162.
 — ad Offic. divinum pontif. coram SS. Sac. exposito 725.
 — ad Vesperas solemn. 763-764.
 — — cum assist. Episc. Ordin. 662-665.
 — — pontif. — celebrante Metropolita in Dioec. Suffr. 698.
 — — — ad Fald. — cum assist. Episc. Ordin., *post n.* 1162.
 — — — celebrante Episc. Ordin. coram Card., Legato, aut Metropolita 696.
 — — — ad Thronum — Episc. Ordin. — celebrante in crastinum 593-598.
 — — — — non celebrante in crastinum, 643, 2, V.
 — — — — celebrante Episc. extraneo 699.
 — ad Vesp. solemn. Defunct. 781-783.
 — — celebrante vel praesente Episc. Ordin. 732-738.

- Canonici Episcopi** — in aspers. aquae bened. ante Miss. solemn. aspergendi sunt a Celebrante 1294.
 — associare tenentur Episc. Ordin. cappa indutum accedentem ad Eccl. vel ab ea recedentem 519.
 — ad Circulum faciendum in Miss. solemn. cum assist. Episc. Ordin. procedere tenentur 988.
 — mitra linea — in Choro utuntur, quam per seipos imponunt 594.
 — paramenta assumere suis locis in Choro possunt, *ibi*.
 — Pax quomodo eis datur 895.
 — thurificantur in Choro duplici ductu praesente Ordin. 591.
Cantores — ad Absol. Defunct. 1141.
 — ad quinque Absol. 1130.
 — ad Completorium cum cantu 786-789.
 — ad Horas minores cantatas 805-806.
 — ad Matut. solemn. — cum Laud. 792-801.
 — — Defunct. cum Laud. 807-812.
 — — — celebrante Episc. Ordin. 740-744.
 — — pontif. cum Laud. 724.
 — in Offic. divino non solemn. 815.
 — ad Tertiam ante Miss. pontif. 941.
 — ad Vesp. solemn. 765-767.
 — — coram SS. Sac. exposito 779.
 — — cum assist. Episc. Ordin. 673, VI.
 — — pontif. — ad Fald. cum assist. Episc. Ordin. 694, VI.
 — — — ad Thronum — Episc. Ordin. — celebrante in crastinum 637-642.
 — — — — non celebrante in crastinum 643, 2, VI.
 — — — Defunct. 781-785.
 — — — celebrante vel praesente Episc. Ordin. 733-738.
Cardinalis — Absol. Defunct. quando impertienda est a Card. Ordinis Episcoporum Miss. non celebrante 1117.
 — de eius accessu ad Eccl. 537.
 — ad aspers. aquae bened. ante Miss. solemn. 1295-1296.
 — genuflexio Episc. Ordin., eo praesente, omittitur 696; 1038.
 — Miss. priv. celebrans 1076, 1080.
 — coram aliis Praelatis vel magnis Principibus 1083-1086.
 — coram SS. Sac. exposito 1088-1093.
 — Miss. solemn. pontif. assistens, celebrante Episc. Ordin. 1007-1012.
 — Thronus eius exornari potest panno aureo 562, VI.
 — in eius exequiis — dispositio ad Tumulum 1138, 1139.

- — supra Tumulum apponitur biretum rubri coloris, quod apponi potest etiam si caractere episc. sit insignitus 1118, III.
- Caudatarius** — de eius officio generatim 558.
- ad Matut. pontif. cum Laud. 723, III.
- ad Miss. solemn. — cum assist. Episc. Ordin. 1000, I.
- — pontif. — ad Fald. 1038, III.
- — — ad Thronum 966, I.
- ad Vesp. solemn. — cum assist. Episc. Ordin. 673, II.
- — pontif. — ad Fald. 694, VI.
- — — ad Thronum 620-622.
- Celebrans in Miss. priv.** — Regulae generales 1331-1339.
- praeparatio ad Miss. 1340-1342; 1473.
- Ritus celebrandi Miss. 1343-1422.
- — de Requie 1473-1481.
- Celebrans (Sacerdos)** — ad Absol. Defunct. — ad Pannum 1329, 1330.
- — ad Tumulum — absente corpore 1328.
- — — praesente corpore 1323-1327.
- ad aspers. aquae bened. ante Miss. solemn. 1292-1298.
- — cum assist. Episc. Ordin. 1003, III.
- — praesente Card. vel Episc. Ordin. 1295, 1296.
- ad Matut. solemn. — cum Laud. 791-803.
- — Defunct. cum Laud. 807-812.
- in Miss. cantata sine s. Ministris 1300, 1301.
- in Miss. priv. — coram Prael. maioribus vel magnis Princip. 1484-1488.
- — coram SS. Sacr. exposito 1458-1470.
- in Missa solemn. 1173-1186.
- — cum assist. Episc. Ordin. 983; 1001.
- — si Comm. administranda 1285-1291.
- — — de Requie 1314-1321.
- — — cum assist. Episc. Ordin. 1152, I.
- — coram SS. Sacr. exposito 1303-1312.
- ad Vesperas solennes 746-751.
- — cum assist. Episc. Ordin. 649-653.
- — Defunct. 781-785.
- — coram SS. Sacr. exposito 779.
- Ceroferarii** — de eorum officio generatim 561.
- ad Absol. Defunct. ad Pannum — ab Episc. impertienda in Throno 1142.
- — post Miss. pontif. ad Fald. 1143, V.
- — — celebrante Episc. Ordin. coram Card. 1145, IV.
- — a Sacerd. impertienda 1329.
- ad Absol. Defunct. ad Tumulum — post Miss. pontif. — ad Fald. 1146.
- — — ad Thronum 1141.
- — impertienda a Sacerd. — absente corpore 1328.
- — — praesente corpore 1323-1327.
- ad quinque Absol. 1140, VI.
- ad aspers. aquae bened. ante Miss. solemn. 1292-1298.
- ad bened. papalem post Miss. solemn. — cum assist. Episc. Ordin. 969, 970.
- — pontif. 968, X.
- ad Matut. solemn. — cum Laud. 799-801.
- — pontif. cum Laud. 723, V, B.
- — Defunct. 808-811.
- — — celebrante Episc. Ordin. 740-744.
- ad Missam solemn. 1276-1284.
- — si s. Comm. administranda 1288-1290.
- — cum assist. Episc. Ordin. 1000, IV; 1001.
- — coram SS. Sacr. exposito 1303-1312.
- — pontif. — ad Fald. 1056, VII; 1058, VI.
- — — ad Thronum 966, V.
- — — de Requie 1314-1321.
- — — cum assist. Episc. Ordin. 1154, III.
- — — ad Fald., post n. 1162.
- — — ad Thronum 1113, V.
- ad Vesperas cantatas 778.
- — solennes 774-777.
- — cum assist. Episc. Ordin. 673, IV.
- — coram SS. Sacr. exposito 779.
- — pontif. — ad Fald. 701, VII; 703.
- — — ad Thronum 629-632.
- — Defunct. 781-784.
- — — celebrante vel praesente Episc. Ordin. 736-737.
- Cereus tertius** — in Miss. priv. 1448.
- Chirothecae** — in Miss. pontif. de Requie Praelatus illis non utitur 1095.
- de Clerico pro chirothecis ad bened. papalem post Miss. solemn. — cum assist. Episc. Ordin. 969, 970.
- — pontif. 968, IX.
- Chorales** — (vide etiam: **Canonici**) — de eorum ingressu ad Chorum — processionaliter 514.
- — singulatim 515.
- de disciplina servanda in Choro 516.
- de eorum egressu a Choro 518.
- quomodo Pacem accipiunt et dant 939.
- qui pileolo ex iure uti nequeunt quando illum deponere tenentur 517.
- de eorum thurificatione 591.
- Circulus Canonorum** — etiam Canonici Episcopi tenentur illum facere 988.
- dispositio ad illum 989.
- — si Thronus e regione Altaris stet 991.
- Collecta pro Fidei propagatione** 1545.
- Collectae ab Ordin. imperatae** 1368-1369.

- Color paramentorum** — in Missis votivis 1508.
- Commemoratio SS. Sacr. in Vesp. ratione exposit. non est facienda** 727, V.
- Communio** — eius administratio — in Missa priv. 1405-1412.
- — — immediate ante vel post 1424.
- — — de Ministro 1456, 1457.
- — in Missa solemn. 1285-1291.
- — ad fenestellam Chori Monialium 1425.
- — de usu parvae patinae 1406, 1407.
- Completorium** — praesente Episc. Ordin. 704.
- cum cantu 786-789.
- Confessio** — dispositio ad eam — in Miss. solemn. — cum assist. Episc. Ordin. 994-996.
- — pontif. ad Thronum 947.
- Confiteor** — Tonus ad *Confiteor* 916.
- Congregatio (Religiosa)** — Miss. votiv. solemn. de festo Tituli vel S. Fund. 1523.
- de iisdem festis translatis in Domin. minor. proxime sequentem 1524.
- quando haec Miss. prohibetur 1525.
- Cor Iesu (Sacr.)** — in eius solemn. externa translata Miss. votiv. 1529.
- — priv. quando prohibetur 1530.
- — solemn. quando prohibetur, *ibi*.
- Miss. vot. in prima cuiusvis mensis Feria sexta 1527.
- — quando prohibetur 1528.
- Crux de eius loco quando super Alt. collocantur septem candelabra** 851, A, b, I.
- eius signa in Missa 1338.
- Crux archiepiscopalis** — semper defertur cum Imag. Crucifixi ad Prael. conversa 559.
- Crux pectoralis** — quomodo Praelato imponatur 582.
- Crux processionalis** — non defertur in Absol. ad Pannum 1142.
- Crucifer Praelati** — de eius offic. generatim in Funct. pontif. 559.
- ad bened. papalem 968, XI.
- ad Matut. pontif. cum Laud. 723, IV.
- ad Miss. solemn. — cum assist. Episc. Ordin. 1000, II.
- — pontif. — ad Fald. — celebrante Episc. Ordin. coram Card. 1038, IV.
- — — ad Thronum 966, II.
- ad Vesp. solemn. — cum assist. Episc. Ordin. 673, II.
- — pontif. — ad Fald. cum assist. Episc. Ordin. 694, VI.
- — ad Thronum 623, 624.

D

- Dedicatio Ecclesiae** — Miss. votiv. sol. de eius festo — in sua die per accidens impedita 1523.
- — in Domin. min. proxime sequentem 1524.
- — quando hae Miss. prohibentur 1525.
- Defuncti** — vide: **Absolutio**; **Matutinum**; **Missae de Requie, Vesperae**.
- eorum imagines ad Tumulum exponi nequeunt 1118, III.
- insignia ei convenientia et ab Ecclesia non prohibita super Tumulum apponere licet, *ibi*.
- sermo in eorum laudes habendus est post Miss. ante Absol. 1112, I.
- Diaconi Assistentes** — de eorum offic. generatim in Funct. pontif. 540-544.
- ad Absol. Defunct. ad Pannum ab Episc. impertienda in Throno 1142.
- — ad Tumulum 1141.
- ad quinque Absol. 1119, III.
- ad bened. papalem post Miss. solemn. cum assist. Episc. Ordin. 969, 970.
- — pontif. 968, III.
- ad Matut. pontif. cum Laud. 712, II.
- ad Miss. solemn. — cum assist. Episc. Ordin. 979-982.
- — pontif. 899-909.
- — — coram SS. Sacr. exposito 1071.
- — de Requie — cum assist. Episc. Ordin. 1151, II.
- ad Miss. pontif. de Requie 1103-1105.
- ad Vesp. solemn. — cum assist. Episc. Ordin. 646-648.
- — pontif. — Episc. Ordin. celebrante in crastinum 580-588.
- — — non celebrante in crastinum 643, III.
- Diaconus** — ad Absol. Defunct. — ad Pannum — post Miss. pontif. ad Fald. 1143, III.
- — — praesente Card. 1145, III.
- — — a Sacerd. impertienda 1329, 1330.
- — ad Tumulum — post Miss. pontif. — ad Fald. 1146.
- — — a Sacerd. impertienda — absente corpore 1328.
- — — praesente corpore 1323-1327.
- ad quinque Absol. 1119, IV.
- ad aspers. aquae bened. ante Miss. solemn. 1292-1298.
- — cum assist. Episc. Ordin. 1003, IV.

- — praesente Card. vel Episc. Ordin. 1295-1296.
- ad bened. papalem post Miss. solemn. — cum assist. Episc. Ordin. 969, 970.
- — pontif. 968, IV.
- in Miss. solemn. — regulae generales 1165-1171.
- — circa genuflexiones 1172.
- — eius officium 1197-1221.
- — — cum adest Presbyter Ass. 1222.
- — — si Communio administranda 1285-1291.
- — coram SS. Sacr. exposito 1303-1312.
- — cum assist. Episc. Ordin. 984-987; 1001.
- — pontif. generatim 545-547.
- — celebrante Metropolita in Dioec. Suffr. 1045.
- — — ad Fald. — cum assist. Episc. Ordin. 1052, IV; 1053.
- — — celebrante Episc. Ordin. coram Card. 1022-1026.
- — — celebrante Episc. extraneo 1056, II; 1058, III.
- — — ad Thronum 910-923.
- — de Requie, 1314-1321.
- — — cum assist. Episc. Ordin. 1152, II.
- — pontif. de Requie — ad Fald. 1162, II.
- — — ad Thronum 1106-1109.
- Dignior Capituli** — in accessu ad Eccl. Cath. — Cardinalis 537.
- — Episc. Ordin. 522-524.
- — Legati 537.
- in accessu Metropol. ad Eccl. Suffr. 537.
- Dignitates** — paramenta pretiosiora et nobiliora eis non conveniunt respectu Canonorum 562, I.
- Dispositio** — ad Absol. Defunct. — super Pannum post Miss. pontif. ad Fald. 1144.
- — ad Tumulum in exequiis S. Pontif., Card., Episc. — absente corpore 1139.
- — — praesente corpore 1138.
- ad quinque Absol. — antequam procedatur ad Tumulum 1133.
- — ad quamlibet ex quatuor Absol. 1136.
- ad Alt. maius — pro Miss. solemn. pontif. — celebrante Metropolita in Dioec. Suffr. 1042.
- — — ad Fald. celebrante Episc. Ordin. coram Card. 1006.
- — — ad Thronum 852.
- — pro Vesp. solemn. — cum assist. Episc. Ordin. 645.
- — pontif. — ad Fald. cum assist. Episc. Ordin. 675.

- — — — ad Thronum 563.
- ad Circulum Canonorum 989, 991.
- ad Confessionem in Miss. solemn. — cum assist. Episc. Ordin. 994-996.
- — pontif. 947.
- ad Evangelii cantum 958-960.
- ante Evangelii cantum — ante infim. Alt. grad. 954.
- — dum Diaconum petit bened. ad Thronum 956.
- Distributio** et accensio candelarum in Miss. solemn. de Requie 1111.

E

- Episcopi** — quo ordine et quo modo eis Pax datur 895.
- de eorum thurificatione — ad Miss. pontif. 919.
- — ad Vesp. pontif. 591.
- in eorum exequiis apponitur super Tumulum mitra simplex 1118, III.
- Episcopi Canonici** — vide: **Canonici Episcopi**.
- Episcopus extraneus** — celebrans — Miss. pontif. ad Fald. — 1056, 1058, I.
- — — cum assist. Episc. Ordin. 1052, II.
- — — ad Thronum 1054.
- — — coram SS. Sacr. exposito 1060-1069.
- — Vesp. pontif. — ad Fald. 701, I; 703.
- — — — cum assist. Episc. Ordin. 677-684.
- — — — ad Thronum 699.
- Episcopus Ordinarius** — de eius accessu ad Eccl. Cath. — cappa indutus 519-526.
- — — cum Magistratu 532.
- — — cum aliis Prael. 529-531.
- — — rocchetto et mozzetta indutus 533.
- de eius accessu ad alias Eccl. Dioec. cappa indutus 534-536.
- de eius recessu ab Eccl. Cath. cappa indutus 527-528.
- ei genuflexio omittitur, praesente Card., Legato aut Metropolita 696, 1038, 1050.
- ad Absol. Defunct. — ad Pannum — impertienda in Throno 1142.
- — — praesente Card. 1145, I.
- — — ad Tumulum 1141.
- ad quinque Absol. 1119, I.
- assistens — Miss. solemn. 972-975.
- — — ad aspers. aquae bened. 1295-1296.
- — — pontif. ad Fald. 1052, I; 1053.

- — — — de Requie 1149, 1150.
- — — Vesp. solemn. 646-648.
- — — pontif. 676, I.
- — — celebrans Miss. — priv. 1076.
- — — coram aliis Prael. 1083-1086.
- — — coram SS. Sacr. exposito 1088-1093.
- — — solemn. pontif. — ad Fald. — coram Card. 1013-1018.
- — — — coram Card. Legato 1039.
- — — — coram Legato aut Metropolita 1040.
- — — — ad Thronum 853-882.
- — — coram SS. Sacr. exposito 1060-1069.
- — — pontif. de Requie — ad Fald. — coram Card. 1158-1161.
- — — — coram Legato aut Metropolita, *post n.* 1162.
- — — — ad Thronum 1095-1099.
- ad bened. papalem — post Miss. solemn. 969, 970.
- — — pontif. 968, I.
- ad Completorium 704.
- ad Matut. pontif. cum Laud. 706-711.
- — Defunct. 740-744.
- ad Vesp. solemn. pontif. — ad Fald. coram Card., Legato aut Metropolita 696.
- — — — ad Thronum — si in crastinum Miss. celebret 564-570.
- — — — si in crastinum Miss. non celebret 643, 2, I.
- ad Vesp. Defunct. 732-738.
- Evangelium** — ubi canendum in Missa solemn. 1259.
- — — cum assist. Episc. Ordin. et in Miss. solemn. pontif. 957.
- — — dispositio — ante eius cantum 954, 956.
- — — — ad eius cantum 958-960.
- — — — stricte proprium 1419.
- — — — ultimum in Miss. votiv. — priv. 1509, VIII.
- — — — solemn. 1514, IX.

F

- Faldistorium** — regulariter collocatur in plano seu pavimento Presbyterii 674, V.
- de eius loco — in Funct. coram SS. Sacr. exposito 726, IV.
- — — ad Tumulum 1118, III.
- pro Episc. Ordin. poni potest super aliquod suggestum 695, V.

- Fidelium animae etc.** — dum hic Versiculus dicitur, in fine Offic., signum Cruc. manu non est producendum 814, I.
- Versiculus dicitur etiam — quando post Offic. sequitur Miss. 814, VI.
- — post Vesp. solemn. coram SS. Sacr. exposito 779, VII.
- Versiculus omittitur — quando immed. sequitur Offic. parv. B. M. V., vel Offic. Defunct., vel septem Psalm. Poenit. vel solae Litan. 814, VI.
- — post Horam congruente, celebrante Episc. ad Thronum, vel Episc. Ordin. ad Fald. 856, 1015.
- — post Vesp. solemn. — cum assist. Episc. Ordin. 648.
- — — pontif. 568.
- Flores** — quando prohibentur inter Alt. candelabra 562, IV; 731, I.
- Formula Indulgentiae** — post bened., expleto sermone, vel in fine Miss. pontif. 890.
- post bened. papalem 968, V.
- Fundator (S.) Ordinis seu Congregat.** — Miss. vot. solemn. de eius Festo 1523.
- — translato in Domin. minor. proxime sequentem 1524.
- — — quando prohibetur 1525.

G

- Genuflexio** — Abbati regul. debetur in suae iurisdictionis Eccl. tantum 819, VI.
- Episc. Ordin. omittitur, praesente Card., Legato aut Metropolita 696, 1038, 1050.
- in Miss. — priv. 1333.
- — solemn. — regulae circa Ministrorum sacr. genuflexiones 1172.
- Genuflexorium** — pro Abb. « Nullius » vel regul. de regim. nudum sit cum pulvinis tantum 818, VII.
- pro Card. ornatur cum strato et pulv. violac. vel rubri coloris 562, IX.
- pro Episc. extraneo nudum sit cum pulv. tantum 700, III.
- pro Episc. Ordin. ornatur cum strato et pulv. virid. vel viol. coloris 562, IX.
- pro Prael. « Nullius » nudum sit cum pulv. tantum 818, VII.
- pro Protonot. Apostol. nudum sit cum pulv. tantum 824, V.
- quo loco statuendum pro Prael. maiorib. assistentibus Miss. priv. 1083.
- Gloria in excelsis** — dum a Choro canitur Celebrans et Ministri sacri sedere possunt 1176.

- Gremiale** – de eius **Ministro** – in Miss. solemn. pontif. – celebrante Metropolita in Dioec. Suffr. 1050, III.
 — — — ad Fald. – celebrante Episc. extraneo 1056, VII; 1058, VI.
 — — — — celebrante Episc. Ordin. coram Card. 1038, V.
 — — — ad Thronum 966, III.
 — — — de Requie ad Thronum 1113, III.

H

- Hebdomadarius** – de eius officio 813.
 — de eius loco in Choro 791, 813.
 — ad Completorium – Episc. Ordin. praesente 704.
 — — cum cantu 786-789.
 — ad Horas minores cantatas 805, 806.
 — ad Matut. solemn. cum Laud. 792-801.
 — — Defunct. 808-811.
 — in Officio sine cantu 814.
 — ad Completorium 814, II.
 — — ad Laudes 814, IV.
 — — ad Matutinum 814, III.
 — — ad Primam 814, V.
 — — ad Tertiam, Sextam et Nonam 814, VI.
 — — ad Vesperas 814, I.
Hora pro recitatione divini Offic. [privatim] 842.
Hymnus – si ad eius principium genuflectendum quomodo se gerit – Celebrans ad Vesperas solemn. 651.
 — — Episc. ad Vesp. pont. – ad Fald. 680.
 — — — ad Thronum 566.

I

- Imago Defuncti**. ad Tumulum exponi nequit 1118, III.
Incensatio – Altaris – ad Miss. 859; 872.
 — — — ordo illius incensationis 873.
 — — SS. Sac. omittitur ad Laud. solemn. 801.
 — Chori – ad Miss. solemn. 1212.
 — — — cum assist. Episc. Ordin. 987.
 — — — pontif. 919.
 — — ad Vesperas solemn. 760.
 — — — cum assist. Episc. Ordin. 673, III.
 — — — pontif. 591.
 — ordo incensandi Oblata 871.
Inclinatio – in Missa 1332.
 — in Canone ad nomen Sancti cuius vel Miss. celebratur vel Commem. fit vel infra eius Oct. 1392.

- Indulgentia** – de Beneficiario eam publicaturo post bened. papalem 968, V.
 — de eius formula – post bened., expleto sermone vel in fine Miss. pontif. 890.
 — — post bened. papalem 968, V.
Intorticia – De Clericis ea gestaturis ad Miss. solemn. 1282, 1283.
 — — cum assist. Episc. Ordin. 1000, VII.
 — — pontif. 966, VIII.
 — de Ministro intorticii in Ritu quinque Absol. 1140, III.
Invitorium – quando dicendum in Matut. Defunct. 739, III.

J

- Jejunium eucharisticum** – circa dispensationem concedendam Sacerdotibus qui Miss. eodem die iterant vel tardiva hora celebrant 1432.
Judica me Deus – quando Psal. omittitur in Missa 1353, 1473.

K

- Kyrie eleison** – dum a Choro canitur Celebrans cum s. Ministris sedere potest 1202.

L

- Laudes** – Altare SS. Sac. ad Laudes solemn. non incesatur 801.
 — Hebdomadarius ad Laudes in Officio non solemn. 814, IV.
 — post Matut. solemn. 801.
 — — pontif. 705-724.
 — — Defunct. 811.
Lectiones – ad Matut. solemn. – Defunct. leguntur a Canonicis vel a ceteris Choral. iuxta consuetud. 741.
 — — pontif. leguntur a Canonicis incipiendo a iunioribus; deficientibus Canon. primas alii Clerici legunt 717.
Lector – ad Complet. cum cantu 787.
 — ad Matut. solemn. 796.
 — — Defunct. 809.
 — in Offic. non solemn. 816.
 — ad Primam cantatam 806.
 — etiamsi Canonicus palmatoria adhibere ei non licet 722, II.
Legatus – de eius accessu ad Eccl. 537.
 — Episc. Ordin. genuflexio omittitur, praesente Legato 696.
 — Thronus pro eo erigitur in cornu Epist. 695, V.

- Liber** – de eius **Ministro** – generatim in Funct. pontif. 554.
 — — ad Absol. Defunct. – ad Pannum – impertienda in Throno 1142.
 — — — post Miss. pontif. ad Fald. 1143, V.
 — — — — praesente Card. 1145.
 — — — ad Tumulum – post Miss. pontif. – ad Fald. 1146.
 — — — — ad Thronum 1141.
 — — ad quinque Absol. 1140, I.
 — — ad bened. papalem post Miss. solemn. – cum assist. Episc. Ordin. 969-970.
 — — — pontif. 968, VII.
 — — ad Matut. – pontif. cum Laud. 723, I.
 — — — Defunct. 740-744.
 — — ad Miss. – lectam a Card. vel ab Episc. Ordin. 1078, II.
 — — — solemn. – cum assist. Episc. Ordin. 999, I; 1001.
 — — — pontif. – celebrante Protonot. Apost. – de numero Particip. 1496.
 — — — — Supran. 1497, 1499.
 — — — — ad instar Particip. 1500.
 — — — — ad Fald. – cum assist. Episc. Ordin. 1052, IX.
 — — — — celebrante Episc. extraneo 1056, V; 1058, VI.
 — — — — celebrante Episc. Ordin. coram Card. 1038, I.
 — — — — ad Thronum 964.
 — — — — de Requie cum assist. Episc. Ordin. 1154, I.
 — — — pontif. de Requie – ad Fald., post n. 1162.
 — — — — ad Thronum 1113, I.
 — — ad Vesperas solemn. – cum Assist. Episc. Ordin. 673, I.
 — — — pontif. – celebrante Protonot. Apost. – de num. Particip. 834.
 — — — — Supranum. 838, 840.
 — — — — ad instar Particip. 841.
 — — — — ad Fald. – cum assist. Episc. Ordin. 694, II.
 — — — — celebrante Episc. extraneo 701-703.
 — — — — celebrante Episc. Ordin. coram Card., Legato aut Metropolita 696.
 — — — — ad Thronum – Episc. Ordin. – celebrante in crastinum 611-613.
 — — — — non celebrante in crastinum 643, 2, VIII.
 — — ad Vesp. Defunct. celebrante Episc. Ordin. 735-736.
 — — **Cardinalis assistentis** – Miss. solemn. pontif. ad Fald. 1036, III; 1039.

- — — Miss. pontif. – de Requie ad Fald. 1162, IV.
 — — — Vesp. pontif. ad Fald. 696.
 — — **Episc. Ordin. assistentis** – Miss. solemn. pontif. ad Fald. 1052, VIII, 1053.
 — — — Miss. pontif. de Requie ad Fald., post n. 1162.
 — — **Metropolitae assistentis** – Miss. solemn. pontif. ad Fald. celebrante Episc. Ordin. 1040.
 — — — Miss. pontif. de Requie ad Fald. celebrante Episc. Ordin., post n. 1162.
 — — **Praelat. Absolventium** in Ritu quinque Absol. 1140, V.
Libitum (Oratio ad) 1366, 1476.

M

- Magistratus** – de eius accessu ad Eccl. si Sacris interveniat 532.
Magistri Caeremoniarum – de eorum officio 548-552; vide etiam: **Caeremoniarus**; **Caeremoniarus primus**; **Caeremoniarus secundus**.
Manus – regulae circa earum positiones in Missa 1336.
Martyrologium – de eius lectione ad Primam 816, III.
 — de quibuscumque Sanctis canonizatis in eo descriptis Miss. votiv. dici potest 1505.
Matutinum – consuetudo cantandi unum dumtaxat Noct. ceterosque recitandi tolerari potest 802.
 — Hebdomadarius – in eius recitatione 814, III.
 — — quando solemniter persolvitur 790-803.
 — — solemn. pontif. 705-724.
 — — Lectiones leguntur a Canonicis incipiendo a iunioribus; deficientibus Canon., primas alii Clerici legunt 717.
 — — — — solemn. Defunct. 807-812.
 — — — — quando persolvendum 739, I.
 — — — — quando Invitorium dicendum 739, III.
 — — — — Lectiones leguntur a Canonicis vel a ceteris Choral. iuxta consuetud. 741.
 — — Episc. Ordin. celebrante 739-744.
Metropolita – de eius accessu ad Eccl. Suffr. 537.
 — assistens – Miss. pontif. ad Fald. celebrante Episc. Ordin. 1040.
 — — Vesp. pontif. ad Fald. celebrante Episc. Ordin. 696.

- celebrans Miss. pontif. in Dioec. Suffr., 1043.
- — dispositio ad Altare 1042.
- praesente, omittitur genuflexio Episc. Ordin. 696, 1050.
- eius Thronus in Dioec. Suffr. erigitur in cornu Epist. 695, V; 1040; 1041, V.
- Minister baculi** — *vide*: Baculus pastoralis.
- Minister candelae** — *vide*: Candela.
- Minister de gremiali** — *vide*: Gremiale.
- Minister intorticii** — *vide*: Intorticia.
- Minister libri** — *vide*: Liber.
- Minister Missae priv.** — 1408, 1433-1455.
- coram Prael. maioribus et magnis Principibus 1489-1491.
- coram SS. Sacr. exposito 1471.
- in administr. s. Comm. immediate ante vel post Miss. 1456-1457.
- Minister mitrae** — *vide*: Mitra.
- Minister vasculi aquae bened.** — *vide*: Aqua bened.
- Ministri** — non genuflectunt Episc. Ordin., praesente Card., Legato aut Metropolita 696, 1038, 1050.
- Ministri inferiores necessarii** in Funct. pontif. 553.
- Ministri Praelatorum Absolventium** in Ritu quinque Absol. 1127-1128.
- Ministri Sacri** — regulae generales — pro Miss. solemn. 1165-1172.
- — pontif. 545-547.
- Missae** — quae Celebrans memoriter scire debet 1339.
- Instructio pro Sacerd. — caecutiente 1426.
- — carente brachio — dextero 1427.
- — sinistro 1428.
- praeparatio 1340-1342.
- Regulae generales circa — Crucis signum 1338.
- — genuflexiones 1333.
- — inclinationes 1332.
- — manuum positiones 1336.
- — oculos 1335.
- — oscula 1334.
- — pectoris percussiones 1337.
- — vocis diversitatem 1331.
- Missae bina** — ab eodem Sacerd. celebranda 1429-1431.
- Sacerd. a ieiunio dispens. ablutionem in prima Miss. sumere potest 1432.
- Missae cantata** — absque sacris Ministris 1299-1301.
- Missae conventuales** — aspers. aquae bened. ante illam diebus dominicis praeceptiva est in Eccl. Cath. et Collegial. 1292.

- Missae privata** — Minister 1408, 1433-1455; 1471.
- Preces praescriptae post eam 1420.
- — quando omittuntur, *ibi*.
- eius Ritus 1343-1422.
- — celebrante Card. vel Episc. Ordin. 1075-1079; 1080-1082.
- — coram aliis Praelat. 1083-1086.
- — coram SS. Sacr. exposito 1087-1093.
- — celebrante Presbytero — coram Prael. maior. vel magnis Princip. 1484-1488.
- — — coram SS. Sacr. exposito 1458-1470.
- — celebrante cum aliqua solemn. Protonot. Apost. — de num. Particip. 1502, 1503.
- — — Supranum. 1352.
- — — de Requie 1475-1481.
- — — quando prohibetur 1550-1553.
- — — Tabula 1554.
- Missae solennis** 1163-1284.
- coram SS. Sacr. exposito 1302-1312.
- cum assist. Episc. Ordin. cappa vel pluviali induti 1001; 971-1000.
- praesente Episc. Ordin. in Choro mozetta induto 1002.
- *de Requie* 1313-1321.
- — cum assist. Episc. Ordin. cappa vel pluviali induti 1148-1154.
- — quando prohibetur 1555-1558.
- — — Tabula 1554.
- Missae solennis pontificalis** — celebrante Protonot. Apost. — Supranum. — extra Urbem et propr. Dioec. 1498, 1499.
- — ad instar Particip. extra Urbem 1500.
- *de Requie* celebrante Protonot. Apost. Supranum. extra Urbem et propr. Dioec., *post n.* 1499.
- Missae solennis pontificalis ad Fald.** — celebrante Episc. extraneo 1055-1058.
- — coram Episc. Ordin. 1051-1053.
- celebrante Episc. Ordin. — coram Card. 1005-1038.
- — coram Card. Legato 1039.
- — coram Legato aut Metropolita 1040.
- celebrante Protonot. Apost. — de num. Particip. — ubique extra Urbem 1495, 1496.
- — Supran. extra Urbem et intra propr. Dioec. fines 1497.
- coram SS. Sacr. exposito 1059-1074.
- *de Requie* — celebrante Episc. extraneo, *post n.* 1162.
- — — coram Episc. Ordin., *ibi*.
- — — coram Card. 1155-1162.
- — — coram Legato aut Metropolita, *post n.* 1162.

- — celebrante Protonot. Apost. — de num. Particip. — ubique extra Urbem, *post n.* 1496.
- — — Supran. — extra Urbem et intra propr. Dioec. fines, *post n.* 1497.
- Missae solennis pontificalis ad Thronum** — celebrante — Abbate « Nullius » vel regul. de regimine 1492-1493.
- — Episc. extraneo 1054.
- — Episc. Ordin. 850-966.
- — Metropolita in Dioec. Suffr. 1041-1050.
- — Praelato « Nullius » 1492-1493.
- coram SS. Sacr. exposito 1059-1074.
- *de Requie* — celebrante — Abbate « Nullius » vel regul. de regimine 1494.
- — — Episc. extraneo, *post n.* 1162.
- — — Episc. Ordin. 1094-1113.
- — — Metropolita in Dioec. Suffr., *post n.* 1162.
- — — Praelato « Nullius » 1494.
- Missae votiva** — definitio 1504.
- de S. Aloisio G. Conf. celebrari potest in eius solemnitate die ab Ordin. designata 1531.
- — quando prohibetur Missa — privata 1532.
- — — solemnitas, *ibi*.
- — de Commem. in his Miss. faciendis, *ibi*.
- de B. M. Virgine 1505.
- de Beato absque Apost. Sedis facultate dici nequit 1505.
- de Sacr. Cordis Iesu — in eius solemn. externa translata 1529.
- — — quando prohibetur Missa — privata 1530.
- — — — solemnitas, *ibi*.
- — prima cuius vismensis Feria sexta 1527.
- — — quando prohibetur 1528.
- ad diversa 1507.
- de Festis olim Dominicis adnexis 1521.
- — quando prohibetur 1522.
- de Fidei propagatione privata 1544.
- — solemnitas 1543.
- de Mysteriis 1506.
- de Sanctis canoniz. in Martyrol. descriptis dici potest 1505.
- pro Sponsis 1538.
- — quando prohibetur 1539.
- — Tabula de illa 1542.
- in Triduis vel Octiduis infra annum a canonizat. vel a beatificat. 1546.
- — quando prohibetur Miss. — privata 1548.
- — — solemnitas 1547.
- Missae votiva privata** — quando prohibetur 1510.

- eius Ritus 1509.
- Tabula de illa 1512.
- Missae votiva solennis** — in annivers. Creation. et Coronation. Papae atque Electionis et Consecrat. Episc. 1533-1537.
- — quando prohibetur 1536.
- de festo Dedicacionis, et Tituli propr. Eccl. 1523.
- — translato in Domin. minor. proxime sequentem 1524.
- — — quando prohibetur 1525.
- de festo Fundatoris vel Tituli Ordinis seu Congregationis 1523.
- — translato in Domin. minor. proxime sequentem 1524.
- — — quando prohibetur 1525.
- occasione populi concursus 1526.
- Quatuor Festorum, quorum solemnitas transfertur in Domin. sequentem 1517.
- — quando cantari potest 1519, 1520.
- — ubi cantari potest 1518.
- Missae votiva solennis et cantata pro re gravi** — definitio 1513.
- causae pro ea celebranda, *ibi*.
- quando prohibetur 1515.
- eius Ritus 1514.
- Tabula de illa 1512.
- Missae votiva solennis pro re non gravi** — quando prohibetur 1516.
- Tabula de illa 1512.
- Missale** — apertum ante Episc. legentem Epistol. in Miss. pontif. ad Fald. Subdiaconus tenet 1030.
- si magnis Principibus Missae priv. assistentibus exhibeatur, non sit Missale Altaris 1488.
- Mitra** — auriphrygiata et simplici in Funct. pontif. utuntur Abbat. et Prael. « Nullius », Abbat. regul. de regim. et Protonot. Apost. de num. Particip. 818, III; 824, II.
- linea Canonici Episcopi utuntur in Choro 594.
- Episc. in Missa priv. etiam diebus solemnior. ea non utitur 1075, II.
- eam per seipsos Canonici Episcopi imponunt in Choro, *ibi*.
- ex serico damasceno utuntur in Funct. pontif. Protonot. Apost. Supranum. et ad instar 835, I.
- simplex supra Tumulum in exequiis Episc. apponitur 1118, III.
- *de eius Ministro* — de eius officio generatim 557.
- — ad Absol. Defunct. — ad Pannum — impertienda in Throno 1142.

- — — — post Miss. pontif. ad Fald. 1143, IV.
 — — — — praesente Card. 1145, IV.
 — — — — ad Tumulum — post Miss. pontif. — ad Fald. 1146.
 — — — — ad Thronum 1141.
 — — ad quinque Absol. 1140, II.
 — — ad bened. papalem post Miss. solemn. — cum assist. Episc. Ordin. 969-970.
 — — — pontif. 968, VIII.
 — — ad Matut. pontif. cum Laud. 723, II.
 — — ad Miss. solemn. — cum assist. Episc. Ordin. 999, II.
 — — — pontif. — celebrante Protonot. Apost. — de num. Particip. 1496.
 — — — — Supranum. 1497, 1499.
 — — — — ad instar Particip. 1500.
 — — — — ad Fald. cum assist. Ep. Ordin. 1052, IX.
 — — — — celebrante Episc. extraneo 1056, V; 1058, VI.
 — — — — celebrante Episc. Ordin. coram Card. 1038, II.
 — — — — ad Thronum 965.
 — — — — de Requie cum assist. Episc. Ordin. 1154, II.
 — — — — pontif. de Requie — ad Fald., post n. 1162.
 — — — — ad Thronum 1113, II.
 — — — — ad Vesperas solemn. pontif. — celebrante Protonot. Apost. — de num. Particip. 834.
 — — — — Supranum. 837, 838, 840.
 — — — — ad instar Particip. 841.
 — — — — ad Fald. cum assist. Episc. Ordin. 694, I.
 — — — — celebrante Episc. extraneo 701, 703.
 — — — — celebrante Episc. Ordin. coram Card., Legato aut Metropolita 696.
 — — — — ad Thronum — Episc. Ordin. — celebrante in crastinum 614-619.
 — — — — non celebrante in crastinum 643, 2, VIII.
 — — — — Episc. Ordin. Assistantis — Miss. solemn. pontif. ad Fald. 1052, VIII.
 — — — — Miss. pontif. de Requie ad Fald., post n. 1162.
Moniales — Ordo distribuendi S. Commun. ad chori fenestellam 1425.

N

- Nocturnus** — consuetudo cantandi in Matut. unum dumtaxat Noct. ceterosque recitandi tolerari potest 802.

Non intres in iudicium etc. — In Oratione hac nulla facienda est mutatio etiam si pro pluribus aut pro femina dicatur 1325.

O

- Oblata** — Ordo incensandi Oblata in Miss. solemn. 871.
O Crux ave — genuflectendum est sub hac integra strophia in Vesperis 602.
Octiduum infra ann. a Beatificat. vel a Canonizat. — de Miss. votiv. de Beato vel Sancto 1546.
 — quando prohibentur Miss. votiv. — privatae 1548.
 — — — — solennes 1547.
Oculi — Regulae generales pro Celebrante in Miss. quoad oculos 1335.
Officium divinum — in Choro sine solemnitate 803-817.
 — pontif. persolvendum coram SS. Sac. exposito 725.
 — de privata eius recitatione — de loco 843.
 — — — — de modo 846-849.
 — — — — de tempore 842.
Oratio in Miss. — *A cunctis* 1363.
 — — quoad Regulares 1364.
 — — ad libitum 1366, 1476.
 — — pro seipso Sacerd. 1367.
 — — SS. Sacramenti 1073, 1074.
Orationes — dicendae dum se paramenta induit — Sacerdos 1343.
 — — Episcopus pro Miss. pontif. 854.
 — — pro diversitate temporum 1509, III; 1511.
Ordinatio sacerdotalis — Oratio in Miss. in eius anniv. 1367.
Organa — quando pulsari debent, accedente Episc. Ordin. ad Eccl. 523.
 — non pulsantur accedente ad Eccl. Magistratu 532.
Osculum — regulae generales circa oscula in Miss. 1334.
 — **Pacis** — modus dandi et accipiendi 939.
 — — ordo dandi 895.

P

- Pallium (S.)** — quomodo imponitur 912.
 — post Miss. pontif. illud non dimittitur si bened. papalis impertienda 968, I.
 — de eius Ministro 942.
Palmatoria — Lectori, etiamsi Canonicus eam adhibere non licet 722, II.

- Pannum** — vide: **Absolutio ad Pannum.**
Paramenta — de Clericis pro illis — ad Matut. pontif. cum Laud. 723, V, E.
 — — ad Miss. solemn. — cum assist. Episc. Ordin. 1000, VI.
 — — — pontif. 966, VII.
 — — ad Vesp. pontif. 635.
 — de eorum colore in Miss. votiv. 1357.
 — Dignitates et Canonici ea assumere debent alio in loco in quo Episc. se illis induit 562, I.
 — Dignitatibus respectu Canonicorum pretiosiora et nobiliora non conveniunt 562, I.
 — Orationes recitandae dum eis se induit — Sacerdos 1340.
 — — Episc. pro Miss. pontif. 854.
Particulae — modus eas consecrandi 1383.
 — si decidant super terram, mappam, vestes communicantium 1412.
 — si reservandae non sint 1411.
 — si non sufficiant 1407.
Patina parva — de eius usu in distribut. s. Comm. 1406, 1407.
Patronus — loci intelligitur Patronus praecipuus 1517.
 — Miss. vot. de Patrono principali 1523.
Pax — modus eam dandi et recipiendi 939.
 — ordo eam dandi 895.
Percussio pectoris — quomodo et quando peragenda in Miss. 1337.
Pileolus — quando illum deponere tenentur qui eo uti ex iure nequeunt 517.
 — abstineat ab eo Sacerd. in Miss. 1345.
Pontifex Summus — in eius exequiis — dispositio ad Tumulum — absente corpore 1139.
 — — — praesente corpore 1138.
 — — supra Tumulum apponitur Triregnum 1118, III.
 — Miss. solemn. celebrari potest in annivers. eius creation. et coronat. 1533, 1536, 1537.
Populus — Miss. votiv. solemn. occasione eius concursus 1526.
Praeintonator — ad Matut. solemn. pontif. cum Laud. 713.
 — ad Vesp. solemn. pontif. ad Thronum — Episc. celebrante in crastinum 589-592.
 — — Episc. non celebrante in crastinum 643, 2, IV.
Praelati Episcopo inferiores — ad Miss. pontif. 1492-1500.
 — Officium pontif. 818-841.
Praelatus « Nullius » — vide: **Abbas « Nullius ».**

- Praeparatio Missae** 1340.
 — ante Miss. pontif. de Requie 1095.
Preces post Miss. priv. — quando omituntur 1420.
Precibus et meritis etc. — in concess. Indulgentiae, quo ritu dicatur ab Episc. 866.
Presbyter Assistens — in Miss. solemn. — quando adhiberi potest 1187.
 — — de eius officio 1188-1196.
 — in funct. pontif. — de eius officio generatim 538, 539.
 — — Protonot. Apost. — Supranum. celebrans coram Episc. Ordin. aut alio Praesule qui ipso Episc. sit maior, illum habere nequit 1497, III.
 — — — ad instar Particip. illum habere potest tantum extra Eccl. Cath. dummodo praesens non sit Episc. Ordin. vel Praesul ipso Episc. maior 1500.
 — ad Absol. Defunct. ad Pannum — ab Episc. impertienda in Throno 1142.
 — — — post Miss. pontif. ad Fald. 1143, II.
 — — — praesente Card. 1145, II.
 — — — ad Tumulum post Miss. pontif. — ad Fald. 1146.
 — — — ad Thronum 1141.
 — ad quinque Absol. 1119, II.
 — ad bened. papalem post Miss. solemn. — cum assist. Episc. Ordin. 969-970.
 — — pontif. 968, II.
 — ad Matut. pontif. cum Laud. 712, I.
 — ad Miss. solemn. — cum assist. Episc. Ordin. 976-978.
 — — pontif. — celebrante Metropolita in Dioec. Suffr. 1044.
 — — — ad Fald. — cum assist. Episc. Ordin. 1052, III; 1053, IV.
 — — — celebrante Episc. Ordin. coram Card. 1019-1021.
 — — — celebrante Episc. extraneo 1056, II; 1058, II.
 — — — ad Thronum 883-898.
 — — de Requie — cum assist. Episc. Ordin. 1151, I.
 — — pontif. de Requie — ad Fald. 1162, I.
 — — — ad Thronum 1100-1102.
 — — — coram SS. Sac. exposito 1070.
 — ad Vesperas solemn. — cum assist. Episc. Ordin. 646-648.
 — — pontif. — celebrante Metropolita in Dioec. Suffr. 698.
 — — — ad Thronum, Episc. Ordin. — celebrante in crastinum 571-579.
 — — — — non celebrante in crastinum 643, 2, II.

V

- Vesperae** - cantatae 778.
 — solemnes 745-777.
 — — coram SS. Sacr. exposito 779.
 — — cum assist. Episc. Ordin. 644-673.
Vesperae solemnes pontificales - celebrante Protonot. Apost. - Supranum. - extra Urbem et propr. Dioec. 839, 840.
 — — ad instar Particip. - extra Urbem 841.
 — — coram SS. Sacr. exposito, *post n.* 841.
Vesperae solemn. pontif. ad Fald. - celebrante Episc. extraneo 700, 701; 702, 703.
 — — coram Episc. Ordin. 674-694.
 — celebrante Episc. Ordin. coram Card., Legato aut Metropolita 695, 696.
 — celebrante Protonot. Apost. - de num. Particip. ubique extra Urbem 824, 834.
 — — Supran. extra Urbem et intra propr. Dioec. fines 835-838.
- coram SS. Sacr. exposito 725-728.
Vesperae solemn. pontif. ad Thronum - celebrante Abbate « Nullius » vel regul. de regimine 818, 819.
 — celebrante Episc. extraneo 699.
 — Episc. Ordin. - celebrante in crastinum 562-642.
 — — non celebrante in crastinum 643.
 — celebrante Metropolita in Dioec. Suffr. 697.
 — celebrante Praelato « Nullius » 818, 819.
Vesperae solemnes Defunctorum - 780-785.
 — celebrante vel praesente - Abbate « Nullius » vel de regim. 823.
 — — Episc. Ordin. 731-738.
 — — Praelato « Nullius » 823.
Vestis violacea - eius usus competit Caeremoniariis Eccl. Cath. 549.
Vox - in Miss. - priv. 1331.
 — — solemn. 1164.

II.

DECRETA
 SACRAE RITUUM CONGREGATIONIS
 IN VOLUMINE ALLATA

Decr.	ad	Num.	Decr.	ad	Num.
9	6	1169	567		1344
14	3	527	584	2	536
»	»	533	»	»	1080
»	6	545	595		1292
»	»	546	599		538
»	7	539	615	2	528
86	3	1002	688		538
»	4	»	724		589
»	8	»	»		606
103		522	746		532
108		551, IV	805	2	591
129		540	832		984
138		527	851		591
197		1368	»		760
216		591	867		589
235	8	1094, III	»		606
»	17	766	893	3	1003, III
236		851, A, b, I	»	»	1294
247	2	536	900	4	533
»	»	1080	902		1344
248	7	752	911		532
»	11	987	915	5	527
262		558	»	6	538
277		813	924	6	1390
279		644, IV	926	1	1292
»		745, III	969		532
»		1253	975		514
284		538	1044		1292
»		1187	1072	2	550
306		752	1085		800
»		756	1091		658
»		778	»		663
310		984	»		756
348		851, A, b, I	1118		791
349		717	»		808
350		644, IV	1122		1298
»		745, III	1130		1505
»		1253	1131	n. l.	851, A, b, I
385		522	»	21	1434
425	1	791	1133		791
464	4	513	1145	2	558
514		1344	»	»	559
525	3	527	1156		1505
544	1	589	1213		549
553		1344	1258	1	597

Decr.	ad	Num.	Decr.	ad	Num.
1265	4	1350	1504	1	539
1268		1010	1506		536
"		1036, I	"		1080
1275	4	1386	1537	1	532
"	5	1393	1552		514
"	6	1402	1563	1	948
"	7	972	"	"	953
1280	2	566	"	"	1036, I
"	"	574	"	"	1169
"	"	584	"	"	1176
"	"	590	"	"	1202
"	"	596	"	"	1204
"	"	602	"	"	1228
"	"	607	"	"	1230
"	"	651	"	"	1256
"	"	680	1564	"	532
1322	1	750	1568		1505
"	6	1116	1570	1	532
"	12	1294	1571		591
"	"	1297	1576		532
"	13	566	1583	3	539
"	"	574	"	"	554
"	"	584	"	6	972
"	"	590	"	"	981
"	"	596	"	7	566
"	"	602	"	"	574
"	"	607	"	"	584
"	"	651	"	"	590
"	"	680	"	"	596
1324	"	597	"	"	602
1333	10	1344	"	"	607
1339	"	591	"	"	651
"	"	760	"	"	680
1376	"	536	1594	1	597
"	"	1080	"	2	1344
1379	"	1348	"	"	591
"	"	1415	"	"	760
1385	"	538	"	"	536
1401	4	988	1614		1080
1402	5	539	"		1010
1406	"	ante 1059	1619	5	1036, I
1414	"	791	1646		1271
1421	3	1271	1650	6	536
"	"	1347	1654		1080
"	5	ante 1059	1666		538
"	"	1302	"		1080
1422	"	1368	1679		538
1425	"	1344	1711	5	1080
1476	1	1271	"	"	597
"	7	973	"	6	1292
"	"	1009	1740		661
1480	"	1344	1772	5	750
1481	"	591	"	"	1292
"	"	760	"		1292
1490	8	523	1773	4	1334, VI
			1782	7	1401
					1338, I
					1368
					1208
					1238
					1429
					591
					1344

Decr.	ad	Num.	Decr.	ad	Num.
1803	1	536	2307	1	549
"	"	1080	"	2	"
"	2	"	"	5	548
1827	1	1390	2310	1	549
1870		532	"	2	"
1878	2	545	"	5	527
"	"	546	"	6	"
1889		550	2316	9	562
1900	6	549	2331	13	525
1902		532	2332	9	562
1904		549	"	16	551, IV
1975		791	2340	1	1505
1981		1325	"	2	"
1995		532	"	4	779, V
2002	14	1333, IV	"	"	1062
2013	2	1293	"	"	1305
"	4	1294	2355		1325
2027	3	1298	2366		814, VI
2049	13	524	2375	5	552
"	"	537	2390	4	1458
"	14	524	"	6	779, V
"	"	537	"	7	1333, III
"	18	589	2420	9	552
"	"	606	2425	11	1292
2072	"	514	"	13	558
2079	3	705, IV	2427	2	1509, III
"	"	790, III	"	"	1514, III
"	"	820	"	10	1469
2085	"	532	"	"	1458
2087	"	"	2447	2	699, II
2089	2	1296	"	"	760
"	5	1002	"	"	1054, IV
"	6	1119, I	2462	3	532
2097	1	539	2467		554
"	2	584	2471	1	519
"	5	896	"	"	527
"	6	539	"	"	571
"	7	"	"	2	527
2102	1	533	2474		1072, IV
"	2	"	"	"	1308
2118		1342	2514	4	1347
2146		"	"	"	1437
2168		1383	2515	10	567
2184	4	863	"	"	858
"	"	948	2543		1425
2196	2	791	2544		728, III
2209	3	1288	2572	5	1350
2231	9	695, V	"	11	914
2274	6	851, A, b, I	"	"	1378
2283	2	988	"	14	1211
"	3	593	"	"	1384
"	6	594	"	19	1390
2286		552	"	20	1392
2306	1	1115	"	21	1336, I
"	2	"	"	"	1398

Decr.	ad	Num.	Decr.	ad	Num.
2572	22	1186	2684	4	802
"	"	1321	"	11	1292
"	24	741	"	13	1169
"	25	1473	"	"	1202
2578	2	1249	"	"	1228
"	3	722	2704	1	1407
"	"	796	2706	6	593
"	8	1253	2718	"	815, V
"	9	"	2722	1	1333, III
"	10	548	"	2	"
2583	6	1434	"	"	1351
2587	9	1380	2725	1	1425
2608	"	536	"	5	1288
"	"	1080	"	"	1405
2613	1	1368	2735	3	717
2621	"	551, VI	"	"	796
"	2	539	2742	"	562
"	3	"	2753	"	532
"	11	"	2765	"	ante 1059
"	12	549	2776	2	857
2634	"	937	"	"	885
2638	6	532	"	"	946
2659	"	538	2820	"	815, V
2672	3	1535	2822	3	1363
2682	14	1001, III	2823	11	1334
"	"	1010	2850	1	1404
"	"	1053, II	2859	"	1090
"	"	1287	"	"	1460
"	15	980	2872 D. III	"	815, V
"	19	567	2883	5	699, II
"	27	1350	"	"	760
"	"	1416	"	"	1054, IV
"	29	1358	2888	1	1112, I
"	"	1380	2895	3	974
"	30	1243	"	"	1149
"	47	1089	2915	6	1210
"	"	1176	"	"	1240
"	"	1200	"	"	895
"	"	1226	"	7	907
"	"	1232	"	"	921
"	"	1234	"	"	935
"	"	1333	2928	5	779, V
"	"	1348	"	6	728, III
"	"	1351	"	"	514
"	"	1458	2955	"	1180
"	"	1062	2956	7	1316
"	48	1092	"	"	1480
"	"	1305	2959	10	1112, I
"	"	1465	"	1	"
"	49	728, II	2960	2	1271
"	"	779, I	"	"	1335
"	"	1070 II	"	3	1377
"	"	1304	2965	"	523
"	"	1458	"	1	520
2684	3	802	2974	3	1367
				5	

Decr.	ad	Num.	Decr.	ad	Num.
2995	"	536	3398	2	550
"	"	1080	3402	5	1293
3009	5	778	"	6	1298
"	8	771	3410	1	750
3016	1	1389	"	4	801
3026	"	1300	3426	6	1471
3029	10	1117	3434	1	525
"	"	1322	"	6	1458
"	12	1337	3440	"	1535
"	"	1438	3448	1	ante 1059
3051	"	1112, I	"	"	1470
3055	"	1292	"	2	1447
3059	7	1434	"	"	1471
"	20	553	"	14	1416
"	"	819, VI	"	"	1453
"	"	1340	3457	3	1176
"	"	1491	"	"	1204
"	25	747	"	"	1230
"	"	754	"	"	1256
3068	2	1431	3465	"	1481
3086	1	779, VII	3482	"	1470
"	3	" V	3491	7	1207
"	"	1062	"	"	1233
"	"	1305	3500	2	1390
3104	1	1164, I	3505	"	ante 1059
3108	5	1323	3515	4	523
"	8	717	3525	4	1470
"	16	1298	3535	2	920
3110	3	795	"	"	1215
"	"	798	"	3	895
"	"	814, III	"	"	920
"	4	1298	"	"	921
"	5	"	"	"	1194
"	6	750	"	"	1215
"	9	814, I	"	"	1216
3116	"	1410	"	"	1217
3124	2	ante 1059	"	"	1243
3157	10	1447	"	"	1244
3165	1	550	"	"	1265
3188	"	974	3564	2	1187
"	"	982	3569 D. II	"	974
"	"	997	3574 D. II	"	848
"	"	1011	3576 D. XIII	"	815, V
"	"	1149	3605 D. IX	"	881
3201	7	1333, III	3621	4	1294
3213	8	972	3624 D. XI	"	1112, I
"	"	981	3637	8	1076
3228	3	539	3638	3	1447
3262	18	1434	3639	2	1303
3288	"	872	"	"	1293
3365	7	1112, I	"	4	1004
3368	4	864	3653	"	848
3369	2	1116	3667	25	1259
3377	1	1299	3677	"	528
3398	1	550	3718	"	1292

Decr.	ad	Num.	Decr.	ad	Num.
3722	3	1297	3898		1118, III
3747	1	856	3918		1531
"	"	885	3922	III, 1	1505
"	"	1020	"	"	1509, III
3754	1	1517	"	"	1514, III
"	III	1519, I	"	IV, 2	523
"	IV	1368, II	"	V, 1	1505
"	V	" III	3953		527
"	VI	" IV	3960		1529
3758		1364	3975	VI, 1	803
3767	25	861	"	I, 2	1471
"	"	862	"	II, 1	1376
"	"	914	"	III, 3	1410
"	"	929	4011	1	848
"	"	948	"	2	1340
"	"	1182	"	"	1421
"	"	1232	"	3	844
"	"	1257	4015	2	924
"	"	1259	"	"	937
"	"	1332, IV	4018	II, 1	1188
"	"	" VII	"	2	1189
"	"	1361	"	V	1192
"	"	1371	"	VI, 1	1193
"	"	1378	"	"	1222, III
"	"	1392	"	"	1194
3777	1	1299	"	2	1222, V
3780	7	815, I	4019	"	1030
"	11	719	4025	1	1363
"	"	798	4027	5	1072, II
3781	2	595	"	"	1304
"	"	663	"	1	1172, I
"	3	664	"	"	1309
3792	3	1534	"	2	1106
"	5	1418	"	"	1172, II
"	11	514, II	"	"	1320
3798	2	1117	"	"	1106
"	"	1322	"	3	1172, II
"	4	1389	"	"	845
3804	I	1077, I	4031	5	1075, II
3828	I	527	4035	3	814, I
"	III	528	4048	8	1292
3800		1425	4051	1	547
3814	2	1447	4057	5	920
3840	1	550	"	"	1170
3866	1	1198	"	"	1189
"	"	1224	"	"	1201
3875	4	1068	"	"	1205
"	"	1072, X	"	"	1214
"	"	1092	"	"	1234
"	"	1311	"	"	1440
"	"	1463	"	"	1178
"	"	1467	"	6	1097
3888	1	523	4074	7	1477
"	"	537	"	"	914
"	2	527	4077	3	1206
"	"		"	"	

Decr.	ad	Num.	Decr.	ad	Num.
4077	6	1306	4181	3	1502, II
4079	5	1302	"	4	1081
4081	3	1327	"	"	1502, II
4104	1	1302	4193	1	1439
"	2	1287	"	3	1318
4115	"	1287	4194	5	1062
"	"	1354	"	"	1065
4116	1	1392	"	"	1072, III
4135	3	966, VII	"	"	" IV
"	"	974	"	"	1305
"	"	1011	"	"	1308
"	"	1036, I	4198	9	1435
"	"	1149	"	"	1455
"	"	1282	"	12	1462
4141	6	1448	4254	"	1535
4154	I, 10	1134	4269	9	1518
"	II, 31	"	4271	1	1433
"	III, 49	"	4273	6	1520
4156	"	1112, I	4281	2	1392
"	2	733	4288	2	1390
"	"	782	"	5	1368
4158	1	842	4294	3	1369, I
4172	3	1332, VII	4305	"	1076
"	4	1072, VII	"	"	1486
"	"	1310	"	"	1538
4179	1	649	"	"	1387
"	"	654	"	"	1420
"	"	667	4308	I, n. 2	1521
"	"	727, II	4328	"	1408
"	"	728, I	"	"	1433
"	"	779, I	4353	"	ante 1059
"	"	1060	"	"	1470
"	"	1069	4355	II, 2	537
"	"	1070, I	"	"	1013
"	"	1072, XI	"	"	1117
"	"	1088	"	III, 2	699
"	"	1093	"	"	"
"	"	1174	"	"	698
"	"	1249	"	"	1054, II
"	"	1303	"	"	1041, III
"	"	1312	"	"	699
"	"	1333, IV	4363	"	1426
"	"	1347	4369	"	1419
"	"	1458	4372	16	1419
"	"	1471	4377	"	1449
"	8	752	4379	"	1544
4181	2	1081	4381	"	814, VI
"	"	1186	4382	"	1074
"	"	1502, II	4394	"	1545
"	3	1081	"	"	

RECENTIORA DECRETA

Die 27-IV-1927 N. 1073 Die 27-VII-1927 N. ante 1059 Die 11-I-1928 N. 1073

III.
CANONES CODICIS IURIS CANONICI
IN VOLUMINE ALLATI

Can.	Par.	N.	Num.	Can.	Par.	N.	Num.
397		2 ^o	538	815	2		1384
810			1095	868			1409
"			1340	1101	1		1540
"			1423	1274	1		1302
811	2		1345	1306	1		1406
812			1187				

